

INSTITUTIONES THEOLOGICAE

QUAS

FR. MICHAEL MARCELLIUS

EREMITA AUGUSTINIANUS

AD USUM SCHOLARUM SUI ORDINIS

CONCINNAVIT

TOMUS VI.

DE VIRTUTIBUS, ACTIBUS HUMANIS, PECCATIS, ET SACRAMENTIS IN GENERE.

EDITIO PRIMA



SUB AUSPICIIS FAUSTISSIMIS

Illmi, ac Rmi D.

FELICISSIMI SALVINI

CAMERTIS ARCHIEPISCOPI







TYPIS AC SUMPTIBUS VULGATA
FRANCISCI XAVERII TOMASSINI
FULGINII 1848.

FR. PHILIPPUS ANGELUCCI

MATHELICENSIS

SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTER, ORDINIS EREMITARUM S. P. AUGUSTINI VICARIUS GENERALIS

Cum opus inscriptum : Institutiones Theologicae etc. *elaboratum ab admodum Reverendo Patre Magistro Fratre Michaele Angelo Marcelli, recognitum et approbatum fuerit a duobus Theologis sacri ejusdem nostri Ordinis a nobis deputatis, tenore præsentium facultatem concedimus ut typis mandari possit, si iis ad quos reliquum spectat, ita videbitur.*

Datum in Conventu nostro S. P. Augustini de Urbe die 28 *Junii* 1844.

Fr. PHILIPPUS ANGELUCCI Vic. Gen.

Loco ✠ Sigilli

Magister Fr. Philippus Cascia *Ordinis Secr.*



INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

LIBER XXX.

CONTINENS TRACTATIONES DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

Quum omnes theologicarum rerum tractatores disputare soleant de virtutibus theologicis postquam de legibus ac de actibus humanis disseruerunt, aliquis forte mirabitur quod nos constituerimus de iis pertractare hoc in loco. Sed qui animadverterit non aliud nos in his exarandis opusculis prae mente gerere quam tyronum in Theologia utilitatem, illudque imprimis cordi esse ut eos per latas facilesque vias ad ardua ac sublimiora veluti manu ducamus, mirari plane desinet. Id porro hac in re assequutos nos fore confidimus, si post exercitationes de Gratia tum actuali tum habituali, exponere statim aggrediamur quae ad theologicas pertinent virtutes. Quum enim hae a Salvatoris gratia velut effectus a caussa immediate proficiscantur, tam arcta est gratiam inter illasque virtutes colligatio, ut si has ab illa sejunxeris, vel ipsum theologicarum virtutum nomen evanescat; proindeque facilior procul dubio erit rerum harum intellectus iis qui in disputationibus de Christi gratia ac praesertim habituali, fuerint aliquantisper exercitati. Atque hoc in caussa fuit cur aliorum relicta Theologorum methodo, initio hujus voluminis de theologicis virtutibus agere proposuimus.

CAPUT I.

Nonnulla de virtutibus in communi breviter delibantur.



Quilibet homo legem quamdam sibi a natura comparavit incommutabilis veritatis, secundum quam de bonitate vel malitia judicare potest cujuslibet objecti. Incommutabilem hanc legem esse Deum ipsum intime menti nostrae praesentem eique affulgentem lumine suo, dixerat jam Psalmista Psal. 4. v. 7. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine:* et confirmavit S. P. Augustinus in lib. de vera Relig. cap. 30. dicens: *Haec lex omnium artium cum sit omnino incommutabilis, mens vero humana cui talem legem videre concessum est, mutabilitatem pati possit erroris, satis apparet supra mentem nostram esse legem quae veritas dicitur. Nec jam illud ambigendum est, incommutabilem naturam quae supra rationalem animam sit, Deum esse*. Lex haec appellari etiam solet *lumen* et *regula*. Lumen, quatenus pedes nostros in singulis humanis actibus dirigit; regula vero quatenus ad legem illam incommutabilem singulae exigi debent humanae nostrae actiones. Si ergo opera nostra deliberata regulae illi et incommutabili legi conformia sint, virtutes; si ab ea recedant regula, vitia sunt habenda. Unde S. P. Augustinus laudato proxime libro cap. 20. vitium definit: *Est autem vitium primum animae rationalis, voluntas ea faciendi quae vetat summa et intima veritas.*

Sed quoniam nunc virtus a nobis consideratur prout est habitus quidam animi (vox enim haec multa alia significat,) hinc definiri poterit: *Bonus habitus quo animus ad operationes rationalem naturam decentes disponitur*. Atque definitio haec omni convenit virtuti tam intellectus quam voluntatis, infusae, acquisitae, christianae, politicae, ac philosophicae. Eadem definitio si probe perpendatur, eumdem habet sensum cum illa quam magnus tradit Augustinus in lib. 83. Q. Q. 31. quamque ex Tullio desumpsit: *Virtus est animi habitus naturae modo atque rationi consentaneus*. Cohaeret similiter definitioni traditae ab Aristotele: *Virtus est habitus qui bonum facit agentem*, *et opus ejus reddit bonum*. Ac tandem non absimilis est a definitione quam S. Thomas in haec verba tradidit: *Virtus est bona qualitas mentis*, *qua recte vivitur*, *et qua nullus male utitur*, *quam Deus in nobis sine nobis operatur*. Quam definitionem ex variis Augustini cujus studiosissimus erat locis S. Thomas exprompsit, sed praecipue ex lib. de morib. Eccl. cath. cap. 6. ubi totidem verbis legitur virtutem esse *habitum ipsum*, *et quasi sapientis animae qualitatem*. Quod ea sit qua recte vivitur, asserit lib. 3. de lib. arb. cap. 29. Ibidem asserit etiam neminem ea male uti. Quod denique eam in nobis sine nobis Deus operetur (intellige sine nobis causantibus, non sine nobis consentientibus,) centies S. doctor affirmat, in iis videlicet locis ubi docet charitatem quam solam verae virtutis nomine dignam censet, non esse ex nobis, sed esse ex Deo: et lib. 4. cont. Jul. cap. 3. scribens, iisdem utitur terminis quos supra in definitione posuimus.

Postrema tamen hac definitione virtus potissimum describitur christiana, quae quum nil aliud sit quam charitas, a solo Deo in nobis sine nobis producitur. Ea nemo male utitur, intellige tamquam *principio*, quoniam ea male quis uti potest tamquam *objecto*, vel odio habendo charitatem, vel de exhibitis charitatis officiis superbiendo. Hac denique sola recte vivitur, quia sola charitas implet legem. Ex quibus apparet virtutis definitionem a S. Thoma ex Augustino prolatam, soli competere virtuti christianae. Nam philosophicas virtutes non necessario Deus operatur in nobis, quum solis naturae viribus potuerit ab ethnicis Philosophis comparari. Illis quoque male uti possumus non modo ut *objectis*, sed aliquo modo etiam ut *principiis*; quum superbia v. g. temperantiae, justitiae, fortitudini imperare possit, ut ad sibi comparandam gloriam accommodent officia sua, sicuti multos Romanos fecisse narratur. Atque pauca haec observasse sufficiat circa virtutis definitionem.

Multiplici autem modo virtutes dividuntur, et aliae sunt *intellectuales*, aliae *appetitivae* seu *affectivae*. Illae intellectum, hae voluntatem perficiunt: et subdividuntur in *theologicas* atque *morales*: et hae iterum in *cardinales* et non *cardinales*: quarum tamen pleraeque ob suam cum cardinalibus affinitatem, cardinalibus dicuntur adnexae. Tandem aliae sunt virtutes mere philosophicae, aliae vero christianae. Virtutes intellectuales quae sic dicuntur quoniam intellectum in ordine ad cognitionem veri perficiunt, quinque numerari solent; videlicet *intelligentia*,

sapientia, *scientia*, *ars*, *prudentia*. Harum definitiones vide apud Philosophos; neque enim de his nos hoc in loco agimus.

Inter appetitivas seu affectivas virtutes praecipuum tenent locum *theologicae*: quae sunt, *fides*, *spes*, *et charitas*, quarum tamen prima, nempe fides, perficit etiam intellectum illum illustrando et Dei revelantis subjiciendo auctoritati. Sunt autem theologicae virtutes quidam habitus qui per seipsos hominem ad supernaturalem ordinant et adjuvant beatitudinem. Dico per seipsos, quoniam licet virtutes quoque morales hominem ad finem supernaturalem provehere possint, id tamen non immediate et per seipsas, sed virtutibus mediantibus theologicis ac praesertim charitate praestant. Multis autem de caussis virtutes theologicae dicuntur supernaturales. 1. quoniam illae solae per se, ut dictum est, hominem ad beatitudinem ducunt supernaturalem. 2. quoniam nulla acquiri possunt humana industria, sed infunduntur omnino divinitus. 3. quia earum actus sunt in sua substantia supernaturales, utpote totidem gratuitae gratiae effectus. 4. quoniam earum objectum tam materiale quam formale est Deus ipse supernaturaliter cognitus. Dicuntur vero eaedem virtutes *theologicae*, tum ob proxime allatas rationes, tum etiam quoniam circa illas versatur praecipue doctrina theologica; ad illas quippe quidquid utiliter in Theologia pertractatur reducendum est: tum denique quoniam fidei, spei, charitati, sive in nobis sive in aliis aedificandae tota theologica scientia debet incumbere, ut docet S. P. Augustinus lib. 1. de Doctr. chr. cap. 37. Hae autem virtutes ita connexae sunt, ut in justificatione hominis debeant omnes simul concurrere: *Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum cui inseritur*, *fidem, spem*, *et charitatem*, tradit Tridentina synodus sess. 6. cap. 7. Quod tamen de habitu intelligendum est harum virtutum, ac de homine fidei speique habitu adhuc carente dum ei infunditur charitas. Impio enim baptizato qui jam fidem ac spem habebat, quando justificatur duo isti habitus non infunduntur denuo, sed tantum charitate formantur.

Virtutes morales sunt habitus appetitum inclinantes rationalem ad operationes rectae rationi conformes, illumque conducentes ad naturalem animi perfectionem ac beatitudinem; sicuti theologicae eumdem inclinant appetitum ad operationes supernaturales supernaturalemque beatitudinem. Inter morales virtutes praecipuum locum tenent quatuor cardinales: quae sunt, *prudentia*, *justitia*, *temperantia*, *fortitudo*. Virtus autem aliqua dicitur cardinalis quasi principalis, ut ait S. Thomas Q. unica de Virt. in communi a. 12. ad 24. *Quia super eam aliae virtutes firmantur*. Addo etiam quia inter alias morales virtutes quatuor illae obtinent principatum, praecipuis humanae vitae officiis dant leges, maximas humani cordis cupiditates et animae passiones moderantur atque coercent, et necesse est denique ut omnes quatuor illae virtutes ad cujuslibet alterius moralis virtutis concurrant perfectionem. Nam nulla animi virtus perfecta est, nisi prudens sit, justa, temperans, ac fortis; ut proinde virtuosam hominis vitam in illis velut in cardine versari necesse sit.

Ad cardinales multae aliae reduci possunt morales virtutes. Nam ut de prudentiae adnexis taceam, ad justitiam reducitur religio quae Deo, pietas quae parentibus, observantia quae superioribus, officia debita reddunt. Item gratitudo, veracitas, affabilitas, humanitas, liberalitas; quum omnes istae virtutes in suum materiale tendant objectum sub ratione debiti. Ad fortitudinem reducuntur magnanimitas, magnificentia, patientia, perseverantia. Ad temperantiam mansuetudo, clementia, et modestia.

Virtutes omnes morales esse possunt vel mere *philosophicae* vel *christianae*. Sunt mere philosophicae si nec efficiens nec finalis caussa illarum sit Deus, hoc est, quando nec earum habitus sunt divinitus infusi, nec actus per adjutorium fiunt gratiae Christi, nec per gratuitum Dei amorem in Deum ipsum ultimate referuntur: sed exercentur dumtaxat propter creatam suam honestatem quae decus, gloriam, ac satisfactionem confert eas exercentibus: certum quippe est tales virtutes steriles prorsus esse et infructuosas, nullius scilicet apud Deum meriti, nihilque penitus per se ad beatitudinem conferentes supernaturalem. Sed de his satis dictum lib. 27.

Tunc autem morales virtutes dicuntur christianae, quando illarum actus pro efficiente caussa habent Deum; quando scilicet fiunt ex gratia seu ex impulsu charitatis, non quidem illius quae nos Dei reddit amicos, sed illius quam Augustinus lib. 3. de Doctr. chr. cap. 10. vocat *motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, et se atque proximo propter Deum*. Christianas hasce virtutes S. doctor solas agnoscit pro veris et virtutum nomine dignis virtutibus, non alias. Nec dubitat affirmare omnem veram virtutem esse charitatem: illumque recte virtutem definire qui charitatem esse dicit, qua id quod diligendum est diligitur: in cujuslibet definitione virtutis charitatem locum tenere generis, propriumque istius virtutis officium, locum differentiae: omnem denique charitatem unicam veramque esse virtutem. Hinc in Ep. 167. cap. 3. inquit: *Charitas igitur de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta, magna et vera virtus est*. Et infra: *Quanto magis* (charitas) *est in homine, tanto magis est virtute praeditus: quanto autem minus, tanto minus inest ei virtus*. Et cap. 4. *Ut generaliter*, inquit, *breviterque complectar quam de virtute habeam notionem, quod ad recte vivendum attinet, virtus est charitas qua id quod diligendum est diligitur*. Et lib. 15. de C. D. cap. 22. *Mihi*, inquit, *videtur, quod definitio brevis et vera virtutis, Ordo est amoris*. Innumera gemina his habet in suis operibus Augustinus.

Quaeri solet hoc loco a Theologis an omnes virtutes ita connexae inter se sint, ut qui unam habet, omnes pariter habeat? Quae quidem quaestio institui potest et de virtutibus theologicis et de virtutibus moralibus. Et quoad virtutes theologicas, certum est quod qui fidem aut spem habet non sequitur habere etiam charitatem: idque vel ipsa docet experientia. Quot enim sunt peccatores qui charitate carent, et nihilominus fidei ac spei retinent habitum? Qui autem charitate praeditus est qua Deum super omnia amabilia diligit, et quidem sub omni ratione qua diligibilis est, is porro omnes omnino possidet virtutes. Quod patet I. sacris

literis. Nam Sap. cap. 8. de Sapientia legitur, quod *sobrietatem et prudentiam docet, et justitiam et virtutem*. Sapientiae autem nomine venit hoc in loco charitas, dicente Fulgentio in lib. 1. ad Monim. cap. 18. *Nec est alia quae vera sit sapientia vel intelligentia creaturae rationalis, nisi dilectio Creatoris*. Et Christus Dominus Matth. cap. 22. affirmat omnem perfectionem ac plenitudinem legis a charitate erga Deum et proximum pendere. Quod idem insinuat Apostolus in 1. ad Cor. cap. 13. dicens: *Charitas patiens est, benigna est*, cum iis quae sequuntur: et in ep. ad Rom. cap. 13. scribens: *Plenitudo ergo legis est dilectio*. II. confirmat id apertissime S. P. Augustinus in ep. 167. ubi quaestionem hanc ex professo versat cum S. Hieronymo. Ibi autem ita loquitur: *Cur ergo non dicimus, qui hanc virtutem* (charitatis) *habet, habere omnes; cum plenitudo legis sit charitas? An quanto magis est in homine, tanto magis est virtute praeditus: quanto autem minus, tanto minus inest ei virtus? quia ipsa est virtus: et quanto minus inest virtus, tanto magis est vitium? Ubi ergo illa plena et perfecta erit, nihil ex vitio manebit*.

Dixi autem tunc virtutes omnes connexas esse in charitate quando diligitur Deus super omnia ac sub omni ratione qua diligibilis est; quoniam si sic diligitur, summe diligitur aeterna ratio pulcritudinis quae in qualibet elucet virtute, et ita summe diligitur et possidetur omnis virtus. Nulli porro dubium est quin aeterna pulcritudo quae in qualibet virtute splendet sit ipse Deus; unde Bernardus de Morib. et off. episc. cap. 6. inquit: *Singuli elati animi mei motus singula sunt quaedam in Deum convicia, iracundiae motus in mansuetudinem, invidiae in charitatem, in frugalitatem luxuriae, turpitudinis in castitatem etc*. Quod si aliquis talem habeat charitatem ut diligat quidem Deum super omnia, sed nondum sub omni ratione qua diligibilis est, aut diligat eum sub omni ratione, sed non quantum diligendus est ut omnis excludatur affectus singulis contrarius virtutibus, tunc falsum est omnes in una charitate connecti virtutes. *Profecto ita ut quisquis illustratione piae charitatis affectus est, in alio actu magis, in alio minus, in aliquo nihil, sic potest dici habere aliam et aliam non habere, aliam magis, aliam minus habere virtutem* etc. inquit Augustinus citata ep. 167. cap. 4. quam consule.

Quod vero virtutes spectat morales, considerari possunt in statu vel imperfecto vel perfecto. Si primo modo spectentur, certum est non esse illas inter se connexas. Nam experientia patet aliquem temperantiam habere et non fortitudinem, vel fortitudinem et non justitiam. Neque enim consequens est ut qui non omnes habeat rectos affectus, nullum omnino rectum habeat. Quod si eaedem virtutes considerentur in statu perfecto, nemini dubium quin sint inter se connexae. Nam possidere nemo potest in statu perfecto virtutem, nisi perfecta praeditus sit prudentia: Perfecta autem prudentia omnimodam supponit rectitudinem voluntatis quoad omnia humanae vitae officia: Quod si voluntas in omnibus officiis recta fuerit, jam nulla deerit illi virtus.

Rursus quaerere solent Theologi utrum virtutes in medio consistant, hoc est, utrum sint inter duo extrema quorum unum per excessum sit, aliud per defectum. Et virtutes quidem theologicae in seipsis consideratae non consistunt in medio. Hujus enim effati, *Virtus in medio consistit*, hic, ut modo diximus, sensus est: Cum homo peccare seu vitiosus esse possit, vel plus vel minus faciendo vel omittendo quum debeat, virtus ab utroque aequaliter cavere debet extremo: sed inter excessum atque defectum media consistere, degeneratura alioquin in vitium si aut citra remaneat vel ultra progrediatur mediocritatem. Ast vero certum est nullam ex theologicis virtutibus tale exposcere medium, sive earum actus spectes sive modum quo exerceantur. Neque enim timendum est ne in Deum credamus, speremus, et amore feramur vel nimia diuturnitate et extensione, vel nimia adhaesione et intentione; quum modus diligendi Deum, sicuti et in ipsum sperandi atque credendi, sit diligere, sperare, credere sine modo. Idem dicendum est etiam de quavis alia virtute quatenus placet propter aeternam pulcritudinis suae rationem, nempe propter Deum; ita namque a charitate in qua excedi numquam potest, distincta minime est. Dixi virtutes theologicas in se consideratas non exigere medium. Ceterum exigunt illud quandoque consideratae ex parte subjecti in quo reperiuntur. Potest quippe fieri ut homo per nimis frequentes diuturnos ardentesque fidei spei et charitatis actus, ab aliis obligationibus suis impediatur, aut quod bonam laedat corporis sui valetudinem: quod ne contingat, aliquis figendus harum virtutum exercitio modus.

Virtutes autem morales sive cardinales sint sive non cardinales, consistunt utique in medio, quoniam peccari contra illas potest vel per excessum vel per defectum. Hinc cavere debet prudentia ne aut nimis parum aut nimis multum provida sit atque solicita. Caveat temperantia ne aut plus aut minus quam oportet, indulgeat sensibus et appetitibus. Caveat liberalitas ne aut minus aut amplius det quam oportet; et sic porro de ceteris. Atque pauca haec dixisse sufficiat de virtutibus in communi.

CAPUT II.

De nomine definitione divisione et objecto materiali primae theologicae virtutis quae est fides.

Non uno dumtaxat sensu a sacris scriptoribus fidei nomen accipitur. Aliquando enim pro *conscientia*, in quem sensum, juxta aliquos, dixit Apostolus ad Rom. cap. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est*: atque ita vulgo intelligitur quando dicitur aliquis possessor bonae fidei. Accipitur saepe fides pro *probatione*, ut cum oculatus testis dicitur facere in judicio fidem; atque id Apostoli verba in ep. ad Rom. cap. 3. significant, *Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuavit*? Interdum accipitur pro *fiducia*, ut in ep. Jacobi cap. 1. ubi legitur: *Si quis* ...

indiget sapientia postulet a Deo .... postulet autem in fide, nihil haesitans. Usurpatur quandoque pro *doctrina christiana*, ut Apoc. cap. 3. *Servasti verbum meum, et non negasti nomen meum*. Et non raro intelligitur etiam *veracitas*, prout opponitur mendacio, ut Jerem. cap. 7. *Periit fides, et ablata est de ore eorum*. Ac denique sumitur ut plurimum pro *assensu* quem intellectus ex imperio voluntatis exhibet veritatibus ab aliquo revelatis. Quod si ille qui revelavit sit purus homo cui ob hominis credamus auctoritatem, dicitur *fides humana*. Si vero qui revelavit sit Deus, eique ob ejusdem Dei revelantis auctoritatem praebeamus assensum, dicitur *fides divina*. De fide hoc postremo sensu intellecta, nempe de fide divina quae est virtus theologica, agere hoc in loco constituimus, de qua Apostolus in ep. ad Hebr. cap. 11. inquit: *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit*. Et in ep. ad Rom. cap. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est*, juxta Augustini multorumque Patrum interpretationem. Haec de nomine.

Ut autem fidei de qua loquimur, naturam et essentiam probe intelligamus, illius nunc tradenda est definitio. Definitur ergo fides: *Donum Dei, ac lumen quo creatura rationalis firmiter assentitur iis quae Deus revelavit propter ejusdem Dei revelantis auctoritatem; idque ex pio erga aeternam veritatem revelantem affectu*. Dicitur fides Dei donum ac lumen, ut intelligamus definitionem hanc fidem tum habitualem tum actualem complecti; quum donum Dei, lumen et supernaturalis assensus, vel pro habitu vel pro actu sumantur. Quod si fides definiatur, *virtus theologica divinitus infusa etc.* ut communiter fieri solet, definitio habitualis tantum, non actualis fidei naturam explicabit. Deinde dicitur etiam Dei donum adversus Semipelagianos affirmantes initium fidei esse ex nobis. Si namque donum Dei est, profecto non est ex viribus naturae. Dicitur praeterea, *firmus assensus revelatis*, contra Petrum Abaelardum qui, teste S. Bernardo ep. 90. docebat fidem nostram meram esse opinionem et existimationem. Additur, *quae Deus revelavit*, contra recentiores haereticos autumantes fidem esse illam qua firmiter credunt peccata sibi esse remissa, et se de numero esse praedestinatorum. Neque enim cuiquam sectariorum Deus verbo suo scripto vel tradito revelavit quod ipsi peccata dimiserit vel de numero sit praedestinatorum. Integra deinde definitio demonstrat fidem aliquid habere cum ceteris theologicis virtutibus commune, aliquid autem ab illis diversum. Nam quod assensum praebeat veritatibus a Deo revelatis, ostendit fidem immediate versari circa Deum sicut et aliae virtutes theologicae. Quod vero respiciat Deum tamquam fontem veritatis, id peculiare est solius fidei. Tota denique illa definitio satis assignat discrimen quod inter fidem, scientiam, et opinionem intercedit. Fides quippe in hoc ab opinione differt, quod licet opinio sit et ipsa rebus inevidentibus assensus, est tamen assensus formidolosus, non firmus ut assensus fidei. Discrepat autem a scientia, quoniam haec rebus evidentibus, illa inevidentibus prae-

bet assensum. Rem totam paucis explicat Bernardus initio lib. 5. de Consid. scribens: *Intellectus, sive clara perceptio, ut est scientia, rationi innititur, fides auctoritati, opinio sola verisimilitudine se tuetur. Habent illa etiam certam veritatem, sed fides clausam et involutam, intelligentia nudam et manifestam. Ceterum opinio certi nihil habet.* Multa alia in allata definitione observari possent, sed partim intelligentiae relinquimus lectorum, partim intelligentur ex iis quae in sequentibus dicemus.

Aliam fidei definitionem tradit Apostolus in ep. ad Hebr. cap. 11. his verbis: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*. Graece autem legitur: Ἔστι δὲ πίστις ἐλπιζομένων ὑπόστασις, πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων hoc est, *fides est sperandorum subsistentia, rerum convictio non apparentium*. Atque hunc collata ab Apostolo definitio sensum habet: Fides adeo certa est, ut bona quae speramus obscureque cognoscimus, ita praesentia menti nostrae reddat, ac si eis jam frueremur eaque conspiceremus oculis. Quae interpretatio si admittatur, apostolica fidei definitio descriptio potius per effectus quam essentialis definitio dici debet. Quod si quis contendat esse illam essentialem ac rigorosam definitionem, adeat cl. Jo. Laurentium Berti, apud quem valida ad id demonstrandum inveniet argumenta. Neque enim hac in re diutius immorandum esse existimamus.

Plerique Theologorum allatae a nobis definitioni fidei auctoritatem addunt Ecclesiae proponentis. Verum absolute loquendo particula illa minime fidei definitioni essentialis videtur. Ecclesiae namque propositio non est id quo intellectus noster movetur ad credendum. Idque vel ex eo patet quod multi olim crediderint et nunc credere possint citra ullam ab Ecclesia sibi factam credendorum propositionem. Tales olim fuerunt Adam, Abraham, Apostoli, ac primi Christiani qui ad insigne aliquod miraculum a se conspectum, vel ad solam internam illustrationem aut revelationem externam fidem amplexi sunt. Et vero, ideo Ecclesiae propositio seu attestatio necessaria putatur, ut divina revelatio evidenter innotescat. Si igitur manifestata haec fuerit per conspicuum aliquod miraculum vel per alia certa argumenta, superfluum jam est Ecclesiae proponentis ministerium. Haec autem vera sunt absolute loquendo. Ceterum de lege ordinaria nihil nunc de fide recipiendum est, nisi in Scripturis et in traditione revelatum fuisse attestetur ac proponat Ecclesia: quo sensu ajebat Augustinus, *Evangelio non crederem, nisi auctoritas me moveret Ecclesiae*. Multifariam quippe multisque modis Deus olim locutus est et nunc etiam loquitur hominibus. Patriarchis atque Prophetis locutus est per seipsum vel per angelos suos, Patribus per Prophetas, Apostolis per Filium suum, Ecclesiae per Apostolos. Fidelibus suis nunc loquitur per Ecclesiam, quam qui non audierit habendus est ut ethnicus et publicanus. De definitione satis, nunc de divisione.

Fides ergo dividitur I. in *actualem* et *habitualem*. Prior est actus quo intellectus ex imperio voluntatis per gratiam excitantem alicui assen-

titur veritati ptopter auctoritatem Dei revelantis. Altera autem est permanens quaedam mentis ac voluntatis adhaesio veritatibus a Deo revelatis qua fideles etiam dormientes dicuntur credere. Vel certe est supernaturalis virtus animae infusa, in ea caussans inclinationem ad assentiendum veritatibus a Deo revelatis.

II. in *explicitam* et *implicitam*. Explicita est qua quis alicui speciali fidei veritati assentitur etiam in specie oppositae, puta quod Deus sit unus in natura et trinus in personis. Implicita vero per quam intellectus vel generatim omnibus assentitur veritatibus a Deo revelatis de nulla in specie cogitando, vel assentitur uni veritati in qua involvitur alia de qua non cogitat aut quam expresse non cognoscit.

III. in *infusam et acquisitam*. Illa est quam Deus infundit puerulis dum baptizantur, absque praevio fidei actu cujus capaces non sunt velut caussa efficiente. Haec autem est quae in adultis nascitur ex repetitis fidei actibus gratiae elicitis adjutorio.

IV. in *informem* et *formatam*. Informis reperitur in subjecto sanctificante gratia destituto; formata autem e contra in subjecto conjungitur cum gratia sanctificante. Videlicet, sicut anima humano corpori speciem, decorem, vitam, motum, vires, et completam hominis confert rationem, ita charitas ceteris virtutibns. Atque ita sicut anima recte dicitur et est forma corporis humani, sic charitas quae eadem cum gratia sanctificante est, omnium aliarnm virtutum ac proinde etiam fidei est forma.

V. demum dividitur fides in *vivam* et *mortuam*, quarum primam comitatur, alteram vero non comitatur mandatorum observatio. Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides mortua est sine operibus, ut Jacobus ait in ep. cath. cap. 2.

Pauca nunc adolenda de objecto materiali fidei. Nam de illius objecto formali agemus in subsequentibus. Jam ex logicis supponimus objectum materiale cujuslibet virtutis esse id circa quod illius actus versatur, ac propterea objectum materiale fidei est id circa quod versantur et occupantur actus credentis; seu brevius, est id quod creditur. Objectum autem materiale fidei duplex est, *remotum* nimirum et *proximum*. Remotum est illud de quo aliquid credimus, soletque vocari subjectum fidei: quod pariter duplex est, *primarium* et *secundarium*. Objectum ergo materiale remotum primarium virtutis fidei est Deus, quoniam circa Deum unum, trinum, incarnatum, creatorem, redemptorem, justificatorem etc. fides praecipue occupatur. Secundarium vero cetera sunt de quibus aliquid fide divina creditur, ut caelum, anima, angelus etc. Ast objectum materiale proximum fidei sunt propositiones omnes quae creduntur, quales istae sunt: Deus est unus in natura, et trinus in personis: Filius Dei assumpsit humanam naturam: Spiritus sanctus a Patre Filioque procedit etc.

Nunc in quaestionem trahere solent Theologi an propositio falsa esse possit objectum materiale fidei: quod idem videtur ac si quaeratur utrum assensu qui elicitur ex gratia ex virtute fidei et ob Dei loquentis auctoritatem, credere aliquid possimus quod falsum est. Qui Deum nec

per se nec per alium mentiri posse tenent, absque ulla haesitatione affirmant propositionem falsam, esse non posse supernaturalis fidei objectum: quod omnia argumenta quae summam Dei demonstrant veracitatem evincunt. Nonnulla tamen hic afferam quae magis decrete probant propositionem falsam esse non posse supernaturalis fidei objectum. I. ad fidei assensum eliciendum, necesse est ut adjuvemur a gratia, contra quam Pelagiani ac Semi-pelagiani sentiant. Ast numquid Dei gratia adjuvare nos potest ad assentiendum falsitati et errori? Absit. II. fides quamvis a voluntate imperata, est tamen virtus etiam intellectualis cujus officium est intellectum perficere. Ast si inclinare illa posset intellectum ad assentiendum propositioni falsae, non perficeret, sed corrumperet intellectum. III. nihil esse potest materiale fidei objectum quod Deus vel per se vel per subjectam creaturam locutus non sit. Quis autem nescit Deum nec per se nec per subjectam sibi creaturam revelare posse propositionem falsam? Pauca haec satis sunt ad suadendum propositionem falsam, esse non posse materiale fidei objectum. Addo his quod neque per accidens potest subesse fidei falsum. Nam Tridentina synodus sess. 6. cap. 9. aperte declarat fidem divinam talem esse cui *non potest subesse falsum*: neque inter falsum per se ac falsum per accidens ullo modo distinguit; quum neque falsum per accidens dici possit a Deo revelatum.

Sed adversus hanc communem inter Theologos sententiam objiciebat olim quidam lojolita nomine Praestonus: *Sufficit rustico et idiotae auctoritas Parochi, rusticus proinde obligatur ad credendum pastori sive articulum verum sive falsum proponenti. Imo peccat contra fidem si non credat quantum potest articulo falso*. Unde per accidens et ex parte credentis fidei divinae subesse potest falsum. II. et revera rusticus ille falsis assentitur articulis ex pio credulitatis affectu ac propter auctoritatem Dei revelantis. Si enim interrogetur qua de caussa credat, respondet ex casto amore aeternae veritatis. Si rursus ab eo quaeratur quid ipsum ad credendum moveat, iterum respondet, auctoritas Dei revelantis. Ast talis assensus nonne est verae fidei actus? III. imo talis rusticus articulum credendo falsum quem putat esse verum, meritum sibi comparat. Nam sequendo auctoritatem Parochi quem se doctiorem existimare debet, prudentissime agit.

Si tota haec ratiocinatio consistat, nemo unus plebejus ac rusticus homo qui inter haereticos versatur, ex fidei defectu damnabitur. Sub peccato namque infidelitatis assensum praebere tenentur propriis pastoribus, qui cum haeretici supponantur, nonnisi haereses tradere possunt tamquam articulos a Deo revelatos ovibus suis. Sed aliquid ad singula capita dicamus. Atque ad 1. Quomodo rusticus de quo in argumento, agit secundum fidem credendo articulum falsum, quum articulum falsum credendo agat contra fidem? Et e contra quomodo contra fidem peccat articulum non credendo falsum, quum articulum falsum non credendo agatur secundum fidem? Neque enim alio modo peccatur contra fidem, quam aut credendo quae prima veritas non revelavit, aut non credendo quae reve-

lavit. An Deus per os errantis aut haeretici pastoris loquitur dum rustico falsitatem credendam proponit?

Ad 2. Rusticus ille falsae assentitur doctrinae ex existimato, non vere pio credulitatis affectu, et propter existimatam, non veram Dei revelantis auctoritatem: quod ad legitimum fidei actum non sufficit. Nam si existimata Dei revelantis auctoritas et putatus primae veritatis amor ad fidei actum eliciendum satis essent, sequeretur omnes haereticos dum erroribus suis assentiuntur, veros elicere fidei actus: quia omnes de motivo assentiendi interrogati, respondent se credere propter auctoritatem Dei revelantis, et ex casto primae veritatis amore.

Ad 3. Rusticus articulum credendo falsum a Parocho sibi propositum, neque meretur neque prudenter operatur. Ille quippe nec meretur nec prudenter agit qui sua culpa in errorem rectae fidei contrarium se adduci patitur. Hoc porro facit rusticus ille. Nam si nullum patrasset peccatum per quod sic decipi mereretur, si nihil omisisset eorum quae facere debebat ut noxiam evitaret fallaciam, si eo modo ac tantum orasset quomodo et quantum orandum erat ne in errorem induceretur, si cor suum et vitam a peccatis pravisque affectibus satis expurgasset, si divinam legem exacte observare studuisset; Deus miris modis interius illuminando exteriusque praeservando, fecisset ne in errorem fidei contrarium induceretur. Dat namque Deus juxta Psalmistam, *metuentibus se significationem ut fugiant a facie arcus*, hoc est erroris. Probari haec facile possunt ex Jacobi ep. cap. 1. v. 5. Johan. cap. 7. v. 7. et cap. 8. v. 32. et ex Eccli. cap. 32. v. 18. et 19.

Inquiritur ulterius an ut propositio sit objectum materiale fidei, esse debeat in se ac expressis terminis revelata, an vero sufficiat revelatam esse in alia. Pro cujus intelligentia quaestionis animadverto, propositionem duobus modis esse posse in alia revelata, *formaliter* nempe et *virtualiter*. Dicitur propositio in alia formaliter revelata, quando vi significationis quam alia habet, in ipsa continetur. V. G. propositio haec, *Puer via ordinaria generatus peccavit in Adam*, formaliter in hac alia continetur propositione, *In Adam omnes via ordinaria generati peccaverunt*. Tunc autem una propositio continetur in alia virtualiter, quando non vi significationis, sed vi connexionis inter significatum unius et significatum alterius in alia continetur. Talis est connexio inter significatum istarum, *Deus non est auctor peccati*, et *Deus non praedeterminat physice ad materiale peccati*: unde haec non revelata continetur in illa revelata virtualiter. Animadverto praeterea propositionem quae in alia continetur et ex illa infertur, posse dupliciter spectari, scilicet *ut illata*, et *secundum se*. His praemissis.

Dico I. Propositio quae quocumque modo in alia revelata continetur et ex illa infertur, si spectetur dumtaxat *prout est illata*, non est de fide. Nam propositiones illatae non proponuntur ab Ecclesia ad credendum sub hac ratione, *prout sunt illatae*, sed sub hac, *prout sunt revelatae*. Neque enim fides nititur bonitate consequentiae, sed veritate revelationis.

Dico II. Propositio in alia de fide contenta si consideretur materialiter secundum se, est de fide dummodo in alia revelata contineatur formaliter. Non est tamen de fide si contineatur in alia propositione revelata dumtaxat virtualiter, quamdiu non fuerit ab Ecclesia declaratum esse de fide. Discriminis ratio est, quia propositio in alia de fide formaliter contenta, simpliciter est revelata. Qui enim dicit, *Omnes homines Christo ac B. Virgine exceptis in Adam peccaverunt*, dicit etiam, *hic homo in Adam peccavit*: quoniam qui nominat omnes quibusdam nominatim exceptis, nominat etiam singulos qui non sunt inter exceptos. E contra vero propositio virtualiter dumtaxat in alia de fide contenta, non est simpliciter revelata; nam dicere, *Deus non est auctor peccati*, vi significationis non est idem ac dicere, *Deus non praedeterminat physice ad materiale peccati*. Quare qui negat propositionem quae hac tantum ratione in alia de fide continetur, non est haereticus. Est tamen saepe tanta inter duarum propositionum significata connexio quarum una revelata non sit altera revelata, puta inter duas hasce propositiones, *Christus est homo*, et *Christus est visibilis*; ut qui eam negat quae in alia revelata virtualiter continetur, sit temerarius ac de haeresi suspectus. Quod de priori exemplo dici non potest.

Dixi propositionem in altera revelata virtualiter tantum contentam, non esse de fide donec ab Ecclesia talis non fuerit declarata. Et merito quidem id addidi. Nam posse hoc ab Ecclesia fieri, et exempla probant, et Spiritus sanctus assistentia ipsi a Christo ad fidei controversias dirimendas promissa. Verum quando Ecclesia decernit ejusmodi quaestiones esse de fide, declarat propositiones quae virtualiter in propositionibus revelatis videbantur contentae, contineri in illis formaliter.

Demum non inutilis est illa quaestio qua quaeritur utrum propositiones singulares sub universalibus de fide comprehensae, ad fidei objectum pertineant. Ejusmodi propositiones sunt hae aut similes: I. *Christus est vere ac realiter praesens sub hac individua hostia a me consecrata*. II. *Hic sacerdos potestatem habet absolvendi a peccatis*. III. *Ego presbyter potestatem habeo verum conficiendi Christi corpus*. IV. *Hic infans baptizatus est in statu gratiae*. V. *Pius VI. est verum visibile caput Ecclesiae*. VI. *Hic Sanctus ab Ecclesia canonizatus regnat cum Christo in caelis*. VII. *Anima mea est immortalis*. VIII. *Homo hic fuit aliquando originali peccato obnoxius*. Dico itaque allatas propositiones aliasque singulares sub universalibus revelatis comprehensas ad objectum fidei pertinere, quidquid in contrarium nonnulli catholici Theologi sentiant. Probatur autem haec assertio I. ex dictis paullo ante. Nam propositiones quae formaliter continentur ac revelatae sunt in aliis revelatis, sunt fide divina credendae; allatae autem aliaeque singulares propositiones continentur formaliter et in aliis revelatae sunt universalibus, videlicet in istis: In omni consecrata hostia Christus est vere ac realiter praesens: Omnis sacerdos rite ordinatus potestatem habet absolvendi et Christi corpus conficiendi; Omnis puer baptizatus est in statu gratiae: Omnis san-

ctus rite canonizatus cum Christo regnat in caelis : Omnis Romanus Pontifex qui canonice electus est, caput est visibile Ecclesiae : Omnis rationalis anima est immortalis : Omnis qui via ordinaria generatus est, obnoxius aliquando fuit originali peccato : quae omnes propositiones habitae semper sunt tamquam a Deo revelatae. II. si allatae singulares propositiones non sunt de fide credendae, sequitur numquam esse Christum in Eucharistia adorandum; neque enim adorandus sub illa hostia foret sub qua esse non crederetur fide divina : quod verum est in adversariorum sententia. Sed sequeretur etiam non esse de fide divina, vel quod in Ecclesia potestas sit absolvendi et consecrandi, vel quod Ecclesia habuerit unquam visibile caput, vel quod ulli dentur in caelo beati; et sic porro de ceteris eodem argumento proxime allato. III. si qua esset ratio affirmandi singulares illas propositiones non esse de fide, illa maxime esset quod singulae supponant aliquid quod non est revelatum : in hac puta propositione, *In hac hostia Christus est realiter praesens*, supponitur hostiam hanc esse revera consecratam, quod non est revelatum. Idem dicas de reliquis. Ast ratio illa de nihilo est. Nam si nihil potest de fide divina credi quod aliquid supponit non revelatum, sed sola ratione aut solo sensu cognitum, sequitur nullum penitus fidei articulum credendum esse fide divina. Omnis quippe fidei assensus supponit scientiam revelationis illius articuli et scientiam existentiae Dei. Si autem revelationis ac existentiae Dei suppositio (quod utrumque per solam scientiam esse potest cognitum,) non impedit quominus fide divina propositionibus assentiamur quae sunt de fide; neque suppositio quod haec hostia sit consecrata impedit quominus fide divina credatur Christum esse in hac hostia praesentem, quamvis hostiam esse consecratam per Dei revelationem non noverim. Eodem modo de ceteris discurrendum est propositionibus. Quae adversus haec opponere possunt adversae sententiae patroni, facilem ex dictis habent solutionem. Omnia quippe illorum argumenta eo collimant ut demonstrent singulares illas propositiones in universalibus revelatis non contineri formaliter: quod falsum esse jam demonstravimus. Ad reliqua igitur est descendendum.

CAPUT III.

De objecto materiali fidei in particulari.

Hactenus egimus de objecto materiali fidei universim et in communi, ut ex disputatis apparet. Nunc breviter de ejusdem fidei pertractandum est objecto materiali in particulari. Omnia fidei objecta in tres veluti classes dividi possunt; alia nimirum sunt *fidei*, alia *de fide*, alia *articuli fidei*. Objecta seu res fidei sunt omnia quae fide divina credibilia sunt; quae scilicet eatenus saltem revelata sunt, quatenus aliquando ab Ecclesia definiri possunt. De fide autem sunt omnia illa quae a Deo revelata sunt, et ab Ecclesia jam tum pro rebus fidei agnita sunt vel de-

finita, quibus proinde nemo qui Ecclesiam cognovit absque haeresis nota refragari potest. Articuli denique fidei sunt capitales quaedam veritates primario ac per se ad fidem spectantes, et specialem habentes ad credendum difficultatem. Porro primario ac per se ad fidem spectant quae nos ad vitam aeternam directe ordinant, quorumque visione fruemur in caelesti patria. Habent autem specialem ad credendum difficultatem quae ob propriam aliquam rationem quae in aliis non reperitur, creditu difficilia sunt. Ita mysterium incarnationis et caput de trinitate duo sunt distincti articuli fidei; quoniam Verbi incarnatio praeter difficultatem quam trinitas includit, peculiarem aliam habet difficultatem quae mysterium creditu difficile reddit. E contra passionis, crucifixionis, mortis ac sepulturae Christi fides, unum dumtaxat constituit articulum, quoniam in omnibus istis unius modi est credendi difficultas. Hoc itaque in capite non de primi aut alterius generis objectis, sed de objecto tertii tantum generis, videlicet de articulis fidei disseremus. Ac de his quaeremus 1. An successu temporis creverint. 2. An fideles Christo propinquiores illorum habuerint fidem explicatiorem quam nos. 3. Quinam articuli principem teneant locum, et an sint numero plures quam in symbolo contenti. 4. Demum cur primi fidei magistri expresse non recensuerint in symbolo nonnulla maxima fidei mysteria.

Ad prioris intelligentiam quaestionis animadvertendum est duplici modo intelligi posse quod nostrae fidei articuli creverint, nempe vel secundum substantiam vel secundum explicationem. Crevissent nostrae fidei articuli secundum substantiam, si quod aliquando minime revelatum erat nec explicite nec implicite, successu temporis fuisset a Deo revelatum. Crevissent autem quoad explicationem dumtaxat, si quod olim fuit a Deo revelatum implicite in aliquo fidei articulo, postea per Apostolos et Ecclesiam magis magisque fuerit explicatum, et ad explicite credendum propositum. Animadverto praeterea institui quaestionem illam posse de aetate quae vel praecessit vel subsequuta est Christi Domini adventum. Cardinalis Laurea, l' Herminier, paucique alii tenent a mundi initio usque ad tempora Christi fidem semper successive crevisse per novas revelationes, non item post Spiritus sancti descensum in die Pentecostes ad usque nostra tempora. E contra communis Theologorum sententia post magistrum S. Thomam, Scotum, ac nostrum Ægydium affirmat unam semper a mundi initio usque ad nostram hanc aetatem fuisse fidem quoad substantiam, crevisse autem succedente tempore quoad explicationem dumtaxat, sive accidentaliter.

Pro alterius quaestionis explicatione observo tantum, sensum esse an Apostoli et qui propinquiores Christo fuerunt, eadem mysteria ac dogmata quae nobis nota sunt, clarius explicatiusque perspexerint. Cetera controversiae capita nulla indigent animadversione. Ad rem itaque.

CONCLUSIO I.

Articuli nostrae fidei ab initio mundi usque ad postrema tempora, semper iidem quoad substantiam fuerunt, licet creverint quoad explicationem.

Prob. prior th. pars I. Scripturis. Apostolus ad Hebr. cap. 11. inquit: *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Et infra: *Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus.* Et in 2. ad Cor. cap. 4. subdit: *Habentes eumdem spiritum fidei.* Actor. cap. 4. ait Petrus: *Non enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Jam vero fides sine qua impossibile est placere Deo, et per quam salvi facti sunt etiam fideles V. Testamenti, eadem juxta Scripturas in illis fuit ac in nobis. Habebant enim eumdem spiritum fidei, ac salutem consequebantur et ipsi in nomine futuri Jesu. Non erat eadem quoad explicationem, ut per se patet: eadem itaque erat quoad substantiam. II. ex PP. dicente magno Augustino Tract. 45. in Johan. ubi de veterum fide loquitur: *Tempora variata sunt, non fides*, intellige quoad substantiam. III. declaratur simul ac demonstratur eadem prop. pars. V. Testamenti fideles explicite crediderunt saltem unius Dei existentiam, ejusque super creaturas suas providentiam: ex quo colligitur eamdem nobiscum habuisse fidem quoad substantiam. Nam sub priori articulo saltem implicite fides involvebatur omnium quae Deum unum ac trinum respiciunt: sub altero similiter fides continebatur remunerationis bonorum malorumque punitionis: atque adeo omnium quae ad salutem necessaria sunt mediorum; inter quae et conceptio computatur et nativitas et passio et mors et resurrectio Salvatoris; quae proinde et ipsa a V. Testamenti fidelibus implicite credebantur. Alio etiam ex capite, credebant implicite in mediatorem qui meriti esset infiniti; atque idcirco credebant implicite etiam in trinitatem. Habebant scilicet fidem peccati originalis pro quo sciebant aliquem tandem fore satisfacturum. Quare si de fide loquamur secundum substantiam, una eademque plane semper fuit in fidelibus tam veteris quam novi Testamenti. IV. quod una vero semper fuerit fides quoad substantiam ab Apostolis ad hanc usque nostram aetatem, demonstratione non indiget, quum ab adversariis non revocetur in dubium. Illud tantum animadverto, quod Christus Johan. cap. 16. dixit Apostolis: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Ast si articuli fidei successu temporis quoad substantiam crevissent, Spiritus S. non docuisset Apostolos omnem veritatem: atque ita novae admittendae forent in Ecclesia revelationes, quod nemo affirmaverit.

Prob. alt. prop. pars I. ab initio mundi usque ad Christum hoc modo. Fidei nostrae articuli clarius et enucleatius propositi ad credendum fuerunt recentioribus veteris Testamenti fidelibus quam antiquioribus ejus-

dem V. Testamenti fidelibus. Nam multa revelata fuerunt Noë quae revelata non fuerant antediluvianis. Plura Abrahamo quam Noë, majora Moysi quam Abrahae, sicque de ceteris. Novae autem hae revelationes non novos continebant articulos fidei, ut de Laurea arbitratur, sed erant revelationes fidem magis explicantes. II. ab Apostolis ad usque postrema tempora, Ecclesia progrediente tempore sive Conciliis congregata sive per orbem dispersa, multas edidit circa fidei articulos dogmaticas definitiones. Quid autem sunt hae definitiones nisi novae explicationes articulorum qui olim traditi sunt a Spiritu S. Apostolis, ab Apostolis primis Ecclesiae fidelibus, et ita porro deinceps? Explico id verbis Tridentini concilii, quod sess. 6. in proëmio sic habet: *Sacrosanta ... Tridentina synodus ... exponere intendit omnibus Christi fidelibus veram sanamque doctrinam ipsius justificationis quam sol justitiae Christus Jesus, fidei nostrae auctor et consummator docuit, Apostoli tradiderunt, et catholica Ecclesia Spiritu S. suggerente, perpetuo retinuit*. Hoc idem repetit agens de Eucharistia ac de canone Scripturarum. Quod Tridentina synodus adversus Lutheranos et Calvinistas fecit, praestitere quoque concilia, Nicaenum contra Arianos, C-P. I. adversus Macedonianos, Ephesinum contra Nestorianos etc.

COROLLARIUM.

Sequitur ex dictis recentiores haereticos Romanae Ecclesiae imponere, dum inquiunt nos fidem nostram omnino immutasse ac deturpasse. Nam ex hactenus disputatis colligitur mutationem, si tamen mutatio appellari potest, esse uiere accidentalem, non substantialem; hoc est consistere in luculentiori articulorum declaratione, quod plane necessarium fuit ad haereticorum frangendam pertinaciam. Cumque Lutherani et Calvinistae octo priora concilia reprehendere non audeant quod fidem enucleatius adversus tunc grassantes haereses explicaverint, cur Tridentinum damnare audent concilium ac integram Romanam Ecclesiam quod veterum secuta exemplum potestatem a Deo acceptam exercuerit?

CONCLUSIO II.

Fideles Christo propinquiores explicatiorem habuere fidem quam nos omnium mysteriorum.

Prob. 1. ex sacris literis. Johan. cap. 16. ita Christus alloquitur Apostolos: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Paulus in 1. ad Cor. cap. 2. de sapientia sua admodum mirifice loquitur dicens: *Sapientiam loquimur inter perfectos; sapientiam vero non hujus saeculi ... sed loquimur Dei sapientiam in mysterio*, cum iis quae ibi sequuntur. Idem in ep. ad Eph. cap. 3. *Secundum revelationem*, inquit, *notum mihi factum est sacramentum ... prout potestis legen-*

tes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi etc. Sane illi explicatiorem prae nobis habuere mysteriorum fidem, quibus proxime et immediate revelata a Spiritu sancto est omnis veritas, sapientia Dei in mysterio, et prudentia mysteriorum Christi: Porro id factum est cum Apostolis ac discipulis aliisque fidelibus qui proximiores fuerunt Christo: Ac proinde explicatiorem habuere prae nobis fidem.

Prob. 2. ex S. Thoma qui q. 1. art. 1. ad 4. ait: *Illi qui fuerunt propinquiores Christo, vel ante ut Johannes Baptista, vel post sicut Apostoli, plenius mysteria fidei cognoverunt: quia et circa statum hominis hoc videmus, quod perfectior est in juventute, et tanto homo habet perfectiorem statum, quanto est juventuti propinquior.*

Prob. 3. ratione. Habet vulgare proloquium etiam in Evangeliis receptum, non esse discipulum supra magistrum: Ecclesia autem discipula est, Apostoli vero ac discipuli Domini magistri: Adeoque clarior in iis debuit esse fides.

CONCLUSIO III.


Praecipui fidei nostrae articuli continentur in symbolo Apostolorum, licet explicite plures sint quam illi duodecim in symbolo comprehensi.

Prob. prior th. pars. Praecipui fidei nostrae articuli ii sunt qui ad unitatem, trinitatem Dei, Verbi incarnationem ac mortem, nostrumque in futura vita statum pertinent. Verum omnes hi articuli sive explicite sive implicite in symbolo continentur Apostolorum, ut illud legentibus constat. Dixi sive explicite sive implicite nostrae fidei articulos in symbolo contineri, quoniam unitas Dei, Verbi incarnatio ac mors, et futurus noster in altera vita status explicite quidem in symbolo sunt, sed trinitas personarum non adeo clare ibi exprimitur; quum aliqua indigeamus ad illam ibi inveniendam ratiocinatione.

Prob. altera pars. Articuli fidei sunt quaedam veritates quae primario ac per se ad vitam conferunt aeternam, et specialem ad credendum habent difficultatem. Hujusmodi autem veritates plures sunt quam illae duodecim in Apostolorum symbolo expressae, eaeque sunt mysteria trinitatis, incarnationis, eucharistiae, originariae culpae transfusio, numerus septenarius sacramentorum etc. quorum dogmatum nullum in symbolo Apostolorum explicite continetur.

SCHOLION

Fatendum tamen est recensita illa fidei capita ad symboli articulos posse reduci. Nam mysterium trinitatis refertur ad primum quo credimus in unum Deum. Dogma originalis peccati refertur ad incarnationem cui illud caussam dedit. Mysterium eucharistiae partim ad omnipotentiam refertur, partim ad articulum de Spiritu sancto ac de peccatorum remissio-



ne. Ad eamdem remissionem peccatorum refertur fides septem sacramentorum. Omniscientia vero et providentia sub ejus comprehenditur omnipotentia; neque enim Deus esset omnipotens nisi nosset omnia omnibusque provideret. Vide S. Thomam art. 8.

CONCLUSIO IV.

Caussa cur primi fidei nostrae magistri recensita mysteria explicite in symbolo non apposuerint, fuit disciplina arcani.

Prob. Extitisse antiquitus, a tempore scilicet Apostolorum usque ad saeculi V. finem, in Ecclesia disciplinam *arcani* qua studiose occultabatur Judaeis atque gentilibus et etiam catechumenis doctrina sacramentorum ac praesertim eucharistiae, res magis per se nota est quam indigeat argumentis confirmari; unde illud apud graecos latinosque Patres frequentissimum, *Norunt initiati vel norunt fideles*, quoties de mysteriis illis sermo erat. Legatur Clemens alexandrinus lib. 5. Strom. Cyrillus hierosolymitanus cat. 4. Gregorius nazianzenus orat. 40. aliique graeci atque latini. Ob hanc ergo disciplinam *arcani* expressa clare non erant in symbolo dogmata illa superius recensita. Hinc Innocentius I. in ep. ad Decent. loquens de Sacramentis, *Amplius*, inquit, *dicere non possum, ne magis prodere videar quam ad consultationem respondere*. Ambrosius initio libri de initiandis scribit: *Sacramentorum rationem ante baptismum si putassemus insinuandam nondum initiatis, prodesse potius quam edidisse existimaremus*. Cyrillus alexand. lib. 7. adv. Julianum loquens de fidei nostrae mysteriis ait: *Dicerem de his, nisi vererer aures non initiatorum*. Occultatum fuisse infidelibus mysterium trinitatis testes sunt Origenes lib. 1. cont. Cels. Chrysostomus hom. 40. in 1. ad Cor. Cyrillus hierosol. cat. 6. et alii.

Nonnullae difficultates enodantur.

Obj. 1. cont. 1. th. Multo plura revelavit Deus Abrahamo quam Noë et antediluvianis hominibus, ac longe majora etiam revelata fuerunt Moysi quam Abraham. Quamobrem fides successu temporis crevisse videtur quoad substantiam. II. in Ecclesia Romana multa de fide creduntur quae antea de fide non erant, puta epistolas Jacobi, Judae, Pauli ad Hebraeos esse canonicas, Sanctos statim post mortem intuitiva frui Dei visione, sacramenta esse numero septem. Hi ergo articuli fidei creverunt. III nec mirum. Quum enim Ecclesia Spiritum sanctum habeat assistentem, cur nova cudere non potest fidei dogmata? IV. praesertim cum Scriptura et Traditio aliquando adeo obscura sint, ut ex illis nequeat expiscari sensus absque nova revelatione.

Resp. ad 1. Revelationes quae factae fuerunt Noë, Abrahamo, Moysi, non fuerunt nisi explicationes illorum dogmatum quae ab initio revelata fuerant primis fidelibus. Relege quae paullo supra diximus.

Ad 2. Dogmata in argumento recensita habita sunt et credita semper in Ecclesia tamquam de fide, quoniam non subobscure in Scripturis et luculentissime in Traditione continentur. Quod ab aliquibus de uno vel altero dogmate dubitatum sit, demonstrat dumtaxat iis qui dubitarunt, non satis explorata fuisse aut sensum Scripturae aut Traditionem circa punctum illud de quo dubitarunt. Quae duo quum successu temporis data occasione magis diligenter fuerint a fidelibus ad examen revocata, factum est ut dogmata illa de quibus a nonnullis fuerat aliquando dubitatum, non amplius in dubium revocarentur. Hoc autem non est fidem quoad substantiam crevisse.

Ad 3. Ecclesia utique habet Spiritum sanctum assistentem, sed in proponendis ac explicandis fidei dogmatibus, non ut nova condat fidei dogmata.

Ad 4. Etsi Scripturae Traditionisque sensus aliquando obscurus sit et implexus, non proinde tamen necesse est ut dogma quod in Scriptura et Traditione inquiritur, de novo reveletur: sed Spiritus sancti assistentia satis est ne Ecclesia in eo expiscando sensu decipiatur.

Obj. 2. cont. alt. th. Ut Apostoli controversiam circa legalia ortam definirent, necesse fuit ut in unum convenirent ad videndum de verbo hoc, ut legitur Actor. cap. 15. Falsum est itaque eos qui propinquiores Christo fuerunt, explicatiorem habuisse fidem. II. et quidem plura sunt modo fidei dogmata quae explicite credenda sunt, et circa quae sufficiebat olim fides implicita.

Resp. ad 1. Quod in Actis de Apostolis narratur, demonstrat solummodo exemplo suo voluisse eos docere Ecclesiam quod in maximis fidei controversiis convocari universalia concilia debeant ad eas dirimendas. Nam Apostoli erant Ecclesiae magistri, ac Spiritum sanctum visibili signo receperant in die Pentecostes.

Ad 2. Argumentum hoc demonstrat nostram fidem modo explicatiorem esse quam prioribus Ecclesiae temporibus fuerit, quod nos non inficiamur, non vero demonstrat fidem nunc explicatiorem esse nobis quam fuerit fidelibus Christo propinquioribus. Porro fidelium Christo propinquiorum nomine intelligimus Apostolos et apostolicos viros: qui cum fidem ex ore Christi excepcrint, in eaque magis perfecti fuerint a Spiritu sancto in die Pentecostes, crediderunt proculdubio clarius et explicatius in omnia fidei dogmata.

CAPUT IV.

De symbolo Apostolorum.

Symbolum graeca vox est quae latine significat *collationem*. Hoc autem nomen multifariam sumitur a veteribus. Et 1. quidem sumitur pro *nota* arcanum aliquod significante mysterium. 2. Pro facta a pluribus collatione ciborum in coenam, vel pecuniarum in potationem absumendam; unde Prov. cap. 23. dicitur: *Vacantes potibus, et dantes symbola con-*

sumentur. 3. Pro brevi quadam sententia quidpiam reconditum significante, qualibus symbolis pythagorica philosophia abundavit. 4. Pro tessera militari qua socii ab hostibus et exploratoribus dignoscuntur; vel etiam pro quolibet signo de quo aliqui inter se convenerunt. In praesentiarum autem penes nos symbolum nihil aliud est quam *breviter complexa regula fidei ut mentem instruat, nec oneret memoriam*, verba sunt S. P. Augustini serm. 213. de temp. alias 119. cap. 1. Vel ut inquit serm. 59. de Script. alias 135. de temp. cap. 1. *Est regula fidei vestrae brevis et grandis: brevis, numero verborum; grandis, pondere sententiarum*. De variis nominis hujus significationibus vide Cardinalem Bona de Div. psalmod. cap. 16. Symbolum ergo quod Apostolorum dicitur, quodque incipit, *Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem etc.* est brevis fidei nostrae regula per quam fideles veluti certo signo ac tessera ab infidelibus et haereticis distinguuntur.

De hac fidei regula seu symbolo multa disputare solent eruditi. Et 1. quidem an compositum fuerit ab Apostolis. 2. Quomodo fuerit ab iis compositum. 3. Quo tempore et fine illud adornaverint. Et quoad primum quaestionis caput, Laurentius Valla, Erasmus, Dupinius ex catholicis, Brentius autem, Calvinus, Vossius, nonnullique alii ex haereticis fatentur quidem symbolum dici apostolicum quod apostolicam contineat doctrinam, sed negant fuisse ullo modo ab Apostolis elucubratum. Communis autem Theologorum sententia tenet symbolum opus esse genuinum Apostolorum. Quoad alteram quaestionem, Auctor serm. de symb. qui censetur inter subdititia opera Augustini, S. Leo in ep. ad Pulcher. et Innocentius III. lib. 2. myst. Missae, tradunt singulos Apostolos singulos symboli articulos concinnasse. Plerique tamen affirmant post Ratbertum Paschasium, Apostolos in digerendo symbolo in unum convenisse, ac contulisse sententias quomodo in generalibus conciliis fieri a Patribus solet. Circa tertiam quaestionem arbitratur Baronius symbolum editum fuisse ab Apostolis anno secundo Claudii. Rufinus autem aquilejensis et Isidorus hispalensis editum tenent statim post Spiritus sancti descensum super Apostolos. Omnes denique conveniunt eo fine fuisse elucubratum, ut esset praedicationis norma, catechesis baptizandorum, atque institutio Ecclesiae. Quaenam nostra sit circa singula sententia, sequentes aperient propositiones. Sit itaque

CONCLUSIO I.

Symbolum quod Apostolorum dicitur, ab ipsis Apostolis conditum fuit.

Prob. 1. ex Traditione. Nam Ecclesia semper quovis saeculo credidit apostolicum symbolum sic nuncupari, non solum quia doctrinam continet Apostolorum, ut adversarii contendunt, sed etiam quod fuerit ab Apostolis conditum. Irenaeus quippe Polycarpi auditor qui discipulus Johannis evangelistae fuit, lib. 1. adv. Haer. cap. 10. inquit: *Ecclesia tametsi per universum orbem usque ad extremos terrae fines dispersa, fidem eam ab*

Apostolis eorumque discipulis acceptam, quae est in unum Deum Patrem omnipotentem etc. totumque hic contracta oratione symbolum recitat. Tertullianus lib. de velan. Virgin. cap. 1. ait: *Regula fidei una est, omnino sola, immobilis et irreformabilis, credendi scilicet in unicum Deum omnipotentem*, integrumque in epitomen redigit apostolicum symbolum: quod idem praestitit quoque in lib. de Praescr. cap. 13. Capite autem 21. inquirens unde Ecclesia regulam illam acceperit, subdit: *Superest ergo ut demonstremus an haec nostra doctrina cujus regulam supra edidimus, de Apostolorum traditione censeatur, et ex hoc ipso an ceterae de mendacio veniant*. Quaestionem autem hoc modo resolvit ibid. cap. 37. *Si haec ita se habent, ut veritas nobis adjudicetur quicumque in ea regula incedimus quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo* etc. Hic certe non loquitur Tertullianus universim de fidei doctrina in symbolo contenta, sed de symbolo ipso. Loquitur namque de fidei regula quam ter recitaverat juxta apostolicum symbolum. Cumque dicat Ecclesiam eam accepisse regulam ab Apostolis, sequitur Apostolos symbolum condidisse. Hoc idem repetit in lib. adv. Praxeam cap. 2. scribens: *Hanc regulam ab initio Evangelii decurrisse etiam ante priores quosque haereticos necdum ante Praxeam hesternum, probabit tam ipsa posteritas quam ipsa novellitas Praxeae hesterni*. Ubi sermonem facere Tertullianum de symbolo, non solum ex nomine *regula* patet, sed etiam ex quo capite sequenti animadvertat multos ex infidelibus ad fidem conversos, audientes post baptismum expressum Trinitatis mysterium, admiratos fuisse quod regula ante baptismum ipsis tradita mysterium illud non contineret: *Simplices enim fideles, ne dixerim imprudentes et idiotae quae major semper credentium pars est, quoniam et ipsa regula fidei a pluribus diis saeculi ad unum verum Deum transfert, non intelligentes unicum quidem, sed cum sua oeconomia esse credendum; expavescunt ad oeconomiam numerum et dispositionem Trinitatis, divisionem unitatis praesumunt*. Ita Tertullianus. S. autem Ambrosius serm. ultimo de jejun. Eliae, ita de symbolo loquitur: *Ista autem ipsa clavis quam fidei dicimus, videamus quemadmodum constet, quemadmodum solida sit. Arbitror illam duodecim artificum operatione conflatam; duodecim enim Apostolorum symbolo fides sancta concepta est, qui velut periti artifices in unum convenientes, clavim suo symbolo conflaverunt: clavim enim quamdam ipsum symbolum dixerim, per quam reserantur diaboli tenebrae, et lux Christi advenit*. Et in ep. ad Siricium eos refellens haereticos qui B. Mariae negabant virginitatem, inquit: *Quod si doctrinis non creditur sacerdotum ... credatur oraculis Christi, credatur monitis Angelorum dicentium, Quia non est impossibile Deo omne verbum; credatur symbolo Apostolorum dicenti, Christum natum ex Maria Virgine: quod Ecclesia Romana intemeratum custodit et servat*. Ubi quum Siricii doctrinam symbolo opponat Ecclesiae Romanae, symboli nomine intelligi nequit fidei doctrina ab Apostolis tradita, sed intelligi debet fidei symbolum ab Apostolis elucubratum. Ambrosium excipit Rufi-

nus aquilejensis qui in symboli expositione a se adornata inquit: *Tradunt majores nostri post ascensionem Domini, cum per adventum Spiritus sancti supra singulos quosque Apostolos igneae linguae sedissent ... praeceptum eis a Domino datum hoc ad praedicandum Dei verbum ad singulas quemque proficisci nationes. Discessuri itaque ab invicem, normam sibi prius futurae praedicationis constituunt* etc. Rufinus ergo a traditione majorum accepit symbolum dici apostolicum quod fuerit ab Apostolis conditum. Neque majorum nomine intelligi popularis traditio potest, ut fidenter affirmat Dupinius. Nam S. Hieronymus cui Rufini sententiae et opiniones raro admodum arridebant, in hoc cum eodem Rufino plenissime convenit. In ep. quippe ad Pammachium, *In symbolo fidei*, inquit, *et spei nostrae, quod ab Apostolis traditum non scribitur in charta et atramento, sed in tabulis cordis carnalibus, post confessionem Trinitatis et unitatem Ecclesiae omne christiani dogmatis sacramentum carnis resurrectione concluditur*. Caelestinus R. P. in ep. ad Nestorium scribit: *Symbolo ab Apostolis tradito plangimus haec verba fuisse sublata, quae nobis totius spem vitae salutisque promittunt*. S. Leo serm. 2. de pass. Dom. ait: *Ipsa catholici symboli brevis et perfecta confessio quae duodecim Apostolorum totidem est firmata sententiis*. S. Maximus martyr hom. de trad. Symb. *Apostoli Ecclesiae ipsi mysterium symboli tradiderunt, ut quia sub uno Christi nomine credentium erat futura diversitas, signaculum fidei inter fideles perfidosque secerneret*. Cassianus lib. 3. de Incarn. *Collata ab Apostolis Domini totius catholicae legis fide, quidquid per diversum divinorum voluminum corpus immensa funditur copia, totum in symboli colligitur brevitate perfecta*. Ex hactenus recitatis colligitur nullum extitisse saeculum in quo celebris aliquis scriptor symboli non meminerit Apostolorum eo sensu ut fuerit ab Apostolis concinnatum, nemine numquam in contrarium quidquam mussitante. Qua ergo fronte intemperantes nonnulli critici Apostolis illud modo abjudicant?

Prob. 2. non absimili argumento. *Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum certissime creditur*; regula est a S. P. Augustino lib. 4. cont. Donat. cap. 24. tradita. Porro universa modo retinet Ecclesia semperque retinuit apostolicum symbolum fuisse ab Apostolis traditum, nullumque assignari potest concilium in quo sit constitutum: Adeoque dicendum superest venire ab Apostolis. Quod modo universa Ecclesia symbolum retineat Apostolorum tamquam ab ipsis compositum, demonstratione non indiget quoniam experimento constat. Quod Ecclesia semper ita crediderit veterum demonstrant testimonia hactenus recitata. Quod demum symbolum a nullo fuerit concilio statutum adversarii fatentur.

Prob. 3. ex quo contraria a nostra sententia tamquam temeraria notata fuerit ab academia Parisiensi in cens. praefat. Erasmi ad paraphr. in Matth. a facultate Colon. adv. Monhemium, a Genebrardo in 3. de Trin. a Sixto Senensi lib. 2. Bibli. sanctae, aliisque.

CONCLUSIO II.

Probabile est Apostolos symbolum condidisse in commune consulentes.

Prob. ex phrasi qua veteres utuntur ubi de apostolico symbolo loquuntur. Ambrosius laudato supra serm. de jejunio Eliae inquit: *Duodecim Apostolorum symbolo fides sancta concepta est, qui veluti periti artifices in unum convenientes, clavim suo symbolo conflaverunt*. Rufinus aquilejensis et ipse in expos. symboli ait: *Omnes igitur in uno positi et Spiritu sancto repleti, breve istud futurae sibi, ut diximus, praedicationis indicium, in unum conferendo, quod sentiebat unusquisque componunt* etc. Rathertus Paschasius praef. in lib. de Spiritu sancto inquit: *Hanc* (fidem catholicam) *apostolica solicitudo atque perfectio, sicut per sanctas paginas dilataverat, ita per symboli salutare mira brevitate collegit, et tamquam per diversas remediorum species disposuit in corpus unum, ac veluti ex innumeris aromatibus pretiosum confecit unguentum*.

CONCLUSIO III.

Incertum est tempus quo Apostoli symbolum ediderunt, finis autem cur illud condiderint non unicus est.

Prob. prior th. pars. Rufinus aquilejensis in citata expos. post illa verba, *Tradunt majores nostri post ascensionem Domini* etc. addit, ut vidimus, *Discessuri itaque ab invicem, normam sibi prius futurae praedicationis constituunt*. Ex quibus apparet symbolum editum ab Apostolis fuisse statim post descensum Spiritus sancti. Quod idem affirmat etiam Isidorus hispalensis. E contra vero putat Baronius tunc Apostolos edidisse symbolum, quando abituri erant inter gentes ad praedicandum Evangelium. Cumque probabile sit accidisse id anno secundo Claudii quo tempore Petrus conjectus fuit in carcerem, hinc arbitratur hoc anno fuisse symbolum exaratum. Utraque opinio suam habet probabilitatem, adeoque incertum est tempus quo Apostoli symbolum condiderunt.

Prob. altera pars. I. Apostoli symbolum ediderunt ne alii aliam traderent gentilibus doctrinam. II. ut in Ecclesia certa esset fidei formula tradenda catechumenis. III. denique ut Catholici per symbolum a judaeis gentilibus et haereticis secernerentur. Has omnes finales caussas affert Rufinus in expositione symboli.

Dispelluntur quae contra statutas theses facere videntur.

Obj. 1. adv. 1. th. Rufinus primus est ac solus inter V. saeculi scriptores qui symbolum ab Apostolis adornatum fuisse affirmet. Non valet itaque ad fidem faciendam ipsius auctoritas. II. idem Rufinus non admodum constans in ea opinione videtur. Nam initio inquit symbolum con-

ditum fuisse ab Apostolis, deinceps vero addit: *Qui symbolum tradiderunt*. III. qui de apostolico symbolo cum Rufino consentiunt, quum nec de tempore quo symbolum fuit editum, nec de fine cur editum fuerit inter se conveniant, nullam plane merentur fidem. IV. imo iidem scriptores discrepant etiam ab invicem et a Rufino in symbolo ipso recitando. Diversimode quippe apud Irenaeum Tertullianum atque Rufinum legitur: quod argumento est singulas Ecclesias singula symbola sibi concinnasse juxta doctrinam apostolicam.

Resp. ad 1. Vossium atque Dupinium non satis diligenter veteres consuluisse scriptores. Quod si fecissent, ea invenissent in illis quae nos paullo supra protulimus, nec tam fidenter affirmassent primum ac solum opinionis nostrae testem esse Rufinum. His accedit quod Rufinus ad traditionem provocat majorum, quae verba popularem non denotare credulitatem probavimus ubi illius sententiam recitavimus.

Ad 2. Nimis futilis est conjectura illa Dupinii. Verba enim haec, *Qui symbolum tradiderunt*, relationem habent ad antecedentia in quibus bis ac tertio dixerat Apostolos symbolum composuisse.

Ad 3. Quoniam antiqui scriptores de tempore ac fine non conveniunt conditi symboli, non sunt pro lubitu tempus aut finis determinanda. Et e contra quoniam conveniunt Apostolos symbolum condidisse, tuto affirmari potest symbolum opus esse genuinum Apostolorum. Ceterum falsum est non convenire priscos scriptores de fine cur editum fuerit symbolum. Nam quum multae fuerint finales caussae, unus unam, alius in medium affert aliam. Quoad tempus autem minima est inter Baronium aliosque discrepantia: et in hoc conveniunt omnes ut velint post Spiritus sancti descensum super Apostolos symbolum fuisse exaratum. Sive autem paullo ante sive paullo post id acciderit, res est nullius momenti.

Ad 4. Veteres scriptores non symbolum ad literam, sed sensum expositionemque symboli quod memoriter omnes sciebant, recitarunt. Atque hinc est ut diversimode penes multos legatur. Hujus autem rei ratio est 1. quoniam Apostoli symbolum in literas non retulerunt, sed tradiderunt tantum oretenus. 2. Quoniam veteres religioni duxerunt, *ne scriberetur in charta vel atramento, sed in tabulis cordis carnalibus*, ut inquit Hieronymus in ep. ad Pammachium: quod idem Rufinus dixerat in exposit. symboli: *Idcirco haec symboli capita non scribi chartulis aut membranis, sed requiri credentium cordibus tradiderunt, ut certum esset haec neminem ex lectione quae interdum etiam pervenire ad infideles solet, sed ex Apostolorum traditione didicisse*. 3. Imo indubitatum est Episcopos ad hoc vetasse catechumenis ne symbolum sibi exscriberent, ut facilius memoriter illud discerent; uti ex Augustino patet qui serm. 212. de Temp. alias de Divers. 75. catechumenos alloquens ait: *Nec ut eadem verba symboli teneatis, ullo modo debetis scribere, sed audiendo perdiscere: nec cum didiceritis, scribere, sed memoria semper tenere atque recolere. Quidquid enim in symbolo audituri estis, in divinis sacrarum Scripturarum literis continetur. Sed quod ita collectum et in formam*

quamdam redactum non licet scribi, commemoratio fit promissionis Dei, ubi per Prophetam ... dicit Dominus, dando legem meam in mente eorum, et in corde eorum scribam eam. Hujus rei significandae caussa, audiendo symbolum discitur: nec in tabulis, vel in aliqua materia; sed in corde scribitur. Ex his apparet primis Ecclesiae saeculis omnes ac singulos fideles memoriter scivisse symbolum: quod Patres supponentes, symbolum tradebant ad sensum et cum appositis explicationibus adversus gliscentes haereses facientibus.

Obj. 2. adv. eamd. prop. Priorum saeculorum Patres adversus haereticos dimicantes numquam usi sunt auctoritate symboli Apostolorum: quod plane fecissent si symbolum opus germanum illorum credidissent. II. imo Ecclesia computasset illud inter canonica scripta, aut illius saltem meminisset Lucas in actis Apostolorum. III. demum nulla inter symbola quibus ecclesiae diversis saeculis usae sunt, inveniri differentia deberet; quum tamen maxima sit.

Resp. ad 1. Falsum est antiquos Patres suorum temporum haereticos ad symboli Apostolorum non provocasse auctoritatem. Constat id ex Tertulliano, Irenaeo, quorum testimonia superius allata iterum consulito. Deinde etsi daremus Dupinio quod ipse mira confidentia affirmat, quid proinde contra sententiam nostram sequeretur? Jam animadvertimus symbolum illud ad manus pervenisse fidelium ope traditionis, quum non fuerit ab Apostolis in literas relatum. Cumque haeretici apostolicas non admitterent traditiones, debebant SS. PP. ostendere symbolum revera fuisse ab Apostolis editum et posteritati transmissum.

Ad 2. Quod symbolum non fuerit ab Apostolis scripto traditum, ut diximus, in caussa fuit cur nec inter canonica scripta accenseretur, nec illius meminerit Lucas.

Ad 3. Differentiae quibus symbola scatent, nostrae sententiae nequaquam officiunt. 1. Quoniam quum symbolum a suis auctoribus scripto consignatum non fuerit, sed tantum memoriae commendatum, nil facilius ut nonnullae voces mutarentur. 2. Symbola, orientale romanum et aquilejense, non sunt nisi merae versiones quae ex aliis forte versionibus fuere adornatae et ab hominibus qui variis temporibus variisque in locis vixerunt. Quid ergo mirum si aliqua illic irrepserit variatio? 3. Denique ejusmodi variantes lectiones sunt parvi momenti et ad substantiam minime pertinentes; inductae forte ad refellendas grassantes in diversis ecclesiis haereses, ut ex subjecta Rufini aquilejensis tabula intelligere quisque poterit.

Sequitur tabula Rufini aquilejensis

Notae Rufini Aquilejensis.

(a) In symbolo aquilejensi additur, *invisibilem et impassibilem*. Sciendum quod duo isti sermones in Romanae Ecclesiae symbolo non habentur. Constat autem apud nos additos haereseos caussa, Sabellii illius profecto, quae a nostris Patripassiana appellatur.

Orientales ecclesiae omnes pene ita tradunt: *Credo in unum Deum*.

(b) Et rursum in sequenti sermone, *Et in unum Dominum nostrum*; unum scilicet Deum, et unum Dominum, secundum auctoritatem Pauli apostoli profitentes.

(c) Sciendum sane est quod in Ecclesiae Romanae symbolo non habetur additum: *Descendit ad inferos*. Sed neque in orientis ecclesiis habetur hic sermo: vis tamen verbi eadem videtur esse in eo, quod sepultus dicitur.

(d) Satis caute Ecclesia nostra fidem symboli docet, quae in eo quod a ceteris traditur, *Carnis resurrectionem*, uno addito pronomine, tradidit, *Hujus carnis resurrectionem*. Hujus sine dubio, quam habet is qui profitetur signaculo Crucis fronti imposito; quo sciat unusquisque fidelium carnem suam si mundam servaverit a peccato, futurum esse vas honoris.

VULGARE	AQUILEJENSE	ORIENTALE	ROMANUM
1. Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, Creatorem caeli, et terrae. (a)	1. Credo in Deum Patrem omnipotentem, invisibilem, et impassibilem.	1. Credo in unum Deum Patrem omnipotentem.	1. Credo in Deum Patrem omnipotentem.
2. Et in Jesum Christum filium ejus unicum Dominum nostrum. (b)	2. Et in Jesum Christum unicum filium ejus Dominum nostrum.	2. Et in unum Dominum nostrum Jesum Christum unicum filium ejus.	2. Et in Christum Jesum unicum filium ejus Dominum nostrum.
3. Qui conceptus est de Spiritu S. natus ex Maria Virgine.	3. Qui natus est de Spiritu S. ex Maria Virgine.	3. Qui natus est de Spiritu S. ex Maria Virgine.	3. Qui natus est de Spiritu S. ex Maria Virgine.
4. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus, descendit ad inferos. (c)	4. Crucifixus sub Pontio Pilato, et sepultus, descendit ad inferos.	4. Crucifixus sub Pontio Pilato, et sepultus.	4. Crucifixus sub Pontio Pilato, et sepultus.
5. Tertia die resurrexit a mortuis.	5. Tertia die resurrexit a mortuis.	5. Tertia die resurrexit a mortuis.	5. Tertia die resurrexit a mortuis.
6. Ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.	6. Ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Patris.	6. Ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Patris.	6. Ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Patris.
7. Inde venturus est judicare vivos, et mortuos.	7. Inde venturus est judicare vivos, et mortuos.	7. Inde venturus est judicare vivos, et mortuos.	7. Inde venturus est judicare vivos, et mortuos.
8. Credo in Spiritum sanctum	8. Et in Spiritu Sancto.	8. Et in Spiritu sancto.	8. Et in Spiritu sancto.
9. Sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem.	9. Sanctam Ecclesiam catholicam.	9. Sanctam Ecclesiam catholicam.	9. Sanctam Ecclesiam catholicam.
10. Remissionem peccatorum.	10. Remissionem peccatorum.	10. Remissionem peccatorum.	10. Remissionem peccatorum.
11. Carnis resurrectionem. (d)	11. Hujus carnis resurrectionem.	11. Carnis resurrectionem.	11. Carnis resurrectionem.
12. Vitam aeternam.	12. Vitam aeternam.	12. Vitam aeternam.	12. Vitam aeternam.

Ex ista tabula cum appositis Rufini notis luculentissime apparet variationes inter quatuor recensita symbola nullius esse momenti.

Obj. ultimo adv. 2. prop. Auctor serm. 241. de tempore inter Augustini opera, tradit singulos Apostolos singulos condidisse articulos; ita ut Petrus dixerit, *Credo in Deum Patrem omnipotentem*: Johannes dixerit, *Creatorem caeli, et terrae*, et sic de reliquis.

Resp. Auctoris illius sermonis opinio non satis firma videtur, tum quia S. Thomas q. 1. art. 8. affirmat secundum aliquos non duodecim, juxta numerum Apostolorum, sed quatuordecim esse symboli articulos, tum etiam quod auctor sermonis qui idem esse creditur ac auctor sermonis 240. in argumento laudati, non tribuit eosdem articulos singulis Apostolis. Quare auctor ille, non quid Apostoli fecerint, sed quid facere potuerint conjectasse videtur.

APPENDIX.

Praeter symbolum Apostolorum sunt et alia tria in Ecclesia symbola divinae plena auctoritatis, videlicet nicaenum quod in oecumenico Nicaeno I. concilio editum adversus Arianos fuit; constantinopolitanum, in I. hujus nominis universali synodo contra Macedonianos exaratum; et athanasianum, sic nuncupatum quod vel ab Athanasio vel saltem ex verbis ac sententiis ex scriptis ejus excerptis fuerit compositum: quo haereses omnes refelluntur quae in Ecclesia usque ad saeculum quintum viguerunt. Recitatur hoc symbolum in divinis officiis in diebus dominicis ac in festo sanctissimae Trinitatis, sicuti C-P. cantatur in Missa. Haec tamen tria symbola quoad substantiam nil aliud sunt quam symbolum apostolicum, illorumque additiones merae sunt explicationes Apostolici symboli ad grassantes refellendas haereses apposite additae. De symbolis Nicaeno et C-P. nonnulla disseruimus in opusculis de Trinitate, unde de illis non plura. Pauca hic de symbolo dicemus athanasiano.

Baronius ad an. Christi 340. asserit symbolum illud a S. Athanasio latino sermone fuisse adornatum cum Romae degeret, et Julio Rom. Pont. oblatum. Vossius autem, Hiddeggerus, Oudinus, Dupinius, aliique recentiores Athanasio illud abjudicant. Nos posteriori sententiae utpote probabiliori subscribimus, hisque ducimur argumentis. I. vox *consubstantialis* quae Athanasii tempore ut catholicae tessera fidei adversus Arianos quorum ille fuit insectator acerrimus exigebatur, in eo symbolo non invenitur. II. S. ille doctor a novo fidei condendo symbolo alienissimus fuit; quippe qui passim et ubique symbolum Nicaenum ut sufficientissimum depraedicaret, contra Arianos defenderet, eisque tot novarum fidei formularum editionem exprobraret, ut ex ejus adversus Arianos orationibus apparet. III. eo in symbolo duae haereses Athanasii aetate nondum exortae, Nestorii videlicet et Eutychetis clare nimis exprimuntur ac refutantur; duas quippe in Christo naturas contra Eutychen, unamque personam adversus Nestorium nimis aperte profitetur hoc versiculo, *Unus*

omnino non confusione substantiae, sed unitate personae. Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo; ita Deus et homo unus est Christus. IV. symbolum illud nec S. Caelestino Papae, nec Leoni M. nec Cyrillo alexandrino qui tamen uno amplius saeculo posteriores fuere Athanasio, notum fuit. Pugnantes enim adversus Nestorium et Eutychetem illud non citaverunt, quod tamen solum ad utramque illam praefocandam haeresim satis fuisset. Non potuisset autem symbolum hoc Caelestinum ac Leonem latere, si Romae ab Athanasio fuisset compositum sanctaeque Sedi oblatum, nec a Cyrillo ignorari potuisset qui in alexandrina cathedra Athanasio successit. Silent etiam de eo symbolo Gregorius nazianzenus qui post Athanasii mortem orationem de illius laudibus habuit, Theodoretus historiae ecclesiasticae scriptor diligentissimus; Basilius acerrimus Macedonianorum profligator, quamvis in eo symbolo error contra Spiritus sancti divinitatem aperte refutetur, Augustinus totius traditionis investigator accuratissimus. V. primus qui symbolum illud sub Athanasii nomine citaverit, fuit Abbo floriacensis qui post annum millesimum vixit. Ante saeculum decimum idem invenimus symbolum apud aliquos, ast minime sub nomine S. Athanasii; et ante octavum saeculum a nullo prorsus citatur. Imo nec legitur in antiquis Athanasii codicibus, si unum excipias in quo tamen legitur auctoris nomine suppresso, ut testis est Scultetus in medulla Patrum. Plura alia afferri possent, sed pauca haec sufficiant ad suadendum symbolum illud non videri genuinum Athanasii opus.

Duo sunt quae contra statutam facere videntur sententiam. I. quod S. P. Augustinus in psal. 120. n. 12. ad illa verba, *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem*, habeat juxta parisienses et venetas antiquiores editiones, *De hoc sole pater Athanasius alexandrinus episcopus ita pulcre locutus est: Filius, inquit, Dei a patre solo est; non factus, nec creatus, sed genitus*: quae verba in symbolo leguntur. II. Gregorius nazianzenus in orat. de laud. Athanasii quamdam commemorat Athanasii fidei confessionem in qua divinitas adstruitur Spiritus sancti, quaeque pro nicaeno symbolo accipi nequit; quum Gregorius narret illam fidei confessionem oblatam fuisse Imperatori tamquam *donum vere regium et munificum*.

Verum Bellarminus, Possevinus, Vasquesius et alii qui primo utuntur argumento, apertissime decipiuntur. Nam nullibi vel eo in loco vel alibi ab Augustino producta leguntur illa symboli verba. Imo Franciscus Macedo qui in Augustini codice sententiam illam se invenisse gloriabatur, tandem concludit, *Videbatur* (textus) *additus veteri editioni*.

Gregorii autem nazianzeni verba intelligi debent de fidei confessione nicaena. Nam Theodoretus et Nicephorus in H. E. factum idem narrantes, testantur Athanasium ad Imperatorem symbolum misisse nicaenum: et quoniam una cum symbolo eruditissimam quoque misit epistolam in qua Spiritus sancti adstruitur divinitas, Gregorius nazianzenus donum illud vere regium appellat atque magnificum. Sed de critica concertatione satis.

CAPUT V.

Agitur de quinto apostolici symboli articulo qui in controversiam trahitur ab haereticis.

Solent hoc in loco Theologi singulos apostolici symboli articulos summatim exponere, et optimo quidem consilio. Ita enim praecipuorum fidei nostrae capitum exegesim ob oculos ponunt lectorum. Optassem et ego ceteros hac in re imitari Theologos, nisi brevitas quam in hisce elucubrandis Institutionibus imprimis mihi proposui, id prohiberet. Cumque de sensu quo plerique symboli articuli intelligi debent partim egerimus in praecedentibus voluminibus, partim in subsequentibus disseremus, ad illa tyrones remittimus; disputaturi interea de quinto dumtaxat et undecimo, quum hi maxime in controversiam ab haereticis vocentur, et in hoc quidem capite de quinto dicturi, in sequenti de undecimo.

Principio itaque ingenue fatendum est articulum illum, *Descendit ad inferos*, in pluribus antiquis desiderari symbolis, ut in Nicaeno, Antiocheno, Sardicensi, C-P. Imo jamdudum observavit Rufinus eadem verba omitti etiam in apostolico symbolo quo utebantur Orientales atque Romani: quamobrem articulus additus temporis progressu videtur ad majorem vel Apollinaristarum vel aliorum haereticorum confutationem. Ast non proinde Vossius, Clericus et alii heterodoxi post Theodorum Beza tam insolenter adversus eumdem articulum insurgere debebant, quasi perperam omnino insertus apostolico symbolo fuerit. Nam unde ceteri fidei articuli, inde et hic desumptus est, ex sacra videlicet Scriptura et Traditione; unde sit

CONCLUSIO I.

Articulus ille, Descendit ad inferos, *non immerito additus est symbolo Apostolorum.*

Prob. Dogma de Christi ad inferos descensu expresse continetur in sacris Scripturis. Nam psal. 15. legitur: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Verba haec intelligenda esse de Christo testatur Petrus Actor. cap. 2. dicens: *Neque derelictus est* (Christus) *in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem.* Hoc idem dogma prostat Eccli. cap. 24. v. 45. ubi aeterna Patris sapientia inquit: *Penetrabo omnes inferiores partes terrae, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes sperantes in Domino.* Sed et apostolus Paulus ad Ephes. cap. 4. v. 9. ait: *Quod autem ascendit, quid est nisi quia et descendit primum in inferiores partes terrae?* Et laudatus Apostolorum princeps Actor. cap. 2. *Quem Deus*, inquit, *suscitavit, solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.* Matth. cap. 12. Christus ipse ait: *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit filius hominis in*

corde terrae, hoc est in inferno, juxta Hieronymi interpretationem in cap. 2. Jonae dicentis: *Sicut enim cor in medio est animalis, ita infernus in medio terrae esse perhibetur*. Demonstrant haec Christum juxta Scripturarum oracula ad inferos revera descendisse: cur ergo articulus ille perperam additus ab haereticis dicitur? A Patrum recitandis sententiis abstineo, quoniam ab adversariis non negantur. Unius Augustini verba dabo qui in ep. 164 cap. 5. dogma istud de fide esse pronuntiat: *Teneamus firmissime, quod fides habet fundatissima auctoritate firmata, quia Christus ... apud inferos fuit*.

CONCLUSIO II.

Multa Christus apud inferos gessit.

Prob. enumeratione. I. animabus justorum ibi detentis originalis culpae reatum, quantum ad intuitivae Dei visionis exclusionem, relaxavit, etiam postquam nihil amplius poenae pro actualibus peccatis luendum eis remanserat. Rem explico. Justis qui ante Christi mortem ex hac vita decesserant, non solum actualia peccata si quae ab ipsis contracta fuerant fuere remissa, sed etiam culpa originalis; alioquin justi non fuissent, atque ad aeternas poenas una cum malis angelis ob solum originale peccatum damnati fuissent. Sed grande illud delictum ab Adamo patratum et in posteros ejus transfusum, adeo Deo displicuit ut in illius poenam caelorum januas, ut ita dicam, occluserit, donec mediator Dei et hominum homo Christus Jesus sanguine suo illas reseraret. Hinc Apostolus in ep. ad Hebr. cap. 9. v. 8. inquit, quamdiu Christus nondum fuerat passus, *nondum propalatam esse Sanctorum viam*. Et cap. 10. v. 19. et 20. addit: *Habentes ... fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam, et viventem per velamen, idest carnem suam*. Hinc justi ex hac mortali vita decedentes recipiebantur apud inferos, sed in locum ab impiorum tormentis remotissimum, juxta Augustini sententiam lib. 20. de C. D. cap. 15. *Antiquos sanctos, qui venturi Christi tenuerunt fidem, locis quidem a tormentis impiorum remotissimis, sed apud inferos fuisse*: ibique quiescentes intercessionem expectabant Mediatoris sine qua ab ingressu regni prohibebantur: non ut poena quasi peccatores plecteret, sed ut eos in locis remotioribus quiescentes, quia necdum intercessio Mediatoris advenerat, ab ingressu regni reatus primae culpae prohiberet, scribit Gregorius M. lib. 4. Mor. cap. 27. Consimilia tradit Hieronymus in cap. 3. Eccli. et Chrysostomus hom. 65. Ita communiter tenent Theologi existimantes ex antiqua Ecclesiae traditione satis sufficienter colligi justos V. Testamenti etiam plene purgatos intuitiva caruisse visione, quamvis de fide id dici non possit.

II. liberavit a poenis in quibus jacebant justorum animas non plene purgatas quae in inferis tamquam in purgatorio degebant. Sanctus enim P. Augustinus aperte distinguit inter justos apud inferos existentes qui in

doloribus jacebant, ab iis qui quiete fruebantur; ait quippe ep. 164. *Quod scriptum est, solutis doloribus inferni, non in omnibus, sed in quibusdam accipi potest, quos ille dignos ista liberatione judicasset*. Inter justorum animas non adhuc plene purgatas fuisse illam primi nostri parentis affirmat Augustinus communi sui temporis Ecclesiae traditioni innixus; unde ait: *Ibi erit et ipse Adam: quoniam recte creditur Domini adventu atque in inferna descensu, ab inferni vinculis jam solutus*. Ita lib. 6. op. imperf. cont. Julian. cap. 12. Et cap. 22. subdit: *Adam vero ... gratia Dei per J. C. D. N. a sempiterno supplicio liberatur, et in se ipso quamvis a sua morte post annorum aliquot millia*.

III. nobilem egit Christus triumphum in suo ad inferna descensu, rectores confundens tenebrarum qui vel hoc solo titulo gloriabantur quod animas illas in sua retinerent potestate; hoc sensu, quatenus propria malitia originale peccatum in mundum intravit, cujus caussa nulli portae caeli patebant, unde Apostolus in ep. ad Colos. cap. 2. v. 15. inquit: *Expolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans in semetipso*.

IV. easdem beatas animas e receptaculis illis ubi detentae fuerant, tertia die secum eduxit, atque hac ratione *eduxit eos de tenebris et umbra mortis, et vincula eorum disrupit ... contrivit portas aereas, et vectes ferreos confregit*, inquit Psalmographus psal. 106. Haec praecipua sunt quae gessit apud inferos Christus, quamvis et alia fecerit, de quibus vide M. Augustinum ep. 164. et 187.

Adversariorum argumenta refutantur.

Obj. 1. adv. 1. th. Praecipuum catholicorum argumentum ad demonstrandum Christi descensum ad inferos ex psalmo depromptum, *Non derelinques animam meam in inferno*, qui locus de Christo accipitur a Petro, nullius momenti est. Nam illorum sensus verborum est: Non derelinques animam meam in sepulcro; quoniam ubi nos legimus, *in inferno*, habent Hebraei, *sehol*, quae vox apud Hebraeos significat sepulcrum: et eo sensu accipitur Gen. cap. 42. v. 38. *Deducetis canos meos cum dolore ad sehol*, hoc est *ad sepulcrum*. Et 3. Reg. cap. 2. v. 6. et Job cap. 17. v. 13. II. cohaeret etiam versio Septuaginta interpr. quae pro *sehol* habet ἐν ᾅδου, quae vox locum significat invisibilem, non infernum.

Resp. ad 1. Vox *sehol* quae saepe in Scripturis significat sepulcrum, saepe etiam significat infernum. Quod patet 1. ex veterum traditione Hebraeorum qui animarum statum apud inferos admittentes, ajebant extitisse illas in *sehol*, ut testatur Josephus lib. 18. Antiq. cap. 2. et lib. 2. ubi redarguit Sadducaeos qui soli dogma istud negabant. 2. Ex omnium Rabbinorum consensu, uno excepto Aben-Ezra, inter quos R. Levi inquit: *Sehol est venter terrae depressior*. 3. Ex ipsis Protestantibus, scribente Drusio ad cap. 37. Gen. *Sehol tam infernum significat, quam sepulcrum*. 4. Et quod primo loco commemorandum erat, ex constantis-

sima PP. traditione qui unanimiter laudatum psalmi locum non de sepulcro accipiunt, sed *de inferno deorsum*, ut alibi dicitur in Scripturis. 5. Ex ejusdem loci contextu. Nam sepulcrum ibidem denotatur partim per illa verba, *Caro mea requiescet in spe*, partim per illa alia, *Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*; unde *sehol* aliud debet praeter sepulcrum significare.

Ad 2. dico Ἅδης ita invisibilem significare locum, ut denotentur animarum receptacula: quod non modo ex sacris literis constat, Gen. cap. 37. psal. 15. Actor. cap. 2. aliisque locis, sed ex ethnicis quoque prophanisque scriptoribus: qui nominis hujus significationem atque dogma eo nomine expressum, per traditionem acceperunt ex fide quae inter Hebraeos vigebat, vanisque figmentis et anilibus fabulis illam deturparunt. Vide Ambrosium de Bono mortis cap. 10.

Obj. 2. Alterum deductum ex PP. auctoritate momentum et ipsum infirmissimum est. Nam plerique Patrum hebraicae linguae laborabant ignorantia; quapropter in illo psalmi interpretando testimonio decepti sunt, nomen *sehol* quod, ut diximus, sepulcrum significat, pro inferno accipientes. II. Patres praeterea a platonica philosophia potius graecisque fabulis quam ab apostolica traditione dogma illud de animarum apud inferos statione mutuarunt. Nam ubi de iis loquuntur quae Christus apud inferos gessit, inter se non conveniunt, et absurda tradere videntur. Puta Irenaeus lib. 4. cap. 39. et Clemens alexandrinus in 3. Strom. docent Christum in eo descensu praedicasse Evangelium incredulis, et peccata remisisse. Hermas in Pastorem lib. 3. simil. 9. et Theodorus Abucara opusc. 17. addunt tradidisse etiam baptismum.

Resp. ad 1. Etiamsi daremus veteres omnes Patres hebraicam linguam ignorasse, quod tamen falsissimum est et doctissimis illis hominibus injuriosum, adhuc nihilominus firmum ex illorum auctoritate depromptum consisteret argumentum. Nam non a literali nomine *sehol*, sed ab apostolica traditione dogma de Christi ad inferos descensu Patres acceperunt.

Ad 2. Aliud est, Christum ad inferos descendisse, aliud vero, hoc ibi egisse vel illud. Quamvis veteres Patres non omnes conveniant in iis assignandis ac recensendis quae Christus apud inferos gessit, omnes tamen unanimi consensione affirmant Christum ad inferos revera descendisse. Quod satis est ut dicamus dogma illud accepisse Patres ab apostolica traditione. Ratio autem cur nonnulli Patres a communiori recedant sententia ubi de iis quae Christus apud inferos gessit loquuntur, est perdifficilis testimonii intellectus quod occurrit in 1. ep. Petri cap. 3. quodque ita se habet: *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis ... mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu. In quo et his, qui in carcere erant, spiritibus* (idest animabus) *veniens praedicavit: qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca*. Hoc quidem testimonium nonnullos Patres in varia distraxit. Nam prima fronte demonstrare videtur Christum in suo ad inferna descensu incredulis prae-

dicasse. Et quoniam sequenti versu 21. Petrus ait: *Vos nunc similis formae salvos facit baptisma*, ideo aliqui existimarunt Christum post Evangelii praedicationem, incredulis illis contulisse baptisma vel in aqua naturali, ut affirmare videtur Hermas, vel in aqua quae ex latere Christi profluxit, ut ait Theodorus Abucara. Ceterum in adstruendo dogmate de Christi ad inferos descensu, inter se, ut ajebam, minime dissentiunt. Si autem quis quaerat quo sensu apostolicus ille textus debeat intelligi, respondeo cum Augustino nostro in ep. 99. ad Evodium, accipiendum esse de praedicatione a Christo incredulis facta qui tempore Noë vivebant, ita ut sensus sit: Christus qui pro injustis mortuus est, per virtutem suae divinitatis resurrexit, qua divinitate antiquitus, tempore scilicet Noë dum fabricaretur arca, adveniens per os Sanctorum suorum poenitentiam praedicavit incredulis illis animabus quae erant in carcere corporis. Haec esse videtur apostoli Petri mens in allato testimonio, et approbatur etiam a B. Thoma 3. p. q. 52. art. 2. conformis est textui epistolae, cohaeret cum iis quae habet Lucas cap. 17. ac omnem removet ab epistola Petri difficultatem; quapropter non video cur tam fidenter illam rejiciat Bellarminus lib. 4. de Christo, nisi forte quia est Augustini. Quoniam vero non tamquam certam illam S. Pater tradit interpretationem, poterit textus cum aliquot Patribus hoc alio sensu explicari: Mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu, idest secundum animam, in quo spiritu et his qui in carcere inferni erant spiritibus, scilicet animabus, veniens praedicavit, hoc est suae attulit nuncium liberationis: qui increduli fuerant aliquando in diebus Noë, quique jamjam intumescentibus aquis, per poenitentiam damnationem effugerunt.

Obj. 3. articulus de Christi ad inferos descensu in pluribus symbolis desideratur, puta in Nicaeno, C-P. Antiocheno, et aliis: quod argumento est non descendere articulum ex traditione apostolica. II. et Nicaenum quidem concilium apponere illum articulum debuisset symbolo adversus Arianos animam in Christo denegantes: per illius namque ad inferos descensum, in Christo fuisse animam mirifice comprobatur.

Resp. ad 1. Articulus ille in primis habetur in symbolo Cyrilli hierosol. cath. 4. et in symbolo Epiphanii lib. 3. adv. haereses, qui duo floruerunt saeculo IV. Deinde in symbolis Nicaeno et Antiocheno exprimitur catholica fides adversus Arianos qui Verbi cum Patre inficiabantur consubstantialitatem, in symbolo autem C-P. munitur catholica fides contra Macedonianos Spiritus sancti negantes divinitatem. Ad illas autem praefocandas haereses necesse non erat ut dogma de Christi descensu ad inferos magis explicaretur, praesertim cum dogma illud subintelligatur in symboli verbis, *Mortuus et sepultus est*, ut optime observat Rufinus.

Ad 2. Concilii Nicaeni mens fuit capitalem refellere Arianorum errorem qui erat adversus Verbi consubstantialitatem; unde addidere symbolo vocem ὁμόουσιον. Praeterea ex definita semel Verbi cum Patre consubstantialitate, sua sponte sequitur fuisse in Christo animam. Vera namque divinitas ut est illa Patris, cum sit infinita immensa impassibilis, non po-

tuit vices in Christo gerere animae humanae. Praeterea soli Apollinaristae non omnes ac singuli Ariani animam Christo denegabant. Hinc in symbolo arianico, Ariminensi exhibito concilio, articulus de Christi ad inferos descensu non desiderabatur. Ac demum quoniam Apollinaristarum secta temporis progressu magis magisque grassari coepit in Ecclesia, ad uberiorem fidei explicationem additus symbolo fuit laudatus articulus.

Obj. ultimo cont. 2. prop. Christus descendens ad inferos evangelicam fidem praedicavit non iis tantum qui tempore Noë ante naufragium egerunt poenitentiam, sed omnibus ac singulis infidelibus, ut aeternam eis conferret salutem: quod demonstrare videtur celebris Petri sententia superius allegata.

Resp. ejusmodi opinionem haereticam appellari a magno Augustino in lib. de Haer. haer. 79. et merito. Nam si tunc Christus infidelibus in inferno existentibus evangelicam fidem praedicasset, eam praedicaret modo post resurrectionem suam etiam iis qui absque Evangelio e vita decedunt. Cur enim illis et non istis? Hoc autem absurdissimum est; alioquin superfluum foret Evangelium nunc infidelibus annuntiare. Ita S. Doctor ep. 164.

CAPUT VI.

De undecimo symboli Apostolorum articulo.

Carnis resurrectio ut res impossibilis incredibilis, proindeque veluti fabula rejecta ac derisa a diversis sectis fuit. Primo eam semper exploserunt gentiles philosophi utpote philosophiae contrariam, quae a privatione ad habitum, seu a non esse ad esse reditum non dari docet. Unde et Areopagitae et alii athenienses philosophi a Paulo resurrectionem audientes mortuorum, *quidam quidem irridebant, quidam vero dixerunt: Audiemus te de hoc iterum*, ut legitur Actor. cap. 17. Et Synesius philosophus quum nondum baptizatus ad episcopatum raperetur, protestatus est numquam mortuorum resurrectionem se crediturum: et episcopus subinde factus difficile admodum ei fuit eamdem fidei veritatem Evadrio philosopho amico suo persuadere, ut narrat Baronius ad an. Chr. 410. et 411. Secundo inter Hebraeos secta ante Christi adventum, et eo inter mortales degente, fuit Sadducaeorum quae etiam mortuorum inficiabatur resurrectionem: de quibus in Act. Ap. capite 23. legitur, *Sadducaei enim dicunt non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum*. Tertio inter eos vero qui christiani videri voluerunt, jam inde a temporibus Apostolorum contra hunc de carnis resurrectione articulum multi insurrexerunt: inter quos Hymenaeus et Philetus, dicentes eam esse jam factam in animabus vel in Christo, ut Paulus narrat in 2. ad Tim. cap. 2. Magis crevit post Apostolos errantium in hunc articulum numerus. Augustinus quippe in lib. de Haer. ab haer. 7. ad 47. octies et amplius a diversis haereticis assertum fuisse narrat. Quarto fuerunt praeterea et alii qui admiserunt qui-

dem carnis resurrectionem, sed negarunt corpora resurgentium eadem omnino *figura*, eadem *specie*, eadem *numero* futura cum iis quae in hac mortalitate gestarunt. Quorum primum negarunt Origenistae autumantes corpora beatorum post resurrectionem sphericae futura figurae, quod figura haec inter ceteras sit perfectissima. Alterum inficiatus est post Origenistas Eutychius C-P. dicens beatorum corpora fore aërea vel etherea, non carnea quae nec palpari queant nec videri. Tertium vero consequenter negatum est ab iisdem. Si namque beatorum corpora eadem non erunt specie cum iis quae viventes gestarunt, multo minus erunt eadem numero.

Hoc itaque in capite tria nos praestabimus 1. ostendemus futuram esse carnis resurrectionem. 2. beatorum corpora futura eadem figura, specie, ac numero cum iis quae in hac mortali vita gestarunt. 3. tandem de eorumdem corporum resurgentium breviter pertractabimus qualitate. Unde

CONCLUSIO I.

Corporum resurrectio futura revera est.

Prob. 1. ex V. Testamento. Job cap. 19. ita confitetur: *Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum: et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius*. Psal. 40. v. 9. legitur: *Numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat?* Psal. 103. v. 29. additur: *Auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur. Emittes spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terrae*. Isaias cap. 26. v. 19. inquit: *Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent*. Ezech. cap. 37. v. 12. habetur: *Ecce ego aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulcris vestris, populus meus ... et scietis, quia ego Dominus, cum ... dedero spiritum meum in vobis, et vixeritis*. Daniel cap. 12. v. 2. *Et multi*, inquit, *de his qui dormiunt in terra pulvere, evigilabunt: alii in vitam aeternam, et alii in opprobrium*. In lib. 2. Mach. cap. 12. dicitur de Juda: *Facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam ... bene et religiose de resurrectione cogitans*. Haec ratiocinatione non indigent ad suadendum corporum resurrectionem esse revera futuram.

Prob. 2. ex N. Testamento. Johan. cap. 11. sic Christus Martham alloquitur: *Resurget frater tuus*. Respondit illa: *Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die*. Ibid. cap. 5. ita Christus dixit Judaeis: *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii*. Et Lucae cap. 20. Sadducaeos mortuorum negantes resurrectionem revincit argumento ab immortalitate animae deducto, inquiens: *Quia vero resurgant mortui, et Moyses ostendit secus rubum, sicut dicit Dominum, Deum Abraham, et Deum Isaac, et Deum Jacob. Deus autem non*

est mortuorum, *sed vivorum : omnes enim vivunt ei*. Eamdem resurrectionem frequentissime demonstrat etiam Paulus, veluti ad Rom. cap. 8. v. 11. et alibi, sed praesertim in 1. ad Cor. cap. 15. ubi eam probat in primis argumento ex Christi resurrectione deprompto, dicens : *Si autem Christus praedicatur quod resurrexit a mortuis*, *quomodo quidam dicunt in vobis*, *quoniam resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est*: *neque Christus resurrexit*. *Si autem Christus non resurrexit*, *inanis est ergo praedicatio nostra*, *inanis est et fides vestra*. Probat eam deinde argumento ex animae immortalitate deducto, dicens ex negata resurrectione recte inferri animae mortalitatem et annichilationem: *Ergo et qui dormierunt in Christo*, *perierunt*. Et inde ulterius infert quod *si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus*, *miserabiliores sumus omnibus hominibus*: quod non bene inferret nisi ex negata resurrectione sequeretur animam cum corpore interire. Neque enim dicendi essemus omnibus hominibus miserabiliores, etsi nihil nobis in hac vita pro fide in Christum retribueretur, dummodo anima nostra post hanc vitam superstes, licet sine corpore, aeternum beata esset. Praeterea eamdem resurrectionem credibilem reddit exemplo seminis ex quo prius in terra corrupto seges resurgit: *Insipiens*, inquit, *tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur*. *Et quod seminas*, *non corpus*, *quod futurum est, seminas*, *sed nudum granum*, *ut puta tritici aut alicujus ceterorum*. *Deus autem dat illi corpus*, *sicut vult*: *et unicuique seminum proprium corpus*. Nil certius ergo penes Paulum fuit quam resurrectio mortuorum. Ab aliis N. Testamenti referendis locis abstineo, quum pauca haec sufficiant. Missa facio quoque testimonia PP. quoniam nullum forte aliud fidei dogma tam perspicue traditum in eorum scriptis invenitur ut dogma istud de resurrectione carnis. Valent autem omnia haec argumenta ad Sadducaeorum haereticorumque frangendam pervicaciam. Aliqua nunc afferamus adversus gentiles.

Prob. 3. rationibus. I. quamvis carnis resurrectio videatur esse incredibilis ut Sadducaei ac gentiles affirmant, credibilem tamen eam faciunt alia quamplurima non minus incredibilia quae nihilominus totus mundus aut jam facta videt aut certe facta esse credit. *Jam ergo tria sunt incredibilia*, ait S. P. Augustinus lib. 22. de C. D. cap. 5. *quae tamen facta sunt*. *Incredibile est Christum resurrexisse in carne*, *et in caelum ascendisse cum carne*: *incredibile est mundum rem tam incredibilem credidisse*: *incredibile est homines ignobiles*, *infirmos*, *paucissimos*, *imperitos* (Apostolos nempe) *rem tam incredibilem*, *tam efficaciter mundo, et in illo etiam doctis persuadere potuisse*. *Horum trium incredibilium primum nolunt isti*, *cum quibus agimus*, *credere*; *secundum coguntur et cernere*; *quod non inveniunt unde sit factum*, *si non credunt tertium*. Cur ergo homines admittere nolunt in fine mundi resurrectionem, quod res sit incredibilis? 2. Inest animae naturalis appetitus regendi corpus, quum sit substantia cogitans regendo corpori accommodata: atque hinc in anima a corpore separata vehemens oritur desiderium ani-

mandi rursus corporis, cui desiderio quandiu non est satisfactum, impossibile est ut animae sit undequaque bene. Cum igitur religionis finis sit consummata animae beatitudo quae est omnium desideriorum quies, consequens est aliquando futurum ut anima quo sit perfecte beata, rursus suo societur corpori; alioquin omnium desideriorum quietem non habebit, quod est contra perfectae beatitudinis naturam. Ita philosophatur S. P. Augustinus in libris de Gen. ad litt. 3. Justum est ut totus homo praemio afficiatur aut poena, qui totus aut gloriam aut poenam promeruit. Si anima molestias doloresque pro Christo sustinuit, si bona exercuit opera etc. omnia haec gessit in corpore et per corpus. Idem de iis dicendum qui peccarunt. Justum est ergo ut humanum corpus quod instrumentum fuit ac socius virtutis et iniquitatis, una cum anima mercedem vel poenam recipiat, quod nisi resurgat fieri nequit. Ita Tertullianus in lib. de Resurr. carn. 4. Christus totum assumpsit hominem ut hominem totum salvaret. Totum autem non salvaret hominem si corpore manente in aeternum destructo solam ipsius beatificaturus sit animam; sicque potentior esset Christo diabolus qui totum perdidit hominem. Etiam hoc argumentum est Tertulliani.

COROLLARIUM.

Non omnes electi modo, sed et omnes reprobi sunt resurrecturi: quod luculenter patet ex pluribus Scripturae locis superius allatis. Quibus addi potest quod Matthaeus cap. 25. scribit: *Congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab haedis.* Et quod ait Paulus in 2. ad Cor. cap. 5. omnes videlicet apparere debere ante tribunal Judicis, *ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Hoc idem ex Act. Ap. cap. 24. v. 15. evincitur ubi Paulus credere testatur *Resurrectionem futuram justorum et iniquorum.* Vide etiam Daniel. cap. 12. v. 2. Sap. cap. 5. per totum.

CONCLUSIO II.

Corpora resurgentium eadem omnino futura sunt figura, specie, et numero cum iis quae in hac vita gestarunt.

Prob. prior th. pars. I. in synodo V. generali in qua de Origenistarum pertractatum judicatumque est erroribus, can. 5. ut in fine tract. Justiniani imperat. legitur, haec occurrunt: *Si quis dicit aut sentit in resurrectione corpora hominum orbiculata suscitari, nec confitetur nos suscitari rectos, anathema sit.* II. ratio cur id Origeniani asserebant est, quoniam sphericam figuram inter omnes figuras perfectissimam existimabant. Haec autem ratio futilis est, quoniam spherica figura perfectior est in genere figurarum geometricarum, non in genere figurarum humano corpori convenientium. III. hujusmodi commentum desumptum videtur ex Platone in dialogo de amicitia.

Prob. secunda ac tertia pars propositionis iisdem argumentis. Itaque unumquemque resurrecturum cum eodem numero organico corpore suis temperato humoribus, eadem carne nervis ossibus capite brachiis aliisque membris ac partibus, probant I. haec et alia manifesta Scripturae testimonia: *Rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius*, Job. cap. 19. Et illud Pauli in 1. ad Cor. cap. 15. v. 53. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem: et mortale hoc induere immortalitatem*; ubi demonstrativum pronomen, *hoc*, aperte significat illud idem quod nunc gestamus corpus resurrecturum. II. omnia illa Scripturae loca quibus generatim asseritur nos resurrecturos fore. Nam si alia futura sunt corpora, hoc est alterius materiae atque formae, falsum erit nos fore resurrecturos; alius videlicet erit homo ex anima nostra compositus et corpore alio. Resurrectio autem non ad animam, sed ad corpus pertinet; illud scilicet resurget quod interiit. Interiit porro corpus, non anima. III. vox ipsa resurrectio quam Scriptura usurpat. Nam si essent alterius speciei corpora, et a Deo de novo creata quae antea non extitissent, falso de illis enunciaretur resurrectio quae praecedentem supponit occasum. IV. resurrectio Christi quae est verum resurrectionis nostrae exemplar. Idem quippe Christi corpus surrexit quod fuerat antea crucifixum ac mortuum. Unde corpora quoque nostra quae interierunt resurgent. V. finis resurrectionis qui est ut corpus una cum anima praemio vel poena donetur, sicut una cum anima aut bene aut male est operatum. Non obtinetur autem hic finis si aliud specie ac numero corpus animae uniatur. Imo injustum penitus foret ut novum corpus quod cum anima non peccasset, cum anima quae peccavit puniretur. VI. exitus denique Eutychii C-P. hujus erroris assertoris. Narrat enim S. Gregorius M. se cum Apocrisarium ageret Constantinopoli, disputando hominem convicisse atque imperatorem movisse ut Eutychii librum flammis adjudicaret. Qui licet a disputatione cum jurgio ac pertinacia discesserit, mox tamen in lethale incidens morbum, cum esset morti proximus pellem digitis premens multis adstantibus dixit: *Confiteor quia omnes in hac carne resurgemus*. Vide laudatum Pontificem lib. 14. Mor. cap. 31. et 32.

CONCLUSIO III.

Multae erunt corporum resurgentium qualitates, sed non eaedem in electis ac reprobis erunt.

Prob. primo praecipuas enumerando corporum beatorum qualitates. I. corpora electorum erunt impassibilia, omnis molestiae ac doloris incapacia; fruentur quippe una cum anima intuitiva Dei visione quae omnem excludit passionem omnemque molestiam. II. praedita erunt immensa claritate juxta illud Scripturae: *Fulgebunt justi sicut sol in conspectu Dei*, quamvis alia magis, alia minus pro diversitate meritorum. *Alia cla-*

ritas solis , alia claritas lunae , et alia claritas stellarum . Stella enim a stella differt in claritate : sic et resurrectio mortuorum , inquit Apostolus in 1. ad Cor. cap. 15. Omnia autem adiaphana erunt ac trausparentia ; unde Apoc. cap. 21. platea caelestis Jerusalem dicitur *aurum mundum, tamquam vitrum perlucidum :* in quae verba sic scribit Gregorius M. lib. 18. Mor. cap. 17. *Quid ergo aliud in auro vel vitro accipimus nisi illam supernam patriam , illam supernorum civium moram , quorum corda sibi invicem et claritate fulgent , et puritate translucent ... ibi enim uniuscujusque mentem ab alterius oculis membrorum corpulentia non abscondet , sed patebit animus : patebit corporalibus oculis ipsa etiam corporis armonia ; sicque unusquisque tunc erit conspicabilis alteri , sicut nunc esse non potest conspicabilis sibi* . III. erunt eadem corpora ultra quam cogitari possit agilia . *Sancti* , ait Isaias cap. 40. *mutabunt fortitudinem , assument pennas sicut aquilae , current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient* . Quapropter S. P. Augustinus serm. 241. de temp. ait : *Illud omnino incorruptibile , omnino immortale , omnino ad movendum agile et facile erit :* quae repetit serm. sequenti affirmans *talia corpora nos habituros , ut ubi velimus , quando voluerimus , ibi simus* . IV. beatorum corpora erunt veluti spiritalia , quoniam ut ait idem S. Pater Ench. cap. 91. *Tanta erit tunc concordia carnis et spiritus , vivificante spiritu sine sustentaculi alicujus indigentia subditam carnem, ut nihil nobis repugnet ex nobis ; sed sicut foris neminem , ita nec intus nos ipsos patiamur inimicos* . Alias electorum corporum dotes consulto praetermitto ne propositae excedam limites brevitatis .

Prob. secundo dotes enumerando corporum reproborum quorum plane conditio longe alia erit a corporum beatorum conditione ; aequum siquidem est ut sint passibilia horrida lurida etc. qualia habere meruerunt reae ac reprobae eorum animae corpora sua mortalia contaminando , et per illa thesaurizando sibi iram . Ergo in die irae corpora habebunt passibilia ; ad hoc enim tantum resurgent ut aeternum cum diabolo crucientur . Utrum vero reprobi cum suorum corporum vitiis ac deformitatibus resurgere debeant , quicumque in eis vitiosa ac deformia membra gestarunt, *In requirendo laborare quid opus est ?* ait S. P. Augustinus Ench. cap. 92. *Neque enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo vel pulcritudo , quorum erit certa et sempiterna damnatio . Nec moveat , quomodo in eis erit corpus incorruptibile, si dolere poterit ; aut quomodo corruptibile , si mori non poterit . Non est enim vera vita nisi ubi feliciter vivitur ; nec vera incorruptio nisi ubi salus nullo dolore corrumpitur . Ubi autem infelix mori non siuitur , ut ita dicam, mors ipsa non moritur ; et ubi dolor perpetuus non interimit , sed affligit, ipsa corruptio non finitur . Haec in sanctis Scripturis secunda mors dicitur .* Corpora itaque reproborum solam habebunt immortalitatem cum electorum corporibus communem , sed ad perpetuum cruciatum ; et ideo *quaerent mortem , et non invenient eam*, scribit Johannes in Apoc. cap. 9. v. 6. *et desiderabunt mori , et fugiet mors ab eis . Ibi non erunt ho-*

mines, inquit S. P. Augustinus lib. 13. de C. D. cap. 11. *ante mortem atque post mortem, sed semper in morte: atque per hoc numquam viventes, numquam mortui, sed sine fine morientes. Numquam enim erit homini pejus in morte, quam ubi erit mors ipsa sine morte.* Atque haec est infelix reproborum resurrectio.

SCHOLION

Ad ea quae hactenus disputata sunt illustranda, multas Theologi instituere solent quaestiones quas nos brevissime resolvemus. Et 1. inquirunt an ex quo sanctorum corpora absque ulla deformitate resurrectura sint, sequatur sanctos martyres resurrecturos absque cicatricibus et stigmatibus pro Christo reportatis. Cui quaestioni respondet S. P. Augustinus lib. 22. de C. D. cap. 19. dicens: *Non enim deformitas in eis, sed dignitas erit, et quaedam, quamvis in corpore, non corporis, sed virtutis pulcritudo fulgebit. Nec ideo tamen si aliqua Martyribus amputata et ablata sunt membra, sine ipsis membris erunt in resurrectione mortuorum, quibus dictum est, capillus capitis vestri non peribit. Sed ... ut indicia gloriosorum vulnerum in illa immortali carne cernantur, ubi membra, ut praeciderentur, percussa vel secta sunt, ibi cicatrices, sed tamen ejsdem membris redditis, non perditis apparebunt.* 2. Quaeri solet qnam aetatem praeselatura sint gloriosa sanctorum corpora. Respondetur autem, verosimilius esse futuros sanctos in juvenili aetate qualis est circa vitae annum trigesimum. Talem quippe praeseferebant aetatem primorum corpora parentum quando primitus de manu prodierunt conditoris. Unde S. P. Augustinus laudato lib. 22. de C. D. cap. 15. ait: *Si hoc*, nempe quod ait Apostolus ad Ephes. cap. 4. *donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi, de resurrectione corporum dictum est, sic accipiamus dictum, ut nec ultra nec infra juvenilem formam resurgant corpora mortuorum: sed in ejus aetate et robore usque ad quam Christum hic pervenisse cognovimus.* 3. Si quaeratur in qua statura ac magnitudine eadem justorum corpora sint resurrectura, quidam respondent omnia aequalis futura magnitudinis, et ejusdem quidem staturae cujus fuit Christi corpus in aetate triginta annorum, juxta Apostoli locum proxime laudatum. Respondet tamen Augustinus lib. 22. de C. D. cap. 15. locum illum ad perfectionem potius corporis Christi mystici quod est Ecclesia, pertinere per fidem. Aut si pertinet ad resurrectionem, eo significari quod corpora sanctorum futura sint quasi ejusdem aetatis seu vigoris cujus Christi corpus fuit, non ejusdem magnitudinis; ac propterea dictum non esse in mensuram corporis vel in mensuram staturae, sed in mensuram aetatis plenitudinis Christi. 4. Demum inquirentibus utrum in resurrectione sexuum permansura sit diversitas, respondendum est plane mansuram. *Omnibus enim illis*, verba sunt S. Patris citato lib. de C. D. cap. 17. *vitia detrahentur, natura servabitur. Non est autem vitium sexus foemineus, sed natura:*

quae tunc quidem et a concubitu et a partu immunis erit: erunt tamen membra foeminea, non accommodata usui veteri, sed decori novo, quo non alliciatur aspicientis concupiscentia quae nulla erit, sed Dei laudetur sapientia atque clementia, qui et quod non erat fecit, et liberavit a corruptione quod fecit.

Quae adversus statutas theses opponi solent, dissolvuntur.

Obj. 1. cont. 1. th. Ex cap. 19. Job demonstrari nequit futura corporum resurrectio. Nam testimonium inde depromptum significat Deum redditurum corpori Job morbis macie vermibusque corrupto pristinam formam, uti non multo post quam verba illa protulerat, revera accidit. Illud siquidem testimonium in hebraico fonte ita legitur: *Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo surget super pulverem; et postquam pellem meam corroserint hanc, rursum illa circumdabor*. II. idem Job paullo ante, cap. nempe 14. v. 7. aperte negare videtur hominum resurrectionem, ait enim: *Lignum habet spem: si praecisum fuerit, rursum virescit, et rami ejus pullulant ... Homo vero cum mortuus fuerit, et nudatus, atque consumptus, ubi quaeso est?*

Resp. ad 1. Job non de corporis sui sanitate quam paullo post recepturus erat a Deo, sed de sui resurrectione loquitur in novissimo die. Idque multa suadent. 1. Quoniam sive vulgata nostra latina sive hebraicus textus referri debent ad Redemptorem, nimirum ad Christum, quia utraque lectio habet, *Scio quod Redemptor meus vivit*: tum quia in graeca versione legitur, *Scio enim quia aeternus est qui me resoluturus est super terram ad resuscitandum carnem meam*: tum denique quoniam in syriaca versione ita habetur, *Ego quidem scio quod Salvator meus vivens sit, et in consummatione super terram apparituras*. Loquitur ergo Job de resurrectionis beneficio per Christum, adeoque de corporis sui resurrectione in novissimo die. 2. Verba ipsa quae in hebraico textu habentur, apprime cum sensu nostrae vulgatae conveniunt. Nam ibi legitur, *Redemptor meus vivit, et in novissimo surget super pulverem*. Surgere autem super pulverem, non est surgere super corpus macie tabeque confectum ut erat tunc corpus Jobi, sed resuscitare corpus in terram minutamque redactum pulverem. Unde hebraici textus sensus est: Redemptor surget ad suscitandum mortuos in novissimo die. 3. Juxta hebraicam lectionem inquit Job, *Et postquam pellem meam corroserint, vel contriverint hanc*. Vide loqui sanctissimum virum non de sola cutis corrosione, sed de omnimoda resolutione corporis sui. Verbum enim hebraicum significat, *confringere, occidere, excutere*. Optime igitur S. P. Augustinus lib. 22. de C. D. cap. 29. scribit: *Illud etiam quod ait supra memoratus Job, sicut in exemplaribus quae ex hebraeo sunt invenitur, Et in carne mea videbo Deum: resurrectionem quidem carnis sine dubio prophetavit*.

Ad 2. In laudata sententia considerat Job humanam conditionem, af-

firmat hominem per se, ac Dei seclusa in illum providentia, esse inferioris a ligno conditionis, quod verum est; quum hoc, non ille naturaliter reviviscat. Ceterum divina superveniente providentia homo etiam e terra resurgit: quamobrem e vestigio subdit, *Sic homo cum dormierit, non resurget; donec atteratur caelum, non evigilabit, nec consurget de somno suo.*

Obj. 2. adv. eamd. prop. Isaiae atque Ezechielis textus intelligendi sunt de Israelitarum a mundanis calamitatibus resurrectione, a quibus ita premebantur ut merito assimilentur mortuis. II. verba Danielis de iis accipienda sunt qui in Christi morte resurrexerunt et apparuerunt multis, ut legitur in Evangeliis. III. testimonium autem ex lib. 2. Mach. excerptum nullius ponderis est, quum liber ille, inquiunt Protestantes, sit apocryphus. IV. ac denique nullus ex allatis V. Testamenti locis probare videtur futuram carnis resurrectionem, quum iis usi non fuerint Rabbini ad Sadducaeos refellendos.

Resp. ad 1. Si eo modo quo argumentum procedit sint Scripturae testimonia interpretanda, nullus in ea locus erit ad aliquod fidei dogma demonstrandum. Sed argumentum solvitur a S. Hieronymo qui in cap. 37. Ezech. inquit: *Numquam poneretur similitudo resurrectionis ad restitutionem israelitici populi significandam, nisi staret ipsa resurrectio et futura crederetur: quia nemo de rebus non extantibus incerta confirmat.*

Ad 2. Textus Danielis aptatur resurrectioni in novissimo die futurae a Christo Domino in Evangelio Johan. cap. 5. 29. ubi sic ait: *Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitae: qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.*

Ad 3. Jam tomo harum institutionum I. demonstravimus librum 2. Machab. esse canonicum. Sed dato et non concesso non esse illum canonicum, nonne mereretur fidem saltem humanam et historicam? Hinc ex eo probatur V. Testamenti Ecclesiam, futuram mortuorum resurrectionem firmiter credidisse.

Ad 4. Caussa cur Rabbini allatis a nobis V. Testamenti locis ad Sadducaeos revincendos usi non fuerint est, quoniam non admittebant hi tamquam canonicos alios libros praeter Pentateuchum: unde Hieronymus in cap. 22. Matth. inquit, *Sadducaei quinque tantum libros Moysis recipiebant, Prophetarum vaticinia respuentes.*

Obj. 3. adv. coroll. 1. th. Impii saltem non resurgent in novissimo die. Nam psal. 1. v. 6. legitur: *Ideo non resurgent impii in judicio.* Psal. 77. v. 39. *Et recordatus est quia caro sunt: spiritus vadens, et non rediens.* In lib. 2. Mach. cap. 7. *Tibi* (Antioche) *resurrectio ad vitam non erit.* Multa hujus generis occurrunt in Scriptura.

Resp. haec aut similia Scripturae testimonia intelligenda esse de resurrectione gloriosa quam solam Scriptura resurrectionis nomine dignari solet, sicut solam vitam beatam qua sancti in caelo in aeternum vivent vitam vocare solet aeternam; quamvis alioquin et reproborum vita in inferis futura sit aeterna, quae tamen mors est potius dicenda quam vita. Ita igitur et resurrectio justorum quae ad beatam est immortalitatem, so-

la resurrectio vocari meretur, quia resurrectio est ad vitam; ceterorum vero non dicitur aliquando resurrectio, quoniam est resurrectio ad mortem aeternam. Hinc in allegato ex 2. lib. Mach. testimonio non dicitur Antiocho non esse illi resurrectionem, sed non esse illi resurrectionem ad vitam. Praeterea facile explicantur allata in argumento testimonia, et ad illud ex 2. Mach. depromptum mox responsum est. Sensus autem verborum psal. 1. hic est: Impii non stabunt nec subsistere poterunt aut se erigere in judicio, sed erubescent et causa cadent quoniam nequibunt coram Deo justificari. Verba autem ex alio psalmo deprompta innuunt vitam hominis esse instabilem, cito perire, nec amplius redire nisi divina accedente omnipotentia quae illum revocet ad vitam.

Obj. ultimo cont. 2. prop. Fit continuo ut ex humanis corporibus *aliud vertatur in pulverem, in auras aliud exhaletur; sint quos bestiae, sint quos ignis absumat; naufragio vel quibuscumque aquis ita quidam pereant, ut eorum carnes in humorem putredo dissolvat*. Hisce consimilibusque in casibus impossibile est ut eadem specie ac numero corpora resurgant. Ita Gentiles apud Augustinum lib. 22. de C. D. cap. 12. II. dari praeterea potest casus ut unius hominis corpus alteri homini ita cedat in escam et in vescentis convertatur substantiam, ut nesciamus utrinam illorum caro sit restituenda, an devorato vel devoratori.

Resp. ad 1. cum eodem S. Doctore ibid. cap. 20. *Absit autem, ut ad resuscitanda corpora vitaeque reddenda non possit omnipotentia creatoris omnia revocare, quae vel bestiae vel ignis absumpsit, vel in pulverem cineremve collapsum, vel in humorem solutum, vel in auras est exhalatum. Absit ut sinus ullus secretumque naturae ita recipiat aliquid subtractum sensibus nostris, ut omnium creatoris aut lateat cognitionem, aut effugiat potestatem*. Et cap. 88. Ench. scribit: *Non perit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro: sed in quamlibet pulverem cineremve solvatur, in quoslibet halitus aurasque diffugiat, in quamcumque aliorum corporum substantiam vel in ipsa elementa vertatur, in quorumcumque animalium etiam hominum cibum cedat carnemque mutetur, illi anima humana puncto temporis redit, quae illam primitus, ut homo fieret, viveret, cresceret, animavit*.

Ad 2. Ait ibid. cap. 20. Augustinus. Reddetur caro illa homini in quo esse caro humana primitus coepit: ab illo enim altero tamquam mutuo sumpta deputanda est, quae sicut aes alienum, ei reddenda est unde fuit desumpta. Sua vero illi quem fames exinaniverat, ab eo qui potest etiam exhalata revocare reddetur; quamvis etsi omnibus periisset modis, nec ulla ejus materies in ullis naturae latebris remansisset, unde vellet eam repararet Omnipotens. Lege Enchiridion ad Laurentium.

CAPUT VII.

De objecto formali fidei.

Objectum formale fidei a quibusdam Theologis duplex assignatur; u-

num quod obscura phrasi objectnm formale *quod*, alterum objectum formale *quo* ab ipsis nuncupatur. Per objectum formale *quod* illam intelligunt rationem sub qua fides objectum suum materiale attingit. Cum autem fides virtus sit intellectus cujus actus nonnisi circa verum versatur, hinc concludunt objectum formale *quod* fidei esse *primam veritatem in essendo*; eo quod fides cujus objectum materiale primarium est Deus, Deum ipsum actu suo non possit attingere nisi sub ratione aeternae veritatis. Per objectum autem formale *quo* intelligunt medinm quo fidei virtus suum attingit objectum. Et quoniam veritates qnae sunt ejus objectum materiale proximum, non attingit nisi divina mediante revelatione, hinc revelationem divinam assignant pro objecto formali *quo* fidei. Sed hisce missis obscuris scholasticorum locutionibus, breviter dicimus objectum formale fidei seu motivnm assentiendi veritatibus fidei esse auctoritatem Dei revelantis; unde sit

CONCLUSIO I.

Objectum formale fidei est auctoritas Dei revelantis.

Prob. 1. Scripturis. Apostolus in 1. ad Thess. cap. 2. *Cum accepissetis*, inquit, *a nobis verbum auditus Dei*, *accepistis illud non ut verbum hominum*, *sed (sicut est vere) verbum Dei*. Ac si diceret, assensum dictis meis praebuistis, quia sciebatis Deum ipsum qui mentiri non potest, per me fuisse vobis locutum.

Prob. 2. ex Augustino qui lib. de Utilit. cred. cap. 11. scribit: *Quod intelligimus debemus rationi: quod credimus auctoritati*. Etiam Cassianus lib. 4. de Incarn. cap. 6. inquit: *Deus hoc dixit? verbum illius summa ratio est: removeo argumenta, removeo disputationes, sola mihi ad credulitatem sufficit persona dicentis*.

Prob. 3. ratione et explicatur. Ideo revelatis assensnm accommodamus, quia is qui revelavit infallibilis est auctoritatis: est vero infallibilis auctoritatis, quoniam Deus qui revelavit est summa ac infallibilis veritas in cognoscendo, ac summa infallibilisque veritas in loquendo. Porro Dei in cognoscendo infallibilitas fundata est in infinita illius scientia quam impossibile est ut quidquam lateat; ejus autem infallibilitas in loqnendo in Dei ipsius fundata est veracitate cum qua consistere nequit mendacium: Dei autem veracitas in illius fundata est perfectissima sanctitate, et cum lege sua aeterna conformitate; neque enim cum perfectissima sanctitate ac lege aeterna conciliari aliquo modo potest mendacium. Duobus itaque hisce inconcussis fundamentis nixam esse oportet christianam fidem, omniscientia scilicet et veracitate Dei revelantis; si namque omniscius dumtaxat esset, dubitari posset an vellet decipere. Si tantum verax et non omniscius, merito posset ambigi an ipse deciperetur.

Pro pleniori eorum quae dicta sunt intelligentia animadvertendum est, quod si assensum fidei divinae excipias, intellectus humanus ad ce-

teros actus suos non voluntate, sed necessitate movetur. Neque enim est potentia libera, sed necessaria. Quando scilicet rei veritas ab intellectu evidenter cognita est, dissentire nullo modo potest, et quando falsitas nequit assentiri aut judicium suspendere suum: sed veritati evidenter cognitae assentitur necessario, sicuti necessario dissentit evidenter cognitae falsitati, frustra aliud imperante voluntate vel auctoritate persuadere conante. Si autem veritas vel falsitas sit intellectui obscura, tunc quidem moveri ad assentiendum vel dissentiendum potest ab auctoritate hominis, quem veracem ac de re illa instructum judicat, quamdiu nulla ratio vel auctoritas animum in contrarium trahat. Quod si probabili ratione vel auctoritate moveatur in oppositum, impossibile est ut ulla humana auctoritate ad firmum ac indubitatum moveatur assensum vel dissensum, sed aut dubius in suspenso manebit, aut assentietur vel dissentietur cum formidine ad oppositum. Itaque si sensus aut humana ratio aliquid intellectui renunciet sic non esse aut esse non posse, quemadmodum circa omnes ferme fidei veritates contingit, nisi divina falli et fallere nescia accedat auctoritas, nulla alia auctoritas illa inferior persuadere ipsi poterit ut firmiter assentiatur. Intellectus quippe sic formidat errorem, ut ubi apparentia sit falsitatis non permittat hominem ulli humanae auctoritati tantum tribuere quo firmum tribuat assensum. Quod si homo propter alterius hominis auctoritatem rei dubiae et cum falsitatis apparentia propositae assensum exhibeat, insipienter ac illicite se gerit. Insipienter plane quoniam rem sibi creditu difficilem visam, leviter ac sine sufficienti credit ratione; adeoque periculo graviter peccandi temere se exponit. Illicite vero, imo in rebus ad salutem spectantibus etiam impie, quia creaturae dat quod soli creatori debetur, obsequium nimirum suae rationis. At ubi aeterna veritas aliud affirmat ac docet quam quod ratio et sensus renunciant, jam ipsa recta ratio dictat sensum ac rationem quae duo errori ac ludificationi obnoxia sunt, divinae cedere debere auctoritati et in sententiam descendere incommutabilis veritatis, animadvertens in Deo esse omniscientiam et veracitatem. Quo certè in casu *Neque auctoritatem ratio penitus deserit, cum consideretur cui sit credendum: et certe summa est ipsius jam cognitae atque perspicuae veritatis auctoritas*, ait S. P. Augustinus lib. de vera Relig. cap. 24. Ex quibus ita disputatis satis liquet objectum formale fidei divinam esse auctoritatem, ac proinde ut assensus aliquis licet firmissimus sit actus fidei divinae, non sufficit ut praestetur veritatibus a Deo revelatis, sed necesse est praeterea ut praestetur propter auctoritatem Dei revelantis. Hinc sit

CONCLUSIO II.

Assensus veritati a Deo revelatae praestitus propter auctoritatem Scripturae vel Ecclesiae proponentis vel propter consimile motivum, et ipse est actus fidei supernaturalis.

Prob. simul et explicatur prop. Accidit aliquando ut aliqui fideles

interrogati cur hoc vel illud fidei dogma firmiter credant., respondeant se idcirco credere quoniam catholica Ecclesia hoc docet, vel generale concilium sic definivit, vel quoniam expressum habetur in sacra Scriptura vel Traditione. Hoc in casu affirmo assensum illum esse actum fidei supernaturalis, quoniam revera praestatur propter anctoritatem Dei revelantis. Neque enim aliam ob caussam quae in sacra Scriptura et Traditione clare expressa sunt et quae docuerunt Apostoli firma fide creduntur, nisi quia per Scripturam Traditionem et Apostolos locutus est Deus qui est infallibilis in loquendo veritas: nec alia de caussa firmus praestatur assensus iis quae catholica Ecclesia credenda proposuit aut generale definivit concilium, nisi quia Ecclesia sive per orbem dispersa sive congregata in concilio testis est infallibilis a Deo factae revelationis. Suppono tamen eos qui ejusmodi assignant proprii assensus rationes, nosse ac certo scire in Ecclesia Scriptura Traditione Apostolis et conciliis audire se Deum ipsum loquentem. Quod si ignorent in illis esse aut saltem per illa certo et infallibiliter divinam innotescere auctoritatem, non erit talis assensus supernaturalis fidei actus: adeo verum est objectum formale fidei esse supremam Dei revelantis auctoritatem.

SCHOLION.

Quaeri hoc loco potest quid de assensu existimandum sit illorum qui interrogati cur hoc aut illud fidei dogma credant, vel nihil respondent, vel ita se credere asserunt, Ut salvi fiant, vel quia sic credendum esse audierunt a pastoribus magistris parentibus.. Ut hanc resolvamus quaestionem duo hominum genera sunt distinguenda; alterum eorum qui in temporalibus negociis satis superque intelligentes et astuti quum sint, in rebus tamen ad fidem spectantibus propria eorum culpa rudes sunt et imperitissimi: alterum vero eorum qui neque sua neque praeceptorum culpa, sed proprii ingenii infelicitate motivum nequeunt assignare fidei, quamvis in rebus ad pietatem ac religionem spectantibus assidui sint ac diligentissimi. Si de primis loquamur fidelibus, dico illos ordinarie loquendo nullum elicere fidei supernaturalis assensum. Et quidem 1. quoniam fidei assensus est actus verae virtutis, ut per se patet. Verum qui credit quae sensibus sunt imperceptibilia humanaeque rationis captum longissime superant ab alia motus caussa quam ab auctoritate divina, quis dixerit actum ab eo exerceri virtutis? Actus enim virtutis gravis esse debet et prudens. Talis autem assensus ille non est, sed levis potius ac imprudens juxta illud Eccli. cap. 19. *Qui cito credit, levis corde est*. 2. Actus fidei supernaturalis est, ut diximus, assensus veritatibus revelatis propter Dei revelantis auctoritatem. Hujusmodi autem non est assensus in casu proposito. 3. Si Christiani de quibus loquimur, eadem cum catholica Ecclesia credunt, casui potius quam virtuti est adscribendum. Nam si parentes magistri pastores a quibus edocti sunt fuissent haeretici, ex eodem motivo erroribus etiam fidei contrariis assensum praebuissent.

De altero autem fidelium genere existimo elicere ut plurimum germanos verae fidei actus. 1. quoniam ii fideles non raro saltem virtualiter verum exprimunt fidei motivum, veluti dum se credere dicunt quia id Deus praecipit, vel quia illa est Dei voluntas, vel quoniam omnes fideles ita credunt etc. 2. Quoniam illorum responsa suam accipiunt determinationem ab actibus pietatis quos constanter exercere suppono. Atque ita ostendunt fidem suam *ex operibus*, ut ait Jacobus; quamvis subobscurum sit quomodo Spiritus sanctus in eorum cordibus absque explicita motivi propositione fidei assensum et convinctionem operetur. 3. Quia Bernardus serm. 2. de Pasch. ita scribit: *Si videris hominem bonis operibus strenuum et fervore conversationis hilarem vivere, in eo fidem non dubites, indubitata tenens vitae illius argumenta.*

Nonnullarum enodatio difficultatum.

Obj. 1. cont. prim. th. Objectum formale fidei est ultima ratio assentiendi. Ast ultima ratio cur alicui articulo fidei assentimur est potius ipsa divinitas quam divina auctoritas. Nam veritatibus revelatis assentimur propter auctoritatem Dei loquentis: acquiescimus vero divinae auctoritati propter Dei omniscientiam et veracitatem: ac denique Deum omniscium esse dicimus atque veracem propter suam divinitatem. Adeoque veritatibus assentimur revelatis propter divinitatem. II. dici etiam potest ultimam rationem cur fidelis fidei articulis assentiatur esse auctoritatem Ecclesiae proponentis. Ideo quippe articulis fidei credimus quia Ecclesia in eos articulos esse credendum docet.

Resp. ad 1. Ex tribus illis assensibus primus dumtaxat est assensus hominis fidelis, nempe, Assentimur veritatibus revelatis propter Dei revelantis auctoritatem. Reliqui autem duo assensus in argumento expressi, sunt theologi ex principiis vel revelatis vel ratione cognitis ratiocinantis. Imo duo posteriores assensus si virtualiter non includerentur in primo, nullo modo essent supernaturalis fidei assensus; quum non propter Dei revelantis elicerentur auctoritatem.

Ad 2. Ultima ratio cur fidei assentiamur articulis, debet esse caussa nostri assensus: auctoritas porro Ecclesiae proponentis non est caussa nostri assensus; quum assentiamur quia scimus articulos illos esse a Deo revelatos. Necessaria tamen est de lege ordinaria etiam auctoritas Ecclesiae proponentis, sed tamquam conditio, non tamquam caussa. Nisi enim nobis talem articulum a Deo esse revelatum Ecclesia proponeret, plerumque nesciremus quaenam essent fidei nostrae objecta. Sed de hoc argumento capite sequenti.

Obj. 2. cont. schol. 2. prop. Quae ibi dicta sunt adstruere videntur spiritum privatum haereticorum. Dictum est siquidem nescire nos quomodo Spiritus sanctus in illorum fidelium cordibus fidei operetur assensum atque convinctionem. Quod idem dicere possunt de eorum privato spiritu haeretici.

Resp. latissimum esse discrimen. Nam haeretici Ecclesiae omnium matris contempta doctrina, privatim se a Spiritu sancto de Scripturarum sensu deque aliis credendis edoceri mentiuntur. Hi vero simplices rudesque fideles Ecclesiam uti magistram audiunt, et nihil aliud nisi quod ab ipsa per suos ministros atque pastores didicerunt firmiter credunt. Credunt autem non propter privatam revelationem ut haeretici, sed propter revelationem communitati Ecclesiae a Deo factam, quamvis nequeant hoc verbis exprimere.

CAPUT VIII.

De analysi fidei, et de motivis credibilitatis.

Ex iis quae superiori capite diximus, satis intelligitur quod si fiat nostrae fidei analysis, ultimo resolvitur in auctoritatem Dei revelantis tamquam in unicam assensus nostri caussam. Quoniam tamen si quis interrogatus cur in aliquem fidei articulum credat, recte respondet se credere quia illum Ecclesia credendum proponit vel quia motiva credibilitatis illum credendum esse suadent, sicque cuipiam videri posset fidem nostram vel in auctoritatem Ecclesiae vel in motiva credibilitatis ultimo resolvi, videndum hoc in capite est quonam dici possit sensu fidem resolvi in auctoritatem Ecclesiae et in motiva credibilitatis. Et quia ex ipso nomine non satis clare intelligere queunt tyrones quid et quaenam sint motiva credibilitatis, hinc de his etiam nonnulla dicemus. Interim sit

CONCLUSIO I.

Auctoritas Ecclesiae proponentis non est id in quod fides resolvitur tamquam in caussam assensus.

Prob. Qui fidei nostrae initiatur non desinit in auctoritate Ecclesiae proponentis, sed ab ea potius incipit ut in auctoritate ultimo quiescat Dei revelantis ad firmum praestandum assensum veritatibus a Deo revelatis. Pone infidelem qui ducendus sit ad fidem. Huic per rationes naturali lumine notas suadendum est in primis aliquod supremum ens omnis imperfectionis expers, proindeque falli ac fallere nescium necessario existere, quod ens Deum appellamus. Deinde idem infidelis docendus erit coetum quemdam hominum in terris existere, summum illud ens colentium, quem Ecclesiam vocamus, asserentem quamdam se a Deo accepisse doctrinam ab omnibus salvari volentibus necessario colendam et observandam. Rursus ostendendum ex motivis credibilitatis, de quibus postea, quod jure ac merito coetui illi fides adhibeatur, quum solius Dei opus esse potuerit. His persuasus rationibus ac divina opitulante gratia infidelis ille ad Ecclesiam accedet, et quaenam salutaris ea doctrina sit edoceri desiderabit. In cujus expositione si quaedam intellectus humani captum excedentia, et philosophiae ac rationi in speciem repugnantia audierit, initio qui-

dem haesitabit. Verum hinc intellectus sui considerans imbecillitatem, inde sciens per Ecclesiam quam putat jam a Deo instructam id de quo dubitat a Deo omnisciente atque veraci fuisse revelatum, assentitur demum non aliam ob caussam quam quia Deus revelavit, et ita intellectum captivat amore aeternae ac incommutabilis veritatis ex divina gratia concepto. Vides ne hujus hominis fidem non in Ecclesiae, sed in Dei tandem resolvi auctoritatem? Nempe si ab eo quaeras cur credat? respondebit, quia Deus revelavit. Si ulterius interroges unde id quod fide tenet a Deo revelatum esse sciat? tunc viam releget per quam ad veritatis venit agnitionem. Dumque respondebit ex eo sibi certum esse Deum revelasse quia Ecclesia una sancta apostolica catholica idipsum testatur, nec posse se testi tantae veracitatis certissimis notis insignitae fidem non praebere, jam non magis rationem dat assensus theologici quam fidei veritatibus praebeat assensum. Simili ratiocinio ostendi potest eamdem esse fidei analysim hominis qui ex judaeo vel haeretico fit catholicus. Ex his interim colligo auctoritatem Ecclesiae proponentis non esse id in quod fides tamquam in caussam assensus resolvitur.

CONCLUSIO II.

In auctoritatem Ecclesiae ultimo resolvitur fides tamquam in regulam per quam revelatio cognoscitur.

Prob. In id tamquam in regulam fides divina resolvitur, quod est medium quo ordinaria lege cognoscimus quid fide divina credendum, quid rejiciendum sit. Talis autem est auctoritas Ecclesiae proponentis. Neque enim aliam tutiorem habemus viam ad certo dignoscendum hunc vel illum articulum esse a Deo revelatum, alium confictum esse ab hominibus vel ex theologiae principiis dumtaxat deductum, nisi auctoritatem Ecclesiae. Nam si aliquod aliud esset ad divinam cognoscendam revelationem medium, esset profecto ipsa sacra Scriptura. Ast tanta est in inveniendis pariendisve aliis et aliis sacrae Scripturae sensibus humani ingenii foecunditas, ut nisi fixa quaedam statuatur auctoritas a qua verum illius sensum addiscamus, nihil futurum erit in fide certum, aliis hoc aliis illo modo Dei verbum pro suo lubitu et affectu interpretantibus, ac errores suos nonnullis male intellectis Scripturae locis suffultos in fidei articulos erigentibus. Quum ergo ipsa sacra Scriptura sufficiens medium non sit ad divinam cognoscendam revelationem, auctoritas admittenda est Ecclesiae in quam fides nostra tamquam in tutiorem regulam resolvatur. Neque enim aut humana ratio cum Socinianis, aut spiritus cujusque privatus cum Calvinistis veluti regula fidei admitti possunt, ut harum Institutionum tomo 1. fuse demonstravimus.

Dixi fidem resolvi in auctoritatem Ecclesiae tamquam in regulam *de lege ordinaria*, quoniam fuere olim nonnulli et etiam nunc esse possunt, qui absque Ecclesiae proponentis auctoritate veram habuerunt ac habere possunt supernaturalem fidem. Sed ex lege id extraordinaria,

CONCLUSIO III.

Fides resolvitur etiam in motiva credibilitatis , sed tamquam in conditionem sine qua divina non cognoscitur revelatio .

Prob. Ut quis veram habeat fidem , cognoscere certo debet articulos a se admissos esse a Deo revelatos ; objectum quippe formale fidei est auctoritas Dei revelantis . Porro nemo cognoscere potest articulos a se admissos esse a Deo revelatos nisi per motiva credibilitatis . Vel enim articulos illos a Deo revelatos esse cognoscit per aliam divinam revelationem, vel per motiva credibilitatis . Primum dici nequit , alioquin progressus daretur in infinitum ; quoniam rursus quaeri posset quomodo divina revelatio per quam articulos fidei esse a Deo revelatos cognoscimus , innotescat , an per aliam revelationem ? et ita deinceps . Admittendum est ergo secundum , necessaria videlicet esse motiva credibilitatis ut cognoscamus articulos fidei esse revera a Deo revelatos . Motiva haec necessaria profecto non sunt ad fidem nisi ut conditio , ac propterea resolvitur fides in motiva credibilitatis tamquam in conditionem sine qua divina revelatio non cognoscitur . Hinc in V. Testamento, Eccli. nempe cap. 19. legitur : *Qui credit cito , levis corde est* . Et Jerem. cap. 23. *Non mittebam prophetas , et ipsi currebant : non loquebar ad eos , et ipsi prophetabant* . In novo autem Christus ipse missionis suae veritatem variis motivis credibilitatis confirmavit . *Loquor vobis* , ajebat Johan. cap. 10. *et non creditis : opera , quae ego facio in nomine Patris mei , haec testimonium perhibent de me* . Et rursus : *Si non facio opera Patris mei , nolite credere mihi . Si autem facio : et si mihi non vultis credere , operibus credite , ut cognoscatis et credatis , quia Pater in me est , et ego in Patre* . Idipsum affirmat Apostolus in ep. ad Hebr. cap. 11. dicens : *Quomodo nos effugiemus , si tantam neglexerimus salutem ? quae cum initium accepisset enarrari per Dominum , ab eis qui audierunt , in nos confirmata est , contestante Deo signis, et portentis , et variis virtutibus* . Haec hujusque generis alia quae afferri possent, necessitatem confirmant motivorum credibilitatis ad habendam fidem ; atque idcirco probant fidem in motiva resolvi credibilitatis tamquam in conditionem .

SCHOLION .

Animadverte tamen nos necessitatem admittere motivorum credibilitatis de lege ordinaria . Nam extraordinarie fieri posset ut quis nullo credibilitatis ductus motivo crederet; si Deus videlicet specialissima gratia cor hominis moveat et mentem ad credendum illustret , ut forte factum est cum Lydia purpuraria quae absque ullo viso miraculo , sed ad solam Pauli praedicationem fidelis evasit , et de qua Lucas in Act. Ap. cap. 16. inquit : *Colens Deum audivit : cujus Dominus aperuit cor intendere his quae dicebantur a Paulo* .

Praecipua nunc recenseamus, ut ab initio spopondimus, motiva credibilitatis. Sed principio motivorum credibilitatis notio tradenda est. Sunt ergo motiva credibilitatis argumenta quaedam invictissima et evidentia quibus demonstratur veritates quae a nobis creduntur tamquam revelatae, esse reapse a Deo revelatas. Infideli namque vel haeretico cui fidei nostrae articulos credendos proponimus, dubium esse posset an quae Ecclesia catholica credit revera sint a Deo revelata. Hinc argumentis evidentibus atque invictissimls divinitus factam revelationem ei demonstrare debemus; alioquin si rebus tam obscuris tamque captu difficilibus in negotio tanti momenti qualis est aeterna salus assensum praebere recuset, reprehendi non poterit. Credere siquidem est tam firmiter assentiri, ut oppositum impossibile judicetur. Argumenta autem haec appellantur motiva credibilitatis, quoniam infidelis vel haereticus ab his motivum sumit credendi veritatibus a Deo revelatis. Nec tamen omnibus eadem et aequalis momenti argumenta seu motiva quod e divinitus facta revelatione persuadeantur necessaria sunt, quoniam non eadem est omnium hominum capacitas atque doctrina. Pueris v. g. parentum sacerdotum ac praeceptorum auctoritas sufficiens motivum esse potest ut prudenter judicent a Deo revelatum esse quidquid ipsis ut revelatum credendum proponitur. Sed majoribus doctioribus eadem auctoritas non sufficeret. Sed ad rem descendentes praecipua haec motiva exponamus, ut manifestum fiat quod testimonia Domini credibilia facta sunt nimis.

I. motivum credibilitatis sunt prophetiae quae Christi Domini nostrae fidei institutoris adventum praecesserunt, quaeque de ipso sunt verificatae. Jacob, Daniel, Isaias, aliique tam manifeste de Christo locuti sunt tot ante ejus adventum saeculis, ut non de venturo vaticinari, sed de praesenti loqui videantur. Horum igitur auctoritate oraculorum validissime christianae religionis veritas demonstratur, atque ab illis deducto argumento revera sancti Patres os obstruebant gentilibus affirmantibus Christum magicis usum fuisse artibus quo ab hominibus coleretur: *Nondum erat homo Christus, quando misit Prophetas. Quisquis eum dicit magum fuisse: Si ergo magicis artibus fecit ut coleretur et mortuus, numquid magus erat, antequam natus?* Ita argumentum versat S. P. Augustinus serm. 43. de Script. alias 27. de verb. Apostoli cap. 4.

II. argumentum sumitur ex persona Christi Domini christianae auctoris religionis. Fuit ille excellentissimae sanctitatis ac innumerabilium patrator miraculorum. Cujus rei testimonia luculentissima vis veritatis extorsit ex ore ipsorum christianae religionis inimicorum. Nam Fl. Josephus religione judaeus plusquam hominem eum fuisse affirmat. Tiberius imperator de illo ad senatum retulisse memoratur ut ei divini decernerentur honores. Alexander Severus et ipse imperator et ethnicus, Christi Domini effigiem inter ephesinorum statuas deorum poni voluit in suo sacello. Mahometes, insignis ille impostor, appellavit Christum maximum inter prophetas. Et qui infensissimi extitere calumniatores, ut Celsus, Porphyrius, Julianus apostata, illius miracula quum negare non possent, adscripserunt magicis artibus, sed absque ulla penitus ratione.

III. motivum subministrat modus quo christiana fuit religio propagata. In primis quinam fidei nostrae doctrinam persuaserunt? duodecim Apostoli natione judaei, hoc est de gente toti humano generi invisa, conditione plebei, professione piscatores, facultatibus pauperes, viribus infirmi, literarum rudes, eloquio inculti, omni humano auxilio atque favore destituti. Quibus suaserunt? universo orbi paucissimi, philosophis idiotae, principibus plebei, divitibus pauperes, gentilibus judaei. Quid vero suaserunt? contribulibus suis ut patrum suorum a Deo acceptam legem desererent, gentilibus ut renuntiarent cultui deorum quibus divitias potentiam felicitatem gloriam, tam suam particularem quam totius romani imperii, acceptam ferebant. Suaserunt praeterea ut doctrinam amplecterentur christianae religionis omnem idolorum cultum rejicientem, ethnicae philosophiae principiis penitus repugnantem, vitia quae pro diis colebant condemnantem, inimicam cupiditatibus, carni opibus gloriae contrariam. Per quae media tanta perfecerunt? non persuasibilibus humanae sapientiae verbis, non armorum vel amicorum vi atque potentia, non favore principum, non divitiarum subsidio: sed in doctrina spiritus, ut ait Apostolus, insanientibus et calumniantibus judaeis, ethnicis irridentibus, saevientibus persequentibus ac dirissima quaeque inferentibus tormenta principibus saeculi. Quonam successu? brevissimo tempore orbi universo salutaris doctrinae lucem intulerunt, ita ut unus Apostolus Paulus, ut ipse ad Rom. cap. 15. scribit, ab Jerusalem ad Illyricum usque, totam interjacentem terram Christi repleverit Evangelio, nec aliud jam ulterius illis in regionibus habens, Romam et in occidentem venire decreverit ut satis vastum suis certaminibus campum inveniret.

IV. credibilitatis argumento materiam suppeditat sors judaeorum. Evenerunt illis quaecumque Christus eventura praedixit, Hierosolymorum videlicet eversio, Judaeae desolatio, infelicissimae gentis dispersio, ac maledictio perpetua contra impios Juliani apostatae conatus, qui nullum non movit lapidem quo falsum mendaxque redderet Christi vaticinium.

V. consideranda venit fortitudo martyrum inter quos senes decrepitae aetatis, imbelles pueri, tenerrimae ac delicatissimae virgines: hi, inquam, sartagines, ignes, gladios, horrenda quaeque ac lenta supplicia pro ludis habuerunt, fatigarunt tyrannos, carnifices in admirationem traxerunt. Nihil ferme in eorum actis legitur quod humanas vires in immensum non superet.

VI. loco sese oculis offert splendor miraculorum de quibus praeter Evangelistas, testes habemus omni exceptione majores, Basilium in lib. de Spiritu sancto, Gregorium nazianzenum in sanctis Gregorio thaumaturgo et Ephrem, Hieronymum in Hilarione, aliisque sanctorum vitis a se descriptis, Athanasium in S. Antonio, Severum Sulpitium in S. Martino, et alios tum veteres tum recentiores innumeros in quamplurimis sanctis.

VII. loco consideranda est christianae religionis inter gentilium persecutiones haereticorumque fabulosa commenta, integritas ac perseverans incolumitas. Quid non in omnibus istis mirabile, ac omnes non humanas modo, sed et angelicas vires excedens? Et ad haec nihilominus plura

non minus mirabilia addi possunt quae brevitati consulens relinquo, et legi possunt apud Chrysostomum, Augustinum, omnesque christianae religionis tam veteres quam recentiores apologistas. Haec interim satis abunde adversus gentiles, judaeos, et turcas demonstrant christianam religionem adeo evidenter credibilem esse, ut merito praedictum sit a Davide, *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*. Adversus autem haereticos ad persuadendum solam catholicam Ecclesiam esse veram Ecclesiam, urgeri possunt verae Christi Ecclesiae notae de quibus tomo 1. harum Instit. satis fuse pertractavimus. Atque haec de motivis credibilitatis attigisse sufficiat.

Breviter solvuntur aliquot argumenta quae contra superiores theses facere videntur.

Obj. 1. cont. 2. prop. Fides resolvitur in auctoritatem Ecclesiae tamquam in caussam assensus: quoniam fidelis idcirco articulo fidei assentitur quod sibi proponatur ab Ecclesia. 2. Et revera inter cetera credere debemus de fide divina quod facta a Deo sit aliquarum veritatum revelatio: ast hoc credere non possumus nisi propter auctoritatem Ecclesiae hoc idem testificantis: ideoque ultima ratio credendi est in Ecclesiae auctoritate statuenda.

Resp. ad 1. Argumentum hoc probat dumtaxat fidem resolvi in auctoritatem Ecclesiae tamquam in regulam et conditionem, non tamquam in objectum formale, ut in superiori thesi demonstravimus. Quod ut luculentius percipiatur, animadverto se habere auctoritatem Ecclesiae proponentis ad fidei assensum sicuti literarum regis insinuatio a publico notario facta, se habet ad obedientiam regio mandato literis illis contento debitam; literis namque fidem non praestaremus nisi a publica nobis exhiberentur auctoritate. Nec proinde obedientiam praestamus ob exhibitionem a publica illa persona factam, sed ob regis praecipientis auctoritatem. Ita plane in casu nostro. Non crederemus has vel illas veritates esse a Deo revelatas, nisi publica Ecclesiae auctoritas proponendo hoc testaretur. Sed firmiter credimus esse veritates propter auctoritatem Dei revelantis.

Ad 2. Posita hac rerum distinctione nullam vim habet argumentum. Credimus quippe propter Ecclesiae auctoritatem hoc testificantis tamquam conditionem ac extrinsecum medium quo verum fidei motivum nobis innotescit, non tamquam motivum ipsum nostri assensus.

Obj. 2. Motiva credibilitatis nullo prorsus modo ad fidem requiruntur. Nam saepe Christus Dominus judaeos redarguit quod motiva credibilitatis exigerent ut in ejus crederent missionem. Puta Matth. cap. 12. inquit: *Generatio mala et adultera signum quaerit: et signum non dabitur ei*. Et Johan. cap. 4. *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis*. II. ad fidem habendam sufficere videtur sola verbi revelati praedicatio. Nam Apostolus in ep. ad Rom. cap. 10. scribit: *Fides ex auditu*,

auditus autem per verbum Christi. III. imo idem Apostolus a persuasione fidei excludit etiam humana ratiocinia, dicens in 1. ad Cor. cap. 2. *Sermo meus et praedicatio mea, non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis*. Multo ergo magis excludit argumenta credibilitatis.

Resp. ad 1. Christus Dominus redarguit judaeos non quod miracula exigerent, sed quod alia et alia post jam visa expectarent: vel quoniam unusquisque propriis oculis conspicere illa volebat, non contentus fidem testimonio aliorum adhibere. Ceterum idem Christus qui judaeos quod miracula quaererent reprehendit, maximum spondet illis prodigium, dicens: *Signum non dabitur ei, nisi signum Jonae prophetae*, miraculum nempe suae resurrectionis.

Ad 2. Non excludit Apostolus motiva credibilitatis; alioquin ad suadendam fidem seu missionem suam demonstrandam cur tot patrabat miracula? Mens ejus ergo est, innuere neminem de ordinaria lege credere nisi audiat Evangelium: quod certissimum est.

Ad 3. Excludit Paulus in ea sententia humana ratiocinia directa ad perscrutanda et curiosius investiganda divina mysteria, non motiva credibilitatis. Nam e vestigio subdit: *Sed in ostensione spiritus, et virtutis*: *ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei*. Per ostensionem autem virtutis quid aliud profecto intelligit nisi signa et prodigia? atque idcirco motiva non excludit credibilitatis.

CAPUT IX.

De subjecto Fidei.

Subjectum fidei esse rationalem creaturam nullus theologus ambigit. Hoc tamen praesupposito multas instituere solent quaestiones; et 1. Quoniam in rationali creatura duae praecipuae distinguuntur secundum connotata potentiae, intellectus videlicet atque voluntas, inquirunt Theologi an in intellectu potius quam in voluntate, vel in utraque resideat fidei potentia. Quaestio haec quamvis inutilis prima fronte ac frivola videatur, quam plurimum nihilominus valet ad refellendos Calvinianos: qui contendentes fidem non esse firmum veritatibus a Deo revelatis assensum, sed potius quamdam in promissiones divinas fiduciam, inferunt inde ad voluntatem magis quam ad intellectum pertinere. Quapropter communiorem nos amplectentes Theologorum sententiam, statuemus fidem prout est theologica virtus, ab intellectu ac voluntate produci, sed ad intellectum magis pertinere quam ad voluntatem.

Inquirunt 2. an modo eadem virtus fidei sit in creaturis rationalibus quae pervenerunt ad terminum. Pro cujus intelligentia unum breviter animadverto, rationales nimirum creaturas quae pervenerunt ad terminum esse vel angelos ac homines beatos in patria, vel daemones hominesque damnatos in inferis, vel animas denique quae purgatorio igne torquentur. Quoad angelos ac beatos homines in patria nemini dubium

quin circa ea quae necessariam habent cum divina essentia connexionem fide careant, quamvis fidei virtutem retineant respectu eorum quae libera sunt et contingentia. Consentiunt similiter omnes non esse fidem theologicam in daemonibus hominibusque damnatis, quum pio careant affectu erga Deum revelantem. Sed in animabus quae purgatorio igne torquentur, adhuc fides theologica permanet: quoniam etsi animae illae dici possint pervenisse ad terminum quatenus mereri amplius non possunt, sunt nihilominus adhuc in via, quum ad patriam nondum pervenerint. Sed haec per se clara sunt.

Quaestio 3. inter Theologos agitari solita est, an in haereticis maneat fides illorum respectu articulorum in quibus recte cum catholica Ecclesia sentiunt. Negat S. Thomas, Durandus affirmat. Pro controversiae hujus dilucidatione observandum est quaestionem non esse de iis qui haeretici sunt tantum *materialiter*; hi namque fidei habitum in baptismate infusum retinere adhuc credendi sunt, non minus quam quidam ex veteribus Patribus quales fuerunt, Papias, Justinus, Lactantius et alii qui circa nonnullos articulos nondum definitos simpliciter errarunt: bene vero de haereticis illis qui multos nobiscum admittunt fidei articulos, multos autem praefracte ac pertinaciter negant; et praecise inquiritur an respectu articulorum quos nobiscum fatentur, fidei retinere virtutem dici possint. His claritatis caussa praemissis ad initium revertamur.

CONCLUSIO I.

Fides prout est theologica virtus, ab intellectu et voluntate producitur: sed ad intellectum potius quam ad voluntatem pertinet.

Prob. prima thes. pars. Ad veram habendam fidem requiritur revelatarum convinctio veritatum ac eisdem veritatibus consensio. Nam si fides non esset convinctio, esset potius opinio quam fides, quoniam inniteretur verisimilitudini. Et rursus si fides non exigeret consensionem, vera esset in daemonibus etiam atque damnatis fides, quum convicti sint de veritatibus omnibus revelatis. Ast vero convinctio pertinet ad intellectum, et consensio ad voluntatem; nil aliud quippe est convinctio quam certa rei cognitio, quae plane spectat ad intellectum. Et consensio est rei approbatio pertinens, ut per se patet, ad voluntatem, juxta illud S. P. Augustini in lib. de Spir. et litt. cap. 34. *Consentire vel dissentire propriae voluntatis est*. Intellectus itaque ac voluntas fidem producunt.

Prob. altera pars. Actus fidei essentia consistit in firma constantique veritatum a Deo revelatarum persuasione, ut vel ex ipsa fidei definitione hujus libri cap. 2. a nobis tradita patet. Porro firma illa et constans persuasio quum sit verum judicium, nonne pertinet ad intellectum? Fides itaque ad intellectum potius quam ad voluntatem spectat, licet pertineat etiam, ut diximus, ad voluntatem, quatenus intellectui imperat ut credat, eumque a difficultatum avocat consideratione quae illum ab as-

sensu praebendo possent deterrere, et quatenus denique ejusdem intellectus approbat convinctionem.

CONCLUSIO II.

In angelis et hominibus beatis non est modo fides respectu eorum quae necessariam habent cum essentia divina connexionem, quamvis esse possit respectu eorum quae libera sunt et contingentia.

Prob. prior pars. prop. Apostolus in 1. ad. Cor. cap. 13. *Ex parte*, inquit, *cognoscimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* Per hanc sententiam innuit Apostolus rationalem creaturam in via existentem videre per speculum et in aenigmate, hoc est per fidem, quae humanum superant captum, nobisque proposita sunt ad credendum tamquam media quibus ad patriam perveniamus, creaturam autem existentem in patria fide non amplius indigere ad ea cognoscenda atque tenenda quae per intuitivam visionem clare intuentur in Deo.

Prob. altera pars. Angeli ac reliqui in patria beati in essentia divina non vident futura libera et contingentia, neque enim cum illa necessariam habent connexionem: potest autem Deus angelis atque beatis futura libera et contingentia revelare; atque ita circa illa possunt habere fidem.

CONCLUSIO III.

In daemonibus hominibusque damnatis non reperitur vera fides: est autem in animabus quae purgatorio igne torquentur.

Prob. prior th. pars. Non datur vera ac theologica fides sine charitate saltem initiali, per quam placeant et approbentur quae a Deo sunt revelata. Ast vero daemones hominesque damnati nec habent nec habere possunt vel minimum charitatis initium, quum nequeant a Deo recipere gratiam quae ad charitatem omnino necessaria est. Argumentum est S. P. Augustini in ep. 194. alias 105. ad Sixtum cap. 3. ubi sic scribit: *Hanc fidem Apostolus definivit, dicens, Neque circumcisio est aliquid, neque praeputium; sed fides quae per dilectionem operatur. Ista quippe fides est Christianorum, non daemonum: nam et daemones credunt et contremiscunt, sed numquid et diligunt? Nam si non crederent, non dicerent, Tu es sanctus Dei: vel, Tu es filius Dei. Si autem diligerent, non dicerent, Quid nobis et tibi?*

Prob. pars. altera. Animae in purgatorio existentes, hinc cum Dei visione careant, non vident in divina essentia mysteria revelata: inde quum justae sint et electae, firmissime sperant aeternam quae ipsis certo repromissa est beatitudinem. Spes autem nequit sine theologica fide consistere; ac ideo una cum spe veram retinent fidem.

CONCLUSIO IV.

Non permanet in haeretico vera fides.

Prob. 1. Scripturis. De nonnullis Galatis recens ad christianam fidem conversis, qui N. Testamenti dogmatibus atque praeceptis admiscere V. Testamenti volebant circumcisionem et ritus, Paulus ad eos scribens cap. 5. inquit: *Evacuati estis a Christo*; quamvis et baptismum et trinitatem et incarnationem cum reliquis fidelibus confiterentur: et hanc affert rationem, *Persuasio haec non est ex eo qui vocat vos*, videlicet a Deo revelante.

Prob. 2. Ex SS. PP. quorum in re tam manifesta unus sufficiat Augustinus qui Enchir. cap. 5. explicans Apostoli verba, *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Jesus*, quae prostant in 1. ad Cor. cap. 3. v. 11. ita scribit: *Neque hoc ideo negandum est proprium fundamentum esse fidei catholicae, quia putari potest aliquibus haereticis hoc nobiscum esse commune. Si enim diligenter quae ad Christum pertinent cogitentur, nomine tenus invenitur Christus apud quoslibet haereticos, qui se christianos vocari volunt: re ipsa vero non est apud eos.*

Prob. 3. theologica ratione. Ut quis veram habeat theologicam fidem, objectum formale fidei teneat necesse est; in fidei nempe articulos credere debet ob Dei revelantis auctoritatem. Ast haeretici in iis credendis quae a nobis uti fidei dogmata admittuntur, formale fidei objectum non tenent; neque enim ob auctoritatem Dei revelantis, sed aliam ob caussam ita credunt: Lutherani videlicet ob Scripturae quam solam controversiarum judicem putant auctoritatem; Calvinistae ducti ab eorum privato spiritu; Sociniani quia sic ratio ad cujus libellam omnia dimetiuntur dictat; et alii veteres haeretici iisdem aut aliis consimilibus de caussis, nemo autem quia sic Deus revelavit. Unde in faciem omnium haereticorum illud impingi potest quod ad Manichaeos ajebat olim Augustinus lib. 17. cont. Faust. cap. 3. *Qui Evangelio quod vultis creditis, quod non vultis non creditis, vobis potius quam Evangelio creditis*. Quapropter in haeretico nulla prorsus ex parte fides permanet.

Solvuntur contraria argumenta.

Obj. 1. adv. 1. thes. Actus fidei est actus virtutis theologicae liber ac meritorius: Ast quilibet actus liber et meritorius non ad intellectum, sed ad voluntatem spectat. Et revera in hoc assensus scientificus a fidei assensu differt, quod ille utpote ob evidentiam objecti necessarius, pertineat ad intellectum; hic autem ob objecti inevidentiam obscurus, pertineat ad voluntatem.

Resp. Actus virtutis liber ac meritorius hoc sensu pertinet ad voluntatem, quod haec imperet intellectui ut actum illum eliciat, non quod

ab ipsa eliciatur voluntate. Jam animadvertimus in assensu fidei suas habere partes utramque potentiam, intellectum videlicet et voluntatem. Quum enim esse debeat fides veritatis a Deo revelatae convinctio, sub hoc respectu pertinet ad iutellectum: ast veritas fidei obscura est, inevidens, intellectui naturaliter impervia; adeoque ab ejus assensu intellectus ipse per se refugeret, nisi a voluntate per Dei gratiam mota et excitata imperio suo determinaretur, atque hoc sensu pertinet fides etiam ad voluntatem. Magis autem ad intellectum quam ad voluntatem spectat, quoniam actus fidei proxime et immediate elicitur ab intellectu, et procedit a voluntate per modum dumtaxat imperii. Obscuritas autem et inevidentia objecti circa quod fides versatur, arguit tantum necesse esse ut voluntas imperet intellectui veritati illi obscurae et inevidenti assensum, non quod assensus a voluntate eliciatur.

Obj. 2. cont. alt. prop. S. Irenaeus lib. 2. cap. 47. scribit: *Et non solum in hoc saeculo, sed in futuro, ut semper quidem Deus doceat, homo autem semper discat quae sunt a Deo: sicut et Apostolus dixit, reliquis partibus destructis haec tunc perseverare, quae sunt fides, spes, caritas.* Demonstrant haec in angelis atque beatis in patria commorantibus remanere fidem. II. sed etiam in daemonibus. Nam Jacobus in sua ep. cap. 2. ita scribit: *Tu credis quoniam unus est Deus: Bene facis: et daemones credunt, et contremiscunt.*

Resp. ad 1. Irenaeus allata in sententia affirmat remanere in patria fidem vel quoad objecti certitudinem, vel quoad habitum et ornatum, vel potius respectu illorum quae necessariam non habent cum divina essentia quam beati intuitive conspiciunt connexionem, non autem vult remanere fidem quoad obscuritatem aliasque illius proprietates, vel quoad actum et exercitium, vel circa illa quae necessariam habent cum divina essentia connexionem.

Ad 2. Loquitur Jacobus de fide lato modo sumpta, non quae virtus est theologica. Duo quippe theologica fides importat, convinctionem nimirum et consensum per charitatem saltem initialem. Et convinctionem quidem veritatum a Deo revelatarum daemones habent, sed numquid exhibent illis per dilectionem consensum? Imo veritates revelatas eis quam maxime displicere observat S. Thomas 22. q. 5. an. ad 3. dicens: *Hoc ipsum daemonibus displicet, quod signa fidei tam sint evidentia, ut per ea credere compellantur; et ideo in nullo malitia eorum minuitur per quod credunt.*

Obj. 3. adv. 4. thes. Apostoli qui ex ore Christi praecipua exceperant fidei mysteria, veram proculdubio habebant fidem: et nihilominus illam quoad resurrectionem Christi amiserunt, fidem praestare nolentes mulieribus annuntiantibus Christum a mortuis resurrexisse; qua de re Christus idem Johan. cap. 20. dixit Thomae: *Noli esse incredulus, sed fidelis.* Et Marcus cap. ultimo narrat exprobrasse Dominum discipulorum *incredulitatem et duritiam cordis, quia iis qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt*. Quapropter consistere utique potest vera fides in eo qui unum vel al-

terum non admittit articulum. II. magis hoc confirmatur ex ritu quem Ecclesia in hebdomada majori in divinorum celebratione officiorum servat. Nam candelae quae gradatim extingui solent, significare videntur, juxta nonnullorum expositionem, extinctam in Apostolis tempore mortis Christi fidem. Et tamen nemo dixerit nullam absolute fidem in eis perseverasse. III. S. P. Augustinus non in haeretico modo atque schismatico, sed et in judaeo, imo et in gentili veram admittit quoad aliqua fidem, quamvis in plerisque turpissime errent. De haeretico enim donatista lib. de unico bapt. cap. 5. scribit: *Tene christianum baptismum in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, sicut tenebas; sed agnosce Christi Ecclesiam toto, sicut prophetatum est, orbe crescentem*. In lib. de Patientia cap. 26. de schismatico persecutionem tolerante pro Christo, ait patientiam schismatici donum esse Dei. In lib. paullo supra citato de unico bapt. scribit de judaeo: *Tene fidem resurrectionis mortuorum, sicut tenebas; sed crede jam Christum resurrexisse a mortuis, quod non credebas*. Denique non dubitat S. doctor veram quoad aliqua agnoscere fidem etiam in homine ethnico. Ait siquidem loco citato: *Tene ab uno vero Deo mundum conditum esse, quod tenebas; sed noli credere deos esse ligna* etc. Fuit igitur Augustini sententia remanere in homine haeretico circa ea quae nobiscum admittit veram fidem. IV. remanet in tali haeretico quaedam ad credendum facilitas ac propensio quae aliunde provenire non potest quam ab habitu fidei.

Resp. ad 1. Incredulitas Apostolorum credere nolentium mulieribus quae Christum a mortuis surrexisse narrabant, non talis fuit ut propter illam dici possit amisisse fidem. Qui enim homini privato mysterium fidei non satis exploratum narranti assensum exhibere recusat, si animum paratum habeat ad assensum majori auctoritati praestandum, infidelitatem plane non contrahit. Haec erat animi Apostolorum dispositio, ut eventus probavit.

Ad 2. Negant absolute Theologi ritum ab Ecclesia institutum extinguendi gradatim in majori hebdomada trianguli candelas, significare fidei extinctionem in Apostolis: sed post Rupertum abbatem lib. 5. de divinis officiis, ajunt denotare potius tenebras in morte Christi factas super terram, caecitatem cordis judaeorum, et mortem prophetarum. Atque ita nihil concludit argumentum.

Ad 3. brevissime dico reperiri, juxta Augustinum, in gentili, in judaeo, in haeretico, in schismatico aliquod fidei punctum nobiscum commune, *materialiter*, non *formaliter*. Neque enim olim gentiles, aut nunc judaei, haeretici atque schismatici credunt quae credunt propter auctoritatem Dei revelantis, sed propter aliam omnino diversam caussam. Atque si objecti natura spectetur, fides quoque judaei, haeretici et schismatici dici potest supernaturalis ac Dei donum. Nam nisi Deus hunc vel illum revelasset articulum, quomodo in illorum mentem cadere poterat? Ast quoad motivum credendi est omnino naturalis, aut prorsus coacta, ut fides quae est in daemonibus.

Ad 4. Inclinatio quae in haeretico est ad credendum, non oritur ex auctoritate Dei revelantis, sed ex institutione majorum aut catechistarum doctrina aut sectariorum consuetudine. Quare si fidei illius fiat analysis, tota resolvitur in motivum humanum.

CAPUT X.

De interioris fidei actualis necessitate.

Duplici modo dicitur aliquid ad salutem necessarium, necessitate nempe *medii*, et necessitate *praecepti*. Illud necessarium ad salutem dicitur necessitate medii, sine quo salus obtineri absolute non potest. Illud vero necessarium est necessitate praecepti, quod vi praecepti seu legis latae observandum est, nisi legitimum adsit impedimentum. Atque hoc primitus adnotatum volo. Quid interna, quid externa fides sit, sicuti et fides explicita et implicita quod secundo loco adnotandum esset, jam capite hujus libri secundo exposuimus.

Inquirendum itaque hoc in loco est 1. An fides actualis interior semper fuerit et adhuc sit omnibus adultis necessaria necessitate medii ad salutem. 2. An et quae fides necessaria fuerit necessitate medii V. Testamenti cultoribus in Christum et in Trinitatem. 3. Quae fides in Christum et Trinitatem necessaria sit necessitate medii in N. Testamento.

Circa primam quaestionem erravit Andreas Vega qui tridentinum illud decretum sess. 6. cap. 7. *Quod est sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contigit justificatio*, exponens lib. 6. cap. 20. docuit hominem in quovis statu sine fide sive in Deum sive in Mediatorem posse aliquo in casu aeternam obtinere salutem.

Circa quaestionem alteram non defuere Theologi qui arbitrati sunt V. Testamenti fidelibus ad aeternam obtinendam salutem solam satis fuisse fidem in Deum remuneratorem ejusque providentiam. Sed reliqui tenent necessariam tunc illis fuisse fidem implicitam in Trinitatem ac Christum redemptorem, explicitam autem in unum Deum, et in aliquem mediatorem, abstrahendo a modis ac circumstantiis quibus foret redemptio complenda.

Quoad tertiam quaestionem Sociniani quum Trinitatis mysterium divinitatemque Christi insolentissime negent, absque ulla haesitatione affirmant in N. Testamento nullimode ad salutem necessariam esse aut explicitam aut implicitam fidem sive in Trinitatem sive in Christum. Adhaeserunt hac in parte Socinianis Episcopius in instit. theol. lib. 4. sect. 2. cap. 53. Auctor operis cui titulus, *Irenicum Irenici*, et Hugo Grotius tomo 4. op. theol. p. 752. Ex catholicis Franciscus Suarez docere non dubitavit post Evangelii quidem promulgationem necessariam esse ad salutem explicitam fidem in Christum et Trinitatem, sed necessitate praecepti, non medii, ut omnes tenent Theologi. Quid circa singula statuendum sit sequentes aperient propositiones.

CONCLUSIO I.

Fides actualis interior semper fuit et nunc etiam est omnibus adultis necessaria necessitate medii ad salutem .

Prob. 1. ex Scriptura . Paulus in ep. ad Rom. cap. 10. v. 10. *Corde* , inquit , *creditur ad justitiam* . Et in ep. ad Hebr. cap. 11. v. 6. *Sine fide impossibile est placere Deo* . Sine interiori ergo fide nec justificatio obtineri ab homine potest, neque possumus Deo placere .

Prob. 2. consimili argumento deducto ex Tridentino concilio ubi sess. 6. cap. 6. legitur : *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia , et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum , credentes vera esse , quae divinitus revelata et promissa sunt* : ubi verbum, *moventur* , non habitum , sed actum proprie significat . Idem est sensus SS. PP. et universalis Ecclesiae .

Prob. 3. ratione . Ad consequendam salutem non sufficit ea cognitio quae solis naturae potest comparari viribus , quum finis hominis seu beatitudo ordinis sit supernaturalis . Ad finem autem obtinendum supernaturalem media requiruntur supernaturalia , inter quae primo loco computanda est fides supernaturalis .

CONCLUSIO II.

Ante evangelicam legem ad salutem obtinendam satis non erat sola fides in Deum remuneratorem ejusque providentiam , sed necessaria praeterea erat necessitate medii explicita fides in aliquem mediatorem, implicita autem in Christum et Trinitatem .

Prob. prior prop. pars . Ideo nonnulli Theologi docent fidem in Deum remuneratorem ejusque providentiam ante evangelicam legem satis fuisse ad aeternam obtinendam salutem , quoniam arbitrantur in fide remuneratoris ejusque providentiae implicite contineri fidem redemptoris . Id autem falsum penitus est . Nam si Adam non peccasset , proculdubio credidisset in Deum remuneratorem ; quum apostolica sententia , *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est , et inquirentibus se remunerator sit* , ad hominem pertineat etiam innocentem . Et nihilominus Adam innocens fidem in Deum remuneratorem habendo, nullam habuisset fidem in Christum : qui si Adam non peccasset, humanam carnem non assumpsisset . Hoc eodem modo ratiocinandum est etiam de providentia in quam certe etiam innocens Adam credidisset . Quare post Adae peccatum usque ad redemptoris adventum sola in Deum remuneratorem ejusque providentiam fides satis non erat ad salutem consequendam .

Prob. alt. pars thes . Ante evangelicam legem necessaria semper fuit in hominibus explicita fides de peccato ob Adami lapsum originali . Nam quilibet ob fidem in Dei providentiam confugere ad eumdem Deum tenebatur ut ab eo auxilia juxta propriam infirmitatem et indigentiam po-

stularet. Ast explicita originalis peccati fides nonne fidem exigit in aliquem redemptorem qui hominem ab eo peccato liberaret?

Dixi, *in aliquem redemptorem*: neque enim necesse erat ut fideles modum ac circumstantias noscerent quibus homo redimendus esset. Hinc Bernardus in ep. 77. quae est ad Hugonem scribit: *Quod si prophetae et qui illustriores videbantur in illo populo, non omnes omnia liquido aequaliter agnoscere valuerunt, sed alii plus, alii minus; quanto magis simpliciores quique justi sine detrimento salutis, salvationis tempus, modum, et ordinem nescire potuerunt? Quae tamen certa fide et spe uti promissa fuerant, firmissime tenuerunt.*

Prob. tertia pars. I. ex Scripturis. Johan. cap. 1. legitur: *Quotquot autem receperunt eum* (Christum) *dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus*. Et cap. 3. subdit: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis. Ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Apostolus ad Rom. cap. item 3. *Justitia autem Dei*, inquit, *per fidem Jesu Christi in omnes, et super omnes, qui credunt in eum*; et caussam afferens, paullo post subdit: *Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei*. Et Petrus Act. 4. inquit: *Non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*. Ex his et aliis quae afferri possent, satis luculenter apparet neminem posse aut potuisse umquam gratiam consequi et justificationem absque fide ac nomine Christi. Igitur ante etiam evangelicam legem fides in Christum necessaria erat necessitate medii ad salutem. Nemo autem dixerit debuisse eam fidem esse explicitam, alioquin nullum V. inter ac N. Testamentum fuisset discrimen, falsumque esset quod Apostolus scribit, Testamentum illud umbram fuisse futurorum. Quod si tunc tenebantur homines credere implicite in Christum, necessaria iis erat etiam implicita fides in Trinitatem, nam qui implicite credit in Christum, implicite quoque credit illum esse Deum et hominem, proindeque plures existere in divinis personas. II. ex SS. PP. Irenaeus lib. 1. adv. haer. cap. 24. inquit: *Propheta ergo cum esset Abraham, et videret in spiritu diem adventus Domini et passionis dispositionem, per quem ipse quoque, et omnes qui similiter ut ipse credidit credunt Deo, salvari inciperent, exultavit vehementer. Non incognitus igitur erat Dominus Abrahae, cujus diem concupivit videre*. S. Cyprianus in ep. ad Jubajan. ait: *Judaei qui Deum Patrem creatorem sciebant, filium quoque Christum scire debebant, ne sibi blandirentur et plauderent de solo Patre sine filii ejus agnitione, qui et dicebat: Nemo venit ad Patrem, nisi per me*. In ep. ad Caecilium affirmat in N. Testamento per eamdem justificari homines fidem qua veteres sanctificabantur. Quod aperte tradunt etiam Hilarius lib. 9. de Trin. Theodoretus in cap. 4. ep. ad Rom. Cyrillus alexandrinus in cap. 3. Johan. et luculentius ceteris S. P. Augustinus qui in ep. 157. alias 89. ad Hilarium syracusanum cap. 3. scribit: *Etiam antiquos justos habuisse ipsum spiritum fidei, hoc est incarna-*

tionis Christi. Et enarr. in psal. 104. *Non enim*, inquit, *quisquam praeter istam fidem, quae est in Christo Jesu, sive ante ejus incarnationem sive postea, reconciliatus est Deo: cum sit ab Apostolo veracissime definitum, Unus enim Deus, et unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus*. Eadem repetit in lib. de catech. rud. et in lib. de nat. et grat. cap. 44. et alibi passim.

CONCLUSIO III.

In statu evangelicae legis necessaria est necessitate medii ad salutem fides explicita in Christum salvatorem et in Trinitatem personarum.

Prob. 1. sacris lit. Marci cap. ultimo sic Christus affatur Apostolos: *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit, et baptizatus fuerit* (in nomine scilicet individuae Trinitatis, ut clarius explicatur Matth. cap. 28. ubi hoc ipsum praeceptum traditur,) *salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur*. Johan. cap. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam*. Et rursus: *Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus est*. Paulus in ep. 1. ad Cor. cap. 3. *Fundamentum*, inquit, *aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Jesus*. Et ad Gal. cap. 2. *Scientes autem quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi*.

Prob. 2. ex PP. Irenaeus lib. 3. adv. haer. cap. 21. scribit: *Ignorantes autem eum qui ex Virgine est Emmanuel, privantur munere ejus, quod est vita aeterna*. Origenes in ep. ad Rom. *Eloquia Dei*, inquit, *illis sunt credita, qui intelligentes et credentes his quae Moyses scripsit, credunt et Christo*. Hilarius lib. 9. de Trin. *Vitae aeternae fidem vel loqui, o haeretice, disce vel credere, et sperare a Deo Christum, si potes, a Patre Filium, a Deo vero super omnia Deum, a solo unum. Unus enim Dominus est Jesus Christus*. Ambrosius lib. 1. Offic. cap. 28. *Fides enim omnium Christus*. S. P. Augustinus in lib. de pecc. orig. cap. 24. scribit: *Itaque sine ipsa fide, hoc est, sine fide hujus mediatoris Dei et hominum hominis Christi Jesu ... nec antiquos justos, ut justi essent, a peccatis potuisse mundari et Dei gratia justificari, veritas christiana non dubitat*. In ep. 102. alias 49. q. 2. inquit: *Ab exordio generis humani, quicumque in eum crediderunt, eumque utcumque intellexerunt ... per eum proculdubio salvi facti sunt. Sicut enim nos in eum credimus, et apud Patrem manentem, et qui in carne jam venerit: sic credebant in eum antiqui, et apud Patrem manentem, et in carne venturum*. In ep. demum 177. ad Innocent. alias 95. ne singula exscribam, Pelagium exagitans, ait: *Puto autem quod cum lateat, fidem Christi, quae postea in revelationem venit, in occulto fuisse tempori-*

bus Patrum nostrorum ; per quam tamen etiam ipsi Dei gratia liberati sunt . Hinc Innocentius XI. sequentes merito damnavit propositiones : 1. *Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii , non tamen explicita reparatoris* . 2. *Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo , ad justificationem sufficit* . 3. *Absolutionis capax est homo quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei , et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem , nesciat mysterium sanctissimae Trinitatis , et incarnationis Domini* .

CONCLUSIO IV.

Multa alia praeter recensita , creditu necessaria sunt necessitate medii ad aeternam salutem .

Prob. enumeratione . I. ad aeternam consequendam salutem necessaria est explicita fides supernaturalis in unum Deum creatorem , quod sequitur ex dictis . Nam si necessaria est necessitate medii explicita fides in Deum trinum ac dominicam incarnationem , ex consequenti necessaria quoque est fides in unum Deum creatorem . Propterea damnata est ab Innocentio XI. superius recitata propositio quae incipit , *Fides late dicta* etc.

II. necessaria est etiam eadem necessitate explicita fides Dei ut omnium judicis seu remuneratoris bonorum et malorum punitoris, dicente Apostolo ad Hebr. cap. 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est , et inquirentibus se remunerator sit* .

III. inter credenda necessitate medii est animae quoque humanae immortalitas . Nam absque illius supernaturali fide , nec in aeternum remuneratorem nec redemptorem ab aeterna morte credi potest .

IV. idem de gratia Christi sentiendum . Ait quippe Tridentina synodus sess. 6. cap. 6. ad impii justificationem necessarium esse ut credat impium a Deo justificari per gratiam ejus, per redemptionem quae est in Christo Jesu . Verum ut de natura gratiae ejusque operandi modo particularius aliquid credatur , necessitas praecepti esse potest , non medii .

APPENDIX .

Post damnatas ab Alexandro VII. quadragintaquinque , et sexagintaquinque ab Innocentio XI. propositiones , nemo est qui saltem publice docere audeat nullo unquam vitae suae tempore teneri hominem actum fidei spei et charitatis vi praeceptorum ad eas obligantium virtutes elicere , vel non cadere fidem sub speciale praeceptum et secundum se , sed satis esse actum fidei semel in vita elicere ; quoniam tota haec laxissima doctrina prudentissime ac sapientissime proscripta est . Sed tamen adhuc solvenda superest quaestio , quandonam et quoties praeceptum actus fidei eliciendi obliget . Et quidem manifesta ratio cuique non perdito penitus homini dictat praeceptum illud obligare quoties gravis aliqua cujusvis

generis tentatio, et praecipue contra fidem ingruit, et quoties item sacramenta suscipienda sunt, vel aliquis pietatis actus exercendus ad cujus complementum actualis fides requiratur, ac in articulo denique mortis ubi adversus omnes daemonis tentationes fidei assumendum est scutum. Necessitatis hujus rationem habes ex eo quod lex naturae praecipit ut cui praeceptus est actus vel finis, is illa etiam omnia faciat sine quibus actus explicari vel finis obtineri non possit. Cumque tentationum victoria ac pia susceptio sacramentorum haberi sine actuali fide nequeat, sequitur inde fidem actualem recensitis in casibus esse necessariam.

Sed etiam extra allatos casus fidei praeceptum obligare saepissime insinuat Apostolus in ep. ad Ephes. ubi cap. 6. praecipit dicens: *Sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere*: et in ep. ad Hebr. cap. 10. dicens: *Justus ex fide vivit*. Si autem quaeras quam frequenter? respondeo tam assidue circumdet te veritas ejus, ut scuto illo possis omnia tela nequissimi ignea excipere: et rursus cibus potusque noster tam frequenter sit fides, ut ex fide vivere dicamur sicut ex pane vivit homo. Igitur quemadmodum miles semper est suo scuto munitus dum manus cum hoste conserit, et sicut homo nullum sine cibo diem transigit; ita in vitae hujus militia inque tanta defectibilitate naturae nullus praetereundus est dies absque armis et alimento fidei actualis.

Quum fides via sit ad vitam, lucerna pedibus, et lumen semitis nostris, superfluum est petere quanto tempore fidei actus sine culpa intermitti possit. Idem esset ac interrogare quamdiu viator praeter viam currere, et homo absque lumine in tenebris tuto ambulare possit. *Creaturae Dei in odium factae sunt: et in tentationem animabus hominum, et in muscipulam pedibus insipientium*, inquit Sapiens cap. 14. Quis ab illis sibi satis cavebit, nisi antecedat eum semper ista sapientia, nempe fides? Mundus ad singula momenta fucos ostentando suos aut vana malorum spectra objiciendo, tentat homines ut perverse de omnibus judicantes bona pro malis respuant, et mala amplectantur pro bonis. Opus igitur semper est lumine fidei ad cujus claritatem quodlibet ut in se est inspiciamus. Praeterea si juxta Domini praeceptum est semper orandum, semper etiam fidei actus sunt exercendi; quoniam ut ait S. P. Augustinus, *Fides orat, et ipsa impetrat quod lex imperat*. Et serm. 168. de Script. alias. 17. ex homiliis cap. 5. subdit: *Habete fidem: sed ut habeatis fidem, orate fide. Sed orare fide non possetis, nisi fidem haberetis. Non enim orat nisi fides*.

Quae cum ita sint quis non miretur potuisse umquam societati Theologorum in mentem venire praeceptum fidei aut numquam aut semel tantum in vita obligare, quum e contra numquam non obliget? nisi forte quia hi Theologi quaerunt hominibus placere, non Deo. Ceterum quando nos dicimus numquam fidem ad eliciendos actus non obligare, non sic intelligi volumus quod oporteat indesinenter fidei actibus eliciendis occupari, id enim impossibile ferme foret: sed quoniam oportet semper ex fide vivere, tota nimirum christiani hominis vita ex fidei praescripto est

instituenda, omnesque ipsius cogitationes et affectus a fide dirigi debent et animari.

Si quis denique quaerat an etiam gentiles et judaei et haeretici praecepto fidei actus eliciendi teneantur, respondendum est teneri nisi invincibili credendorum ignorantia excusentur: qua si laborent, non tenentur. Sed de hoc alibi.

CAPUT XI.

Continens adversariorum argumenta eorumque solutionem.

Obj. 1. adv. 2. thes. In Apoc. cap. 7. legitur: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis etc.* et loquitur Johannes de animabus sanctorum quae stabant ante thronum Dei. Quum autem in turba illa recenseantur gentes, consequitur fuisse ante thronum Dei nonnullos absque ulla in mediatorem fide. II. et hi gentiles qui salutem consecuti sunt absque ulla mediatoris fide, fuisse videntur plures philosophi qui unum tantum agnovere Deum. Nam Justinus martyr in utraque pro christianis apologia affirmare non dubitat Socratem et Heraclitum qui tamquam athei habebantur, aliosque philosophos ethnicos fuisse quodammodo christianos; adeoque absque ulla mediatoris fide aeternam consecutos fuisse salutem. III. etiam Clemens alexandrinus in lib. 1. Strom. putat philosophos ethnicos salutem consequi in eorum infidelitate potuisse, sicuti Hebraei in judaismo; ait siquidem: *Ipsa quoque philosophia Graecos pedagogi more ducebat, sicut lex Hebraeos ad Christum.* IV. et Clementis quidem mens fuit ut philosophia ad aeternam duceret vitam per se, non per accidens. Nam in 6. Strom. ea repetens quae in lib. 1. tradiderat, inquit etiam gentiles proprios habuisse suae linguae prophetas, quemadmodum et suos habuere Judaei. V. Chrysostomus denique absque ulla ambiguitate verborum affirmat homines ante Christi adventum absque ulla implicita in Christum fide salutem adeptos fuisse. Nam hom. 37. in Matth. scribit: *Sed magna, inquit, injuria illis hac ratione fit, qui ante adventum Christi naturae concesserunt. Minime, inquam; poterant enim homines tunc etiam ipsum non confessi salvari. Non enim Christi qui nondum venerat, ab illis cultus petebatur.*

Resp. ad 1. Johannes in Apoc. de hominibus loquitur cujusque populi quidem et gentis et linguae, sed qui veram amplexi fidem, aeternam consecuti sunt salutem, ac proinde habuerunt explicitam fidem in aliquem mediatorem, ut fuerunt Judaei qui Christi tempora praecesserunt; unde de illis legitur in eod. cap. 7. *Laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni.*

Ad 2. S. Justinus appellat gentiles philosophos christianos improprie, quatenus videlicet una cum christianis unicum rerum omnium opificem Deum admittebant; idque apposite ad scopum suum. Quo namque de-

monstraret christianam religionem non adeo execrabilem ac superstitiosam esse, ut ethnici calumniabantur, optime observat sapientiores inter gentiles, quales erant philosophi, unum verum Deum rerum omnium creatorem et ipsos quomodo christiani faciunt agnovisse. Haec enim ait in apol. 1. *Quaecumque ergo apud omnes recte dicta sunt, nostra christianorum sunt.*

Ad 3. Clemens alexandrinus existimavit philosophiam nonnullis graecis philosophis motiva suppeditasse credibilitatis quibus ad Christi fidem amplectendam facilius pertrahebantur, numquam tamen docuit potuisse illos per solam philosophiam, et absque explicita in aliquem mediatorem fide aeternam consequi potuisse salutem. En ejus verba in lib. 1. Strom. *Quamquam per se quoque aliquando Graecos justificabat philosophia, sed non universam ac generalem justitiam, ad quam cooperatrix et adjutrix invenitur, sicut primus et secundus gradus ei qui ascendit in coenaculum, et grammatica ei qui est philosophaturus ... Est quidem christiana philosophia per se perfecta, et nullius indiga servatoris doctrina, cum sit Dei virtus et sapientia. Accedens autem graeca philosophia non veritatem fecit potentiorem, sed debilem adversus eam efficit sophisticam argumentationem.*

Ad 4. Aliqui homines per Clementem extra Judaeae fines aeternam obtinuere salutem, sed per Dei gratiam supernaturaliter illustrati; suosque habuere prophetas, nempe sybillas quas ibi commemorat, quemadmodum habuerunt suos Judaei. Ex hac autem doctrina sequitur non obtinuisse philosophos absque fide in aliquem mediatorem quam supernaturalis Dei gratia eis inspirabat, aeternam salutem. Eodem sensu intelligendae sunt variae quae ex Origene afferri solent sententiae, qui in locis iisdem qui opponuntur inquit: *Nullius est vita aeterna, nisi ejus qui credit in Christum*: et ad summum ethnicis unum tantum Deum agnoscentibus aliquam tribuit temporalem gloriam, non aeternam.

Ad 5. Docet Chrysostomus homines ante Christi adventum salutem consequi potuisse absque ejusdem Christi fide explicita, non autem absque fide implicita. Ne multus sim, in hom. 2. in caput 1. ep. ad Rom. ita scribit: *Nec enim aliter quam per fidem* (in Christum) *liberati sumus a malitia praesentis hujus vitae. Sic et omnes qui ante hanc aetatem vixere, refulserunt. Sic Abraham, sic Isaac et Jacob, sic etiam salvata et meretrix, tum ea quae in V. Testamento, tum ea quae in N. commemoratur.*

Obj. 2. cont. 3. part. ejusd. thes. Non solum explicita fides in aliquem mediatorem, sed et in Christum Jesum filium Dei; adeoque et in Trinitatem necessaria erat hominibus ante Christi adventum ad salutem. Nam Johan. cap. 1. Nathanael inquit, *Tu es filius Dei*. Princeps sacerdotum apud Matth. cap. 26. Christum interrogat: *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei*. Martha Johannis cap. 11. *Ego credidi*, inquit, *quia tu es Christus filius Dei*. II. S. P. Augustinus lib. de pecc. orig. cap. 24. scribit: *Sine fide ergo incarna-*

tionis et mortis et resurrectionis Christi , nec antiquos justos , ut justi essent , a peccatis potuisse mundari , et Dei gratia justificari , veritas christiana non dubitat .

Resp. ad 1. Judaei in primis mediatorem expectabant et Messiam tamquam filium Dei adoptivum, non tamquam filium Dei naturalem . Deinde respondeo ad singula Docet Augustinus tract. 7. in Johan. Natanaelem appellasse Christum filium Dei , sed adoptivum ; aliquid enim minus de Christo confessus est , ut animadvertit Estius , quam Petrus in celeberrima sua confessione . Princeps sacerdotum cum esset pontifex anni illius non a semetipso locutus est , sed prophetavit . Quid ergo mirum si de Messia locutus est tamquam de filio Dei naturali ? Martha autem diu a Christi ore pependerat, ab eoque didicit verum esse filium Dei . Haec itaque non suadent necessariam fuisse V. Testamenti cultoribus fidem explicitam in Christum et in Trinitatem .

Ad 2. Per Augustinum nostrorum mysteriorum fides etiam in V. Testamento ad justificationem et salutem necessaria utique fuit , sed implicita dumtaxat , non explicita . Nec opus habebat S. doctor talem ibidem facere distinctionem , quoniam agebat adversus Pelagianos qui volebant homines in statu legis naturae ad justificationem obtinendam non indiguisse gratia salvatoris .

Obj. 3. adv. 3. prop. Duo tantum ad aeternam salutem credere sufficit in statu evangelicae legis, Deum videlicet existentem, eumdemque remuneratorem . Ait quippe Apostolus ad Hebr. cap. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum quia est , et inquirentibus se remunerator sit .* Quapropter necessaria non est explicita fides in dominicam Incarnationem et Trinitatem . II. et revera si explicita in haec mysteria fides in hoc statu necessaria foret , symbolum antiquitus tradi solitum catechumenis quando ad baptismum accedebant , explicitam Incarnationis ac Trinitatis confessionem habuisset . Non habebat autem . Nam Irenaeus et Tertullianus symbolum cum nominibus Patris et Filii ac Spiritus sancti quidem recitant , sed reticent et distinctionem personarum in unitate naturae , et Verbi divinitatem .

Resp. ad 1. Apostolum tradere quidem allata in sententia ad salutem et justificationem fidem requiri in Deum existentem ac remuneratorem , sed non affirmare eam fidem sufficere . Nam Apostolus idem in ep. 1. ad Cor. cap. 3. inquit : *Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est , quod est Christus Jesus .* Et in ep. ad Gal. cap. 2. *Scientes quod non justificatur homo ex operibus legis , nisi per fidem Jesu Christi .* Vide alia Apostoli testimonia capite superiori allata .

Ad 2. Symbolum catechumenis tradi solitum institutum praesertim fuit ut qui ex gentilitate ad evangelicam accedebant religionem , idolorum cultum ejurarent . Unde in pluribus symbolis non habebatur explicita Trinitatis ac dominicae Incarnationis commemoratio . Non tamen inde sequitur catechumenos ad baptismum accedentes non habuisse horum

mysteriorum fidem explicitam. Nam quae summatim expressa continebantur in symbolo, explicatius ac fusius exponebantur eisdem catechumenis oretenus antequam ad baptismum accederent suscipiendum. Ceterum non unius generis erant symbola pro catechumenis. Nam Auctor constitutionum apostolicarum qui antiquissimus est, et primorum collegit disciplinam saeculorum, lib. 7. cap. 4. ita recitat symbolum pro catechumenis: *Credo et baptizor in unum ingenitum, solum verum Deum omnipotentem, Patrem Christi, creatorem atque opificem universorum, ex quo omnia: et in Dominum Jesum Christum unigenitum ejus filium, primogenitum omnis creaturae, qui ante saecula genitus est, non creatus, per quem omnia facta sunt etc.*

Obj. 4. cont. eamd. thes. Justinus martyr in dial.. cum Tryph. judaeo ita scribit: *Verum enimvero non ammittitur illud, hunc esse Christum Dei si probare nequeam, et extitisse ipsum prius filium conditoris hujus universitatis, et esse Deum, ac genitum ex virgine; omnino interim demonstrato, hunc esse Christum illum Dei, qualiscumque demum is futurus sit.* Per Justinum ergo etsi demonstrari nequeat Jesum Nazarenum esse Deum, semper tamen verum est Jesum Nazarenum esse Messiam. Quapropter necessaria non est explicita in Christi divinitatem fides. II. quod paullo post ibidem confirmat dicens: *Sunt enim nonnulli, o amici, ex genere nostro confitentes ipsum esse Christum, sed hominem ex hominibus genitum esse affirmant: quibus ego minime assentior.* En Justinum affirmantem eos qui Christi negant divinitatem esse ex genere nostro. III. et quamvis loquatur ibi forte de Ebionitis, dicens nihilominus frigida illa phrasi, *quibus ego minime assentior*, satis demonstrat existimare se quaestionem de Christi divinitate adiaphoram ac in utramque partem disputabilem. Dicere quippe debuisset: Quam sententiam ego execror et anathematizo.

Resp. ad 1. Dum Justinus inquit semper verificari Jesum Nazarenum esse Messiam, etiamsi illius demonstrari non posset divinitas, loquitur non in proprio, sed in Judaeorum sententia. Nam Tryphon aliique Judaei quos ibi Justinus refellit, adventurum credebant Messiam purum putumque hominem ex hominibus; unde ait ibid. Tryphon, *Omnes nos Christum hominem ex hominibus nasciturum praestolamur.* Quapropter audientes Judaei a Justino Jesum Nazarenum natum fuisse ex virgine ac esse Deum, suaderi nolebant illum esse Messiam quem non credebant futurum Deum. Justinus igitur ut ad hominem eos revincat, sic argumentatur: Etsi ex prophetis demonstrari non posset Messiam futurum Deum, quum tamen characteres omnes a prophetis de Messia enunciati adamussim Jesu Nazareno conveniant, semper verum erit Jesum Nazarenum esse Messiam in lege promissum. Cur ergo non creditis Jesum Nazarenum esse Messiam quem vos futurum purum hominem arbitramini? Loquitur itaque Justinus ex Judaeorum suppositione. Ceterum in eodem dialogo plura sunt argumenta quibus S. ille martyr Christi Domini demonstrat divinitatem.

Ad 2. Delineat eo loci Justinus haereticos Ebionitas quos ex genere nostro appellat, non quod eos uti verae Ecclesiae membra haberet, sed quod christiani de nomine appellarentur, ac dicit illos ex genere nostro ut a Judaeis illos distingueret. Vis autem argumenti Justini haec est: Etiamsi Judaei percipere nequeant Jesum Nazarenum esse Deum, fateri nihilominus debent ipsum esse Messiam; quoniam et nonnulli falsi christiani illum Deum esse negant, et tamen fatentur esse Messiam. Mirari autem non subit si Justinus Ebionitas appellat de genere nostro in sensu nuper exposito, quoniam etiam in apol. 2. christianos appellat Menandrum ac Marcionis discipulos.

Ad 3. Quum Justinus rem ibi non habeat cum Ebionitis, sed cum Judaeis, non tenebatur notam illorum sententiae inurere; quamvis appellet opinionem illam haereticam et humanum figmentum, dicens, *Quibus ego minime assentior, neque sane plerique eadem mecum sentientes illud dixerint. Siquidem non hominum traditionibus ac doctrinis jussi sumus a Christo credere, sed eis quae beati Prophetae promulgarunt, et ipse Christus docuit.*

Obj. 5. cont. eamd. prop. Perire non potest qui Deum super omnia diligit. Possibile est autem Deum amare super omnia absque Trinitatis et Incarnationis notitia. Nam etiamsi Deus per impossibile nec trinus esset nec incarnatus, esset tamen propter infinitam suam bonitatem sapientiam etc. summe amabilis. II. si non ex natura rei, sed ex sola Dei voluntate tempore novae legis explicita fides requiritur in mysteria Trinitatis et Incarnationis, jam durior erit christianorum quam veterum conditio, qui per fidem unius Dei explicitam et implicitam alicujus mediatoris salutem poterant obtinere. III. multi inter christianos inveniuntur adeo hebetes ac plumbei ut quantumcumque ipsorum pastores assidui in docendo sint, ipsique in audiendo, illorum tamen mysteriorum assequi non valeant notitiam. Arduum autem fuerit de illorum desperare salute, praesertim si irreprehensibiliter ac pie vivant, deque ignorantia et impossibilitate audita retinendi graviter doleant, nullamque negligant occasionem discendi. IV. non pauci invincibili laborant mysteriorum ignorantia non ex naturali proveniente ingenii hebetudine ut inter amentes censeri possent, sed vel ex omnimoda ab infantia surditate vel ex defectu occasionis ea addiscendi mysteria, quo fit ut licet maxime desiderent fidem explicitam, illam tamen comparare non valeant. Numquid tales peribunt?

Resp. ad 1. Charitas ac fides dona Dei sunt, et utraque ut habeatur, a Deo plane donanda est. Ast post evangelicam sufficienter promulgatam legem Deus decrevit nulli dominantem sui charitatem elargiri, nisi quem prius illorum fides mysteriorum illustraverit. Cujus altissimi consilii veras rationes quis reddere se posse confidit? Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit?

Ad 2. Si quid argumentum hoc valeret, Deistae ac nostri temporis heterodoxi concludere inde possent non modo Trinitatis et Incarnationis

fidem in nulla lege nullo necessitatis genere requiri, sed nec peccatorum confessionem nec ullum sacramentorum usum nec Evangelii ac novae legis doctrinam esse necessaria. Nam nihil horum aut in lege naturae aut in mosaica lege erat ad salutem necessarium. Quidquid igitur adversarii responderint istis, etiam sibi a nobis responderi patiantur. Ceterum falsum est duriorem esse christianorum quam veterum conditionem ex quo in illa mysteria explicite credere teneamur. Quis enim dixerit durum esse filio necessitatem sibi imponi cognoscendi patrem suum, aut viatori viam sciendi quam capere debet, aut aegroto morbum cognoscendi suum et medium a quo sit curandus?

Ad 3. Vel hujusmodi homines satis ingenii ad discenda ac retinenda praecepta artis et opificii quod exercent ad negotiandum, prudenter curandam familiam, et ad hujus generis alia habent, et tunc fieri nequit ut si omnem adhibeant diligentiam rudimenta etiam fidei non addiscant; vel sufficiens non habent ad praedicta ingenium, et tunc forte Deus ipsos sine fide credendorum explicita salvabit cum amentibus. Ast saepe voluntaria ad spiritualia inapplicatio, vel nimia terrenarum rerum solicitudo tales homines inabiles reddit ad fidei discenda mysteria: sicque non excusantur.

Ad 4. Ejusmodi homines si baptizati sint, non propter solam illam inculpabilem ignorantiam, sed propter actualia peccata quae commiserint e caelorum regno excludentur. Quod si nulla committere peccata supponantur, Deus, juxta S. Thomam, aut per internam inspirationem per seipsum illos docebit, aut ad eos praedicatorem mittet vel Angelum vel hominem a quo instruantur. Cur autem Deus quosdam baptizatos ignorare fidei mysteria permittat, ad occulta et inscrutabilia Dei pertinet judicia. Hoc unum scimus quod *illa ignorantia quae non est eorum qui scire nolunt, sed eorum qui tamquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit quia non audivit omnino quod crederet; sed fortasse ut mitius ardeat*, ex S. P. Augustino in lib. de grat. et lib. arb. cap. 3. Et in ep. ad Sixtum: *Ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est. In eis autem qui non potuerunt, poena peccati. Ergo in utrisque non est justa excusatio, sed justa damnatio*.

CAPUT XII.

De externa fidei confessione.

Non solum praecipimur veritatibus revelatis coram Deo interius assentiri, sed praeterea jubet nobis Dominus ut internam fidem per signa externa prodamus atque confiteamur, juxta illud Apostoli in ep. ad Rom. cap. 10. *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris quod illum Deus suscitavit a mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem*. Et illud Matth.

cap. item 10. v. 32. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor etc.* Et illud aliud Marci cap. 8. v. 38. *Qui enim me confessus fuerit, et verba mea in generatione ista adultera et peccatrice: et Filius hominis confitebitur eum etc.* Consonat rursus Apostolus in 2. ad Timoth. cap. 2. v. 12. dicens: *Si negaverimus, et ille negabit nos*. Unde S. P. Augustinus in lib. de fide et symb. cap. 1. scribit: *Fides officium a nobis exigit et cordis et linguae*. Sed plura circa rem hanc oriri possunt dubia pro quorum resolutione sit

CONCLUSIO I.

Vetitum est sub lethali aut verbis aut factis fidem negare, vel falsam simulare religionem.

Prob. 1. iis Scripturae locis proxime recitatis quibus illud Matth. cap. 10. v. 33. addi potest, *Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo*. Et illud Eleazari senis qui in 2. Mach. cap. 6.: *Non enim aetati nostrae dignum est, inquit, fingere: ut multa adolescentium arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum: et ipsi propter meam simulationem ... decipiantur; et per hoc maculam atque execrationem meae senectuti conquiram. Nam etsi in praesenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec vivus nec defunctus effugiam*. Et illud Lucae cap. 9. v. 26. *Qui me erubuerit et meos sermones: hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua*. Ac illud denique Apostoli in 1. ad Cor. cap. 10. v. 28. *Si quis autem dixerit: Hoc immolatum est idolis: nolite manducare, propter illum qui indicavit, et propter conscientiam*. Quorum textuum primus demonstrat non licere veram negare fidem, reliqua vero nec licere falsam simulare religionem.

Prob. 2. ex SS. PP. Et quidem vetitum esse negare sub quovis praetextu fidem docet Augustinus tract. 66. in Johan. dicens: *Qui negat hominem Christum, non reconciliatur per mediatorem Deo*. Et tract. 113. *Petrus si negato Christo hinc iret, quid aliud quam periret?* Et ante illum idem tradiderat Tertullianus apol. cap. 11. *Itaque nec in illo ex forma malorum judicandorum agitis erga nos, quod ceteris negantibus adhibetis tormenta ad confitendum, solis christianis ad negandum, cum si malum esset, nos quidem negaremus, vos vero confiteri tormentis compelleretis*. Et infra: *Ideo torquemur confitentes, et punimur perseverantes, et absolvimur negantes, quia nominis praelium est*. Consonant iis reliqui sancti Patres. Quod vero impium sit falsam simulare religionem docet in primis S. Ambrosius lib. 10. in Lucam scribens: *Non enim satis est involuta responsio confitentis Jesum, sed aperta confessio. Quid prodest verba involvere, si videri vis denegasse?* Et Augustinus noster affirmat lib. cont. mend. cap. 6. in haec verba: *Sed multo facilius, inquies, eorum latibula* (nempe haereticorum) *penetramus, si quod sunt nos es-*

se mentiamur. Hoc si liceret aut expediret, potuit Christus praecipere ovibus suis, ut lupinis amicitiae pellibus ad lupos venirent, et eos hujus artis fallaciis invenirent. Subscribit Augustino praeceptori suo Fulgentius lib. 1. ad Tras. cap. 1.

Prob. 3. ex Ecclesiae decretis. Primis Ecclesiae temporibus tanto fuit fidelibus horrori Christi abnegare fidem, ut qui in idololatriam inciderent, aut nullimode pacem neque in extrema vitae periodo ab Ecclesia obtinerent, aut non indulgeretur eis nisi post exactos gravissimae poenitentiae labores, ut videre est apud Cyprianum in lib. de laps. apud Nicaenum concilium, et canones Eliberitanos. Deinde saeculo II. proscripti sunt ab Ecclesia tamquam haeretici Eleesaei quod licitam religionis admitterent simulationem, ut narrant Eusebius lib. 6. H. E. cap. 38. et S. P. Augustinus haer. 32. Saeculo III. S. Mater Ecclesia animadvertit in Libellaticos qui ad mortem vitandam pecunia extorquebant a judicibus se juxta imperatorum decreta diis immolasse, quamvis revera non immolarent. De his agunt Tertullianus in apol. cap. 28. et Cyprianus in lib. de lapsis. Saeculo IV. damnavit Ecclesia Priscillianistas quos erudite refutavit S. P. Augustinus, quod in proloquio in rebus ad religionem spectantibus haberent: *Jura, perjura, secretum prodere noli*. Nonne ergo sub gravissima culpa vetitum est aut Christi fidem negare aut falsam simulare religionem?

COROLLARIA

I. hinc sequitur non licere incensum coram idolo adolere, etiamsi intentio ad Christum aut ad Crucifixi imaginem inter flores altaris vel sub vestibus latentem dirigatur. Contrariam doctrinam quae sinensium erat missionariorum Jesuitarum, proscripsit an. 1643. Innocentius X. ad articulos quosdam a Patre Moralis Romam ad examen missos respondens.

II. non licere in defunctorum parentum aut sapientum virorum, qualis fuisse dicitur apud Sinas Confucius, memoriam, eadem illa facere ad exhibendum eisdem parentibus aut defunctis sapientibus honorem politicum, quae ab illius regionis idololatris fieri solent ad cultum latriae eorum manibus exhibendum. Et tamen haec christianis sinensibus permittebant Lojolitae.

III. non licere vestibus uti distinctivis falsae religionis, quod Lojolitae faciebant in imperio Sinarum; quamvis illicitum non sit vestibus uti distinctivis nationis quae falsam profitetur religionem.

IV. non licere vesci idolothitis quando talis esus vel ex loci circumstantiis determinatur ad actum falsae religionis vel a tyranno imperatur vel ex recepto usu pro cultu accipitur idolorum, secus vero si citra scandalum ad explendam famem id privatim fieret.

V. nullo praetextu licere ad Calvinistarum vel Lutheranorum etiam ficte accedere coenam, quum accessus ille publica sit calvinismi aut lutheranismi professio.

VI. non licere etiam citra communionem, principum aut magistra-

tuum haereticorum jussu templa eorum frequentare, eorumque conventibus ac publicis interesse precibus, si principes ac magistratus declaraverint frequentationem illam se imperare tamquam suae religionis professionem.

VII. non licere sub quovis necessitatis obtentu carnibus vesci diebus veneris et sabbati aliisque jejuniorum ecclesiasticorum diebus, quando esus ille aut a publica potestate in catholicae religionis odium imperatur aut habetur tamquam falsae religionis professio. Dico a publica potestate, quoniam si privati aliqui acatholici orthodoxum coegerint omni alio negato ei cibo ad vescendum carnibus, dicentes accepturos se commestionem illam pro suae religionis professione, posset orthodoxus eos irridere ac libere carnibus vesci, praemissa protestatione se id non ad haeresim profitendam, sed ad famem facere explendam·

VIII. universim peccari contra praeceptum confessionis fidei quoties aliquid fit quod vel pro catholicae fidei abnegatione vel pro superstitionis aut haeresis professione publica potestate imperatum sit vel pro hujusmodi communi accipi solet aestimatione. Tale erat antiquitus jurare per fortunam Caesaris, ut ex Eusebio H. E. lib. 4. cap. 14. patet. Thus ad ethnici principis imperium adolere etiamsi coram idolo non fieret, ut ait Gregorius nazianzenus orat. 3. sacros tradere codices gentilibus apud Augustinum lib. 7. de bapt. cap. 2. Tale etiam existimavit Tertullianus militarem coronam cum dono accipere, ut ex ejus lib. de coron. milit. liquet.

CONCLUSIO II.

Illicitum est infideles principes ac judices quovis modo irritare et provocare ad exigendam a nobis per tormenta fidei abnegationem.

Prob. Posset quis infideles principes ac judices irritare et provocare ad fidei abnegationem falsaeque religionis professionem exigendam, vel idola frangendo vel destruendo delubra vel seipsum ad confitendam fidem non quaesitum ultro offerendo; hoc autem facere indiscretionis est ac praesumptionis non ferendae. Hinc reprehensus merito fuit indiscretus Hudae episcopi zelus, apud Theodoretum, qui circa an. Domini 420. in Perside Pyraeum templum, scilicet Ignis, qui ibi pro deo colebatur, destruxit, et per hoc diram in christianos excitavit persecutionem; quamvis laude digna fuerit ejusdem episcopi constantia quod crudelem subire maluerit mortem quam Pyraeum restaurare. Hinc etiam a Mensurio episcopo carthaginensi circa an. 302. cautum decreto fuit, ne qui non interrogati ultro confessi fuissent habere se quidem libros sacros, sed eos tradere nolle, in martyrum numero haberentur. Idem can. 60. concilii Illiberitani statutum fuit de iis qui ob confracta idola occisi fuissent. Inveniuntur quidem in catalogo sanctorum martyrum non pauci qui non quaesiti seipsos tyrannis obtulerunt, sed credendum omnino est Ecclesiam certis cognovisse indiciis quod speciali Spiritus sancti instinctu hoc illi fecerint.

CONCLUSIO III.

In persecutione licitum est fidelibus fugam arripere .

Prob. exemplis. Christus Dominus ad hostium insidias persecutionesque vitandas fugam arripuit in Ægyptum, Matth. cap. 2. v. 14. exivit de templo seque ab inimicis abscondit, Johan. cap. 8. 59. se recepit in Ephrem, Johan. cap. 11. v. 14. Paulus apostolus in sporta demissus est per murum ad insidias Aretae cavendas. S. Athanasius nonnisi fuga manus Arianorum effugit, eruditissimumque scripsit volumen de fuga sua multis demonstrans argumentis licere fidelibus ad persecutiones vitandas fugam arripere. Denique habemus et Christi praeceptum impositum Apostolis, Matth. cap. 11. 23. *Cum autem persequentur vos in una civitate, fugite in aliam.*

COROLLARIUM

Ex dictis consequitur licitum esse non obedire tyranno praecipienti ut quisquis in regno suo christianus est aut catholicus, se prodat: si nimirum id faciat animo persequendi fideles, secus autem si ob finem politicum faciat. Similiter licitum est tormenta ac fidei abnegationem pecunia redimere; haec quippe non est fidei abnegatio, sed detestatio infidelitatis: et licitum plane est pro conservanda fide quod pro vitanda licet temporali morte. Licitum est quoque loca peste infecta declinare, et ad ea quamvis praecipiente principe non accedere. Nam pecunia medicamenta comparare et antidota licet contra pestem, nec licebit illa praestare pro conservanda adversus tyrannorum perfidiam fide?

SCHOLION

Diversimode autem sentiendum est si persecutio aut contra Christianos omnes vel contra omnes Ecclesiae ministros esset excitata. Tunc enim pastoribus fugam capessere non liceret, sed Christi Domini exemplo anima esset tradenda pro ovibus, quamdiu ibi aliqui superessent fideles. Et jure quidem. Nam ut S. P. Augustinus in ep. 228. alias 180. ad Honoratum episc. quae est de hoc argumento ait: *An non cogitamus, cum ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri solet ab utroque sexu, atque ab omni aetate concursus, aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam poenitentiae ipsius actionem, omnibus consolationem, et sacramentorum confectionem et erogationem? Ubi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos qui de isto saeculo vel non regenerati exeunt vel ligati? Quantus est etiam luctus* etc.

CONCLUSIO IV.

Tenemur profiteri fidem quando a publica et legitima potestate interrogamur .

Prob. omnibus iis argumentis quae ad 1. thes. attulimus probationem . Et confirmatur ex quo ita semper censuit Ecclesia a Christo magistro edocta , ipsique sic semper credidere martyres qui propriam dedere pro fide vitam . Et dici plane nequit in quo casu Christi praeceptum confitendi fidem obliget , si in illo casu non obligat .

Prob. 2. ratione S. Thomae qui 2. 2. q. 3. art. 2. affirmat praeceptum confitendi fidem tunc obligare, quando talem subtrahendo confessionem debitus subtraheretur honor Deo et utilitas proximo impendenda . Quando nam vero magis honor Deo debitus atque utilitas ceteris impendenda christianis subtraheretur , quam si christianus a publica interrogatus potestate fidem suam confiteri erubesceret aut timeret ? Nonne Christus merito ei diceret , *Qui me erubuerit et meos sermones* : *hunc Filius hominis erubescet* ? Hinc ab Innocentio XI. jure sequens damnata fuit propositio : *Si a potestate publica quis interrogetur fidem ingenue confiteri , ut Dei et fidei gloriosum consulo , tacere ut peccaminosum per se non damno* .

SCHOLION .

Nisi honor Dei ac proximi salus aliud exigat, fidem exterius profiteri non tenemur quando interrogamur a privatis hominibus : sed possumus vel silere vel dissimulando positivam declinare responsionem . Nam ad confitendam in tali casu fidem numquam Ecclesia agnovit accepisse se a Christo praeceptum . Quod si quaeras cur magis praecepit nobis Christus coram publica potestate quam coram privatis hominibus fidem profiteri , respondetur quoniam confessio coram publica potestate facta in Dei honorem cedit magis quam quae fit coram privatis ; tum quia magis publice ac solemniter fit ; tum etiam quoniam magis manifestam reddit evangelicae doctrinae virtutem et potentiam , eo quod potestatem non timeat principum et magistratuum .

Solvuntur objectiones .

Obj. 1. cont. priorem par. 1. thes. Ad salutem obtinendam aeternam satis est fidem retinere corde . Nam psal. 14. 3. legitur beatum esse hominem *qui loquitur veritatem in corde suo* : superflua itaque est externa confessio . II. Christus interrogatus ab Herode nil prorsus respondit , ut legitur in Evangeliis , exemplo suo demonstrans fidei confessionem non esse necessariam . III. tyrannus coram quo fieri debet confessio , non est legitimus judex ; adeoque fidei confessionem non potest a nobis exigere .

Resp. ad 1. Regius Psaltes allatis in argumento verbis commendat

quidem internam fidem, sed haud excludit externam ejusdem fidei confessionem. Imo e vestigio subdit: *Qui non egit dolum in lingua sua*. Dolum autem agit qui ore fidem negat.

Ad 2. Ad humilitatem suam manifestandam non respondit Christus Herodi interroganti, nec circa fidem interrogabatur, ut ex Evangeliis patet.

Ad 3. Esto tyrannus responsionem a Christianis non exigat ubi de fide interrogantur, responsionem tamen externamque confessionem exigit christiana religio et veritas, contra quam nefas est aliquid pronunciare.

Obj. 2. adv. alteram 1. prop. part. In lib. 4. Reg. cap. 3. narratur Nahaman regis Syriae principem militiae recenter ad fidem conversum orasse Elisaeum ut si in templo Remmon una cum rege suo adorasset idolum, ei non imputaretur ad culpam, quoniam non sincere sed simulate id fecisset, sic enim inquit ad Elisaeum: *Hoc autem solum est, de quo depreceris Dominum pro servo tuo, quando ingredietur dominus meus templum Remmon, ut adoret, illo innitente super manum meam, si adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus, servo tuo pro hac re*. Elisaeus autem illam approbans simulationem respondit: *Vade in pace*. Licitum ergo aliquando est simulare religionem. II. in eodem 4. lib. Reg. cap. 10. legitur etiam Jehu simulasse cultum Baal, dicens: *Achab coluit Baal parum, ego autem colam eum amplius;* quum revera idolum non coluerit. Deus autem simulationem illam profecto probavit, ut ex his verbis patet: *Quia studiose egisti quod rectum erat, et placebat in oculis meis, et omnia quae erant in corde meo fecisti contra domum Achab, filii tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israël*.

Resp. ad 1. Falsum est Nahaman syrum Elisaeum orasse ne adoratio idoli in templo Remmon sibi imputaretur ad culpam, sed petiit dumtaxat ne sibi imputaretur ad culpam corporis sui incurvatio quae quamquam mere civilis esset, ex quo tamen fieri in templo Remmon debebat, poterat a nonnullis pro adoratione accipi falsi numinis. Sciendum quippe est regem Syriae sive templum ad adorandum peteret sive aliis adesset locis ad res civiles pertractandas solitum inniti fuisse super principis militiae brachium, ut vel ex recitatis in argumento verbis apparet. Rege ergo corpus inclinante, et Nahaman militiae princeps cujus manui rex innitebatur incurvari debebat. Quis autem non videt corporis hanc inclinationem ritum fuisse mere politicum atque civilem? Sed quoniam ritus ille exercebatur in templo et inter adorandum, timuit Nahaman ne tamquam idololatria ab aliquibus traduceretur, eaque de caussa veniam a Propheta petiit, et Propheta respondit, *Vade in pace*. Ceterum adeo longe fuit Nahaman a falsa simulanda religione, ut in publicum religionis suae testimonium sacrificia Deo offerret super terram quam oneratis duobus burdonibus asportare fecit de terra Israël.

Ad 2. Jehu cultum Baalis affectando peccavit *mendacio impio et sacrificio sacrilego*, ut S. P. Augustinus inquit in lib. cont. mend. cap. 2. Deus autem commendavit Jehu non pro impia cultus simulatione, sed *pro*

image
not
available

CAPUT XIII.

De virtute Spei.

De Spe breviter acturi nonnulla de illius nomine, definitione, divisione, objecto, subjecto ac proprietatibus dicemus. Et quoad nomen in sacris litteris usurpatur quandoque pro ipso objecto quod speratur seu expectatur, ut apud Apostolum in ep. ad Tit. cap. 2. *Expectantes beatam spem*, aeternam videlicet beatitudinem quae est ipse Deus spei nostrae objectum. Aliquando accipitur pro persona ipsa a qua aliquid speramus, ut Psal. 13. v. 6. *Dominus spes ejus est*. Sed hoc in loco aliis nominis hujus missis acceptionibus nomen Spei sumitur pro virtute theologica una ex illis de quibus Apostolus in 1. ad Cor. cap. 13. ait: *Nunc autem manent tria haec, Fides, Spes, Caritas*.

Definitur Spes *virtus theologica divinitus infusa per quam certa cum fiducia aeternam beatitudinem gratia comparandam expectamus*. Dicitur *virtus*, quoniam animum ad bonum inclinat et per hoc cum virtutibus convenit etiam moralibus. Dicitur *virtus theologica*, quoniam Deum attingit immediate, in quo cum aliis theologicis virtutibus convenit. Additur *divinitus infusa*, quoniam Dei donum est supernaturale, juxta illud Tridentini concilii sess. 6. can. 3. *Si quis dixerit, hominem sine Spiritus sancti gratia, credere sperare* etc. Praeterea dicitur Spes *conjuncta cum certa fiducia*, ut distinguatur a desiderio quod versari quandoque potest circa etiam impossibilia: denique additur nos expectare per spem *aeternam nostrum beatitudinem*, ut spem ab aliis theologicis virtutibus secernamus; quum sola Spes circa Deum prout est beatitudo nostra versetur.

Spes autem alia est habitualis quae permanet, alia actualis quae in actu consistit et transit. Alia est viva in subjecto gratiam sanctificantem habente supponens, alia est mortua qualis est in impio sanctificante gratia quae est animae vita, carente. Alia demum est formata, et alia informis. Prior est cum habituali gratia conjuncta, altera ab habituali sejuncta gratia.

Si de Spei loquamur objecto, dico objectum virtutis hujus materiale primarium esse Deum; quod ex objecti materialis primarii definitione patet. Objectum enim hujusmodi est quod primo ac per se a Spei virtute attingitur. Attingitur autem Deus, quum spes sit expectatio nostrae aeternae beatitudinis quae est ipse Deus, qui Gen. cap. 15. Abrahae dixit: *Ego sum merces tua magna nimis*. Unde spes de primario ac per se versatur circa Deum ipsum, atque ita Deus est objectum materiale primarium hujus virtutis.

Objectum autem ejusdem virtutis materiale secundarium sunt media omnia quibus objectum materiale primarium potest comparari. Nam cujuscumque virtutis secundarium objectum est id quod attingitur in ordine ad objectum materiale primarium. Atque hoc sensu recte sperant fide-

les in Dei supernaturalem gratiam, quatenus per illam veluti per necessarium medium superantur tentationes, divina observantur praecepta, et usque in finem perseverando pervenimus ad Deum. Recte etiam speramus in merita nostra cum auxilio tamen gratiae peracta, quoniam per illa Deum qui est beatitudo nostra obtinemus. Unde S. P. Augustinus in Psal. 31. ait: *Ipsa enim caritas bene operantis dat ei spem bonae conscientiae. Spem enim gerit bona conscientia: quomodo mala conscientia tota in desperatione est, sic bona conscientia tota in spe*. Recte demum spem nostram tamquam in objectum secundarium dirigimus ad intercessionem Sanctorum ac praecipue B. Mariae Virginis, quum horum ope a Deo gratiam impetramus qua ad illum pertingimus.

De objecto formali spei una est fere omnium theologorum opinio, illud videlicet esse bonitatem divinam. Et merito, quoniam spes utpote quae est desiderium et expectatio residet in voluntate cujus naturale objectum est bonum. Sed ubi inquiritur sub qua ratione divina bonitas sit objectum formale Spei dissociantur ad invicem scholastici: affirmantibus aliis esse bonitatem divinam prout est beatitudo nostra dumtaxat, aliis vero et prout est beatitudo nostra et prout est in ipso Deo, dummodo consideretur absens et possidenda. Quod in idem recidit ac si dicatur spem versari circa Deum vel prout est bonus in se vel prout est bonus nobis absens ac possidendus. Altera haec sententia nobis placet. Nam spem versari circa Deum prout bonus est in se, vel ex ipsâ patet definitione Spei quae est expectatio aeternae beatitudinis. Quid est autem aeterna beatitudo nisi divina bonitas in se considerata? Hinc caritas quae datur nobis in hac vita animum nostrum ad divinae bonitatis fruitionem continuo inclinat, quae bonitas quum longe a nobis absit per caritatem desideratur et expectatur, quod desiderium quae expectatio est virtus Spei propriae dictae. Quod autem Deus prout est beatitudo nostra sit etiam objectum formale spei, praeterquam quod a prioris sententiae patronis non negatur, traditur apertissime a S. Augustino serm. 158 de Script. alias 16. de verb. apost. cap. 7. dicente: *Unusquisque ... probet se in omnibus factis suis, bonis operibus suis, quae faciat cum caritate, non expectans retributionem temporalem, sed promissum Dei, faciem Dei*. Et in Psal. 134. *Sic amare debes, ut ipsum pro mercede desiderare non desinas, qui solus te satiet; sicut Philippus desiderabat, cum diceret: Ostende nobis Patrem, et sufficit nobis*. Addendum tamen est bonitatem Dei prout est nostra beatitudo esse objectum formale Spei dummodo sit absens ac possidenda: idque ut a caritate distinguatur quae quidem et ipsa versatur circa Dei bonitatem, sed abstrahit ab absentia vel praesentia.

Neque est quod prioris sententiae tutores regerant Dei bonitatem prout est beatitudo nostra esse objectum amoris concupiscentiae. Id quippe falsum est. Nam amor concupiscentiae est Deum diligere propter aliquod creatum positum extra Deum. Ast supernaturalis nostra beatitudo quum sit ipse Deus qui ait, *Ego sum merces tua magna nimis*, non est aliquid creatum et extra Deum. Sed de hoc iterum in subsequentibus.

Quae hactenus dicta sunt de objecto intelligi debent formali primario, quod a scholasticis objectum formale *quod* appellatur. Nam objectum formale secundarium ab iisdem scholasticis formale *quo* nuncupatum, est divina promissio cui tota Spes nostra innititur; ideo enim expectamus Deum beatitudinem nostram quoniam idem Deus verax et omnipotens seipsum tamquam rationalis creaturae felicitatem perseverantibus usque in finem promisit. Unde ex dictis sequitur tunc hominem veram habere Spem quando certa cum fiducia Deum adhuc absentem vel bonum in se vel bonum sibi expectat ex eo quod sibi cum gratia bene agenti ab eodem Deo id fuerit promissum. Atque pauca haec de objecto spei delibasse sufficiat.

Paucis nunc agendum de Spei subjecto quod duplex solet a theologis designari, proximum videlicet ac remotum. Subjectum Spei proximum est illa animae facultas in qua virtus illa residet. Remotum autem est creatura rationalis quae suam expectat beatitudinem. Et de proximo quidem subjecto nulla quaestio est, quum theologi omnes consentiant residere spem in voluntate; est quippe virtus illa summi expectatio boni, bonum autem pertinet ad voluntatem sicuti verum ad intellectum. De subjecto autem remoto multae institui solent quaestiones quas brevissime resolvemus.

Et 1. inquiritur an in Christo Domino locum habuerit virtus Spei. Dico Spem proprie dictam in Christo locum non habuisse, quod ex dictis apparet. Nam Spes est expectatio aeternae beatitudinis quae nondum possidetur, juxta illud Apostoli ad Rom. cap. 8. *Spes autem quae videtur, non est spes. Nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus.* Ast vero Christus quum a primo suae conceptionis instanti viator simul fuerit atque comprehensor Deum intuitive videbat, adeoque proprie dictam Spem non habebat. Dixi *spem proprie dictam*. Ceterum non diffiteor Spem habuisse aliquam illorum quae nondum fuerat consecutus, puta suae glorificationis et impassibilitatis. Quo sensu ait Apostolus ad Hebr. cap. 18. *Jesum qui proposito sibi gaudio* (intellige Spem) *beatitudinis, sustinuit crucem, confusione contempta*. Nec obstat quod in Scripturis legatur habuisse Christum omnes virtutes. Nam de illis intelligitur id virtutibus quae cum statu non pugnant beatitudinis, nullumque habent adnexum defectum; alioquin dicendum foret fuisse in Christo virtutem quoque poenitentiae.

2. quaestio est, an sit proprie dicta spes in beatis. Dico nec in beatis, propter mox allatam rationem, esse theologicam illam virtutem. Nam Spes pro objecto formali habet, ut diximus, beatitudinem absentem ac possidendam. Beati vero actu illam possident in caelo. Atque hinc Apostolus in 1. ad Cor. cap. 13. caritatem appellat Fide ac Spe majorem ut significet Fidem et Spem recedere, caritatem autem in caelo manere. Ceterum quamvis aeternam beati non sperent vitam in qua jam vivunt, sperant nihilominus in diem judicii et in proprii corporis glorificationem quamvis spes haec non sit spes proprie dicta.

3. quaeritur an sit Spes in damnatis: atque haec quoque quaestio

resolvitur negative, tum quia non est amplius in damnatis Fides quae Spei fundamentum est, tum etiam quoniam in primo damnationis instanti de propria desperant beatitudine, eaque desperatio in aeternum manebit vi irrevocabilis divini decreti.

4. non ita tamen se res habet in animabus justis quae in Purgatorio detinentur, in iis quippe locum utique habet Spes, quum aeternam cum certa fiducia expectent beatitudinem absentem et possidendam. Nec obstat quod de propria securi sint beatitudine, certitudo enim illa confortat potius quam auferat spem.

5. affirmative quoque resolvitur illa alia quaestio an Spes maneat in peccatore fideli. Nam praeterquam quod illam infusam accepit in baptismo, neque per contrarium desperationis actum amisit, quis tam impius fidelis qui aliquantulum non oret aut bonum aliquod non exerceat opus? Nequit autem vel oratio vel bonum opus haberi absque Spe remissionis peccatorum. Speratur autem peccatorum remissio ob aeternam quae expectatur beatitudinem. Praetermitto hypoteticam illam quaestionem a scholasticis agitari solitam, an remaneret Spes in homine cui facta esset a Deo propriae damnationis revelatio. Nam in praesenti rerum statu in quo Deus decrevit ut unusquisque quandiu vivit aeternam consequi possit salutem, ejusmodi revelatio impossibilis est, nec multum quaestio illa habere videtur utilitatis.

Venio nunc ad Spei proprietates quae duae sunt, certitudo nempe et necessitas. Et quoad certitudinem dico spem nostram non debere esse certam certitudine simplici et absoluta quae omnem omnino excludat formidinem, sed esse debere certam certitudine conditionata quae adnexum habeat timorem. Et prior assertionis hujus pars patet I. Scripturis. Nam Eccli. cap. 9 habetur: *Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei, et tamen nescit homo utrum amore an odio dignus sit. Sed omnia in futurum servantur incerta, eo quod universa neque eveniant justo et impio, bono et malo, mundo et immundo.* Apostolus in ep. ad Philip. cap. 2. *Cum metu*, inquit, *et tremore vestram salutem operamini. Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate.* II. ex PP. quorum loco unus sufficiat Augustinus qui in lib. de corr. et gr. cap. 13. scribit: *Quis ex multitudine fidelium quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero praedestinatorum se esse praesumat? Quia id occultari opus est in hoc loco, ubi sic cavenda est elatio, ut etiam per satanae angelum, ne extolleretur, tantus colaphizetur Apostolus.* III. ex ratione. Nam licet promissa a D. O. M. nobis sit aeterna vita, divina nihilominus promissio conditionata est, si nimirum bene egerimus et perseveremus usque in finem. Cumque id a voluntate nostra quae et natura sua et ob contractum peccatum defectibilis est etiam dependeat, sequitur vitam aeternam a Deo nobis promissam esse incertam.

Altera autem assertionis pars et ipsa probatur 1. Scripturis. Eccli. cap. 11. citato legitur: *Qui timetis Dominum sperate in illum, et in oble-*

ctationem veniet vobis misericordia. Matth. cap. 24. *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*. Ad rem S. P. Augustinus enarr. in Psal. 36. serm. 1. *Quid credidisti? Quid tibi Christus promisit? Quia immortalis eris, et dabit tibi vitam aeternam*: en objectum Spei. Audi nunc ab eodem sanctissimo parente quo pacto: *Hoc sit vita tua, obedire praeceptis ejus ... donec det quod promisit*. Hac praesupposita conditione inquit Apostolus in ep. ad Hebr. cap. 6. *Qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animae tutam ac firmam*. Nam certitudo illa immobilis et absoluta aeternae salutis damnata est a Tridentina synodo sess. 6. cap. 13. in lutheranis et calvinistis, ut praecedenti libro de justificatione observavimus.

Altera Spei proprietas, ut diximus, est *necessitas*, actus nempe Spei necessarius est ad aeternam vitam consequendam et quidem necessitate medii ac necessitate praecepti. Necessarium esse Spei actum necessitate medii hoc ratiocinio demonstro. Necessaria est necessitate medii ad aeternam obtinendam salutem justificatio, nonnisi enim justis glorificatio promissa est. Ast ad habendam justificationem necessaria est necessitate medii Spes actualis, est namque una ex dispositionibus ad justificationem requisitis. Quare necessaria est necessitate medii ad aeternam vitam Spes actualis. Argumentum desumptum est ex Tridentino concilio sess. 6. cap. 6. ubi sic legitur: *Disponuntur autem ad ipsam justificationem ... dum peccatores se esse intelligentes a divinae justitiae timore quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore*. Sed necessaria est Spes etiam necessitate praecepti, alioquin frustra Deus illam hominibus praeciperet. Praecipit autem ut speremus. Psal. namque 4. legitur: *Sperate in Domino*. Psal. 61. *Sperate in eo omnis congregatio populi*. Paulus ad Hebr. cap. 10. *Nolite amittere confidentiam vestram*. Petrus in sua 1. ep. cap. 1. *Sperate in eam quae vobis offertur gratiam*. Et merito plane haec a Deo nobis praecepta lata sunt. Nam Spes stimulus est ad difficultates omnes superandas quae homini virtutis ingredienti semitam sese offerunt. Hinc jure ab Alexandro VII. laxiorum casuistarum haec damnata est propositio: *Homo nullo umquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, spei, et caritatis ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium*.

Si quaeras autem quo praecise tempore divinum Spei praeceptum obliget, respondeo obligare 1. statim ac homo ad usum pervenit rationis, tunc enim tenetur homo per actum caritatis omnes actiones suas ad Deum ultimum finem suum dirigere ac referre, quae directio ac relatio sine actu Spei fieri non potest. 2. Quoties invenitur homo in morali vitae periculo, tum quia majoribus tunc indiget caritas stimulis ut cor in Deum feratur, tum etiam quia infensissimus animae nostrae hostis nullum non movet in eo articulo lapidem ut hominem in desperationem inducat. 3. Quoties aliqua urget tentatio vel praeceptum de justificatione instat comparanda vel de oratione fundenda vel de fovenda caritate etc. Spes

namque istis in casibus est homini ad illa aliaque hujusmodi peragenda magnum auxilium. Nec est quod quis dicat dari aliquos qui reprobationis signa adeo clare in seipsis deprehendunt ut non teneantur actus elicere Spei. Nam quamdiu in hac mortalitate sumus nemo de sua sorte securus est, nemo de misericordia Dei desperare debet, omniaque signa quae quis deprehendere in se ipso potest subdita sunt errori. Hactenus de Spe.

CAPUT XIV.

Breviter pertractatur de Timore.

Non loquor hic de timore naturali qui in fuga consistit a quovis malo. Hic namque quum passio quaedam sit in appetitu sensitivo residens non est in nostra potestate, ac proinde nec meriti capax est neque demeriti. Loquor de timore libero ac rationali qui cum proficiscatur a voluntate potest utique sibi meritum vel demeritum comparare. Timor hic quadruplex est, nempe *mundanus*, *servilis*, *initialis*, *et filialis*. Et quoniam omnis timor ab alicujus rei profluit amore, hinc prior nimirum mundanus est ille quo aliquis magis res creatas amat quam Deum, imo rebus commutabilibus toto animo tamquam ultimo fini adhaeret. Timor servilis hoc modo definitur a M. Augustino serm. 161. de Script. alias 18. de verb. apost. cap. 9. *Servilis timor est, quo times cum diabolo ardere*: est quippe amor suipsius. Dicitur autem servilis, quoniam ea servorum est indoles ut ad agendum moveri soleant timore poenarum. Timor initialis est quo quis a malo abstinet ad evitandam quidem poenam, sed in poena timenda amare incipit Deum; atque initialis dicitur quia initium continet amoris Dei. Filialis denique timor qui castus quoque appellatur, est ille quo quis peccare timet ne Deum patrem offendat nulla poenarum habita ratione: et recte filialis dicitur quoniam per illum se habet homo ad Deum sicuti filius ad patrem.

Timorem filialem imo et initialem bonum esse supernaturale ac donum Dei vel ex ipsa utriusque timoris patet notione; primus enim perfectam, alter vero imperfectam continet caritatem quae, nemine diffitente, a Deo est. E contra vero timorem mundanum malum esse ac perniciosum quis inficias ire poterit? Ait quippe Christus Matth. cap. 10. v. 28. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*. Et S. P. Augustinus serm. nuper citato cap. 5. ita reprehendit eum qui a timore mundano abripitur: *Timet carcerem, et non timet gehennam? Timet quaestionarios tortores, et non timet infernales angelos? Timet cruciatum temporalem, et non timet poenas ignis aeterni? Postremo timet ad modicum mori, et non timet in aeternum mori?* Et ratio manifestissima est, quoniam proficiscitur timor ille in homine ex nimio amore suipsius, quo fluxis hujus saeculi bonis adhaeret tamquam ultimo fini, quod plane noxium est atque perversum.

Nulla itaque quaestio est circa mundanum vel initialem vel filialem

timorem, sed controversia verti solet circa timorem servilem. Nam Lutherus S. P. Augustini abusus auctoritate eo devenit ut affirmaret servilem timorem non modo inutilem esse atque frustraneum, sed et reddere hominem impium hypocritam ac magis peccatorem. Sic enim habet 6. a Leone X. damnatus articulus: *Contritio quae paratur per discussionem, collectionem, et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem aeternae beatitudinis, et acquisitionem aeternae damnationis: haec contritio facit hominem hypocritam, imo magis peccatorem.* Ideo autem haec effutiebat Lutherus quoniam totum justificationis opus soli fidei adscribebat, ut praecedenti libro animadvertimus. Contra Lutherum ergo demonstrandum est timorem servilem substantia sua bonum esse, ac Dei donum supernaturale.

Sed ut omnis tollatur a controversia aequivocatio animadvertendum existimo duo esse in timore servili distinguenda, scilicet ejusdem timoris *substantiam* et *servilitatem*. Substantia timoris in eo consistit ut quis ad vitandam gehennam, ob suipsius amorem cui vult bene esse in aeternum abstineat a malo, nulla facta inter seipsum ac Deum comparatione quasi seipsum Deo anteponat. Servilitas autem est pravus quidam animi affectus quo ita seipsum Deo anteponit ut nullam ideam retinens honestatis, in bono opere teneatur invitus; imo vellet nec prohiberi suas cupiditates multoque minus puniri quo sibi licita essent omnia. Timor ergo servilis secundum substantiam consideratus ex se indifferens est ut vel filialis evadat vel *serviliter servilis*, proindeque servilitas illa a substantia timoris servilis distingui potest ac separari, ut S. Thomas 2. 2. q. 19. a. 4. optime observat dicens: *Praedicta servilitas non pertinet ad speciem timoris servilis, sicut nec informitas ad speciem fidei informis; et ideo timor servilis secundum suam substantiam bonus est, sed servilitas ejus est mala*. His adnotatis sit

CONCLUSIO

Timor servilis bonus ac utilis est, et donum Dei supernaturale.

Prob. 1. ex Script. Psal. 110. legitur: *Initium sapientiae timor Domini*. Idem in lib. Prov. cap. 1. v. 7. repetitur: *Timor Domini principium sapientiae*. Quae verba de timore servili accipit Basilius in psal. 33. scribens: *Si quando te senseris ad unum aliquod cieri, ac prosilire peccatum, tibi ad mentem revoca formidabile illud Christi judicium in quo quidem praesidet judex in alto et sublimi throno ... Subinde conspice barathrum in imum patens, tenebras impermeabiles quidem illas, ignemque obscurum, postremo omnium durissimam poenam. Haec tu time, et ejusmodi timore eruditus quasi fraeno quodam coërce animam, et inhibe ad vitiosam concupiscentiam propendentem. Hunc itaque timorem Domini nos pater ille se recepit esse docturum*. Matth. cap. 10.

v. 28. *Timete eum qui potest animam et corpus perdere in gehennam*. Quibus recitatis sic Augustinus serm. 161. de script. saepe laudato cap. 8. inquit: *Modo cum dicis mihi, gehennam timeo, ardere timeo, in aeternum puniri timeo: quid dicturus sum? Male times? vane times? Non audeo, quandoquidem ipse Dominus ablato timore subjecit timorem*. Timor ergo gehennae non est damnabilis, sed bonus, utilis, supernaturalis et donum Dei.

Prob. 2. PP. auctoritate. S. Cyprianus in lib. de laps. postquam dixerat Dominum praemonuisse nos ne peccaremus sub visitationis facinorum poena in virga, et delictorum in flagellis, subdit: *Nec saltem sero conversi ad Domini timorem sumus, ut hanc correptionem nostram probationemque divinam patienter et fortiter subiremus*. S. Basilius in psal. 33. *Timor*, inquit, *quasi quidam introductorius necessario ad pietatem condiscendam assumitur*. S. Gregorius nazianzenus orat. in S. Lumina ait: *Neque enim ea ratio nobis ineunda est, ut a contemplatione auspicantes in timorem desinamus; verum ut timoris rudimentis imbuti et purgati, atque, ut verbo hoc utar, extenuati, in altum feramur*. S. Hieronymus in ep. ad Fabiol: *Timor virtutum custos est:* atque ad id suadendum verba assumit psalmi, *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt*: additque: *Sensus est, dum tormenta formido, servavi gratiam quam acceperam*. S. P. Augustinus in psal 127. *Ille timor nondum castus praesentiam* (Dei) *et paenas timet*. *Timore facit quidquid boni facit; non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum non timet ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet ne mittatur in gehennam*. *Bonus est iste timor, utilis est* etc. Et serm. 161. supra citato scribit: *Plane time, nihil melius times; nihil est quod magis timere debeas*; loquitur autem de gehenna. In lib. 8. Conf. cap. 11. de semetipso inquit: *Tenebar tamen*. *Et instabas tu in occultis meis Domine severa misericordia, flagella ingeminans timoris et pudoris, ne rursus cessarem, et non abruperetur idipsum exiguum et tenue quod remanserat; et revalesceret iterum et me robustius alligaret*. Hinc Tridentina synodus sess. 6. can. 8. hanc merito tulit sententiam: *Si quis dixerit gehennae metum per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccato abstinemus peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit*.

Prob. 3. enumeratione bonorum quae ex servili proveniunt timore .. 1. Per gehennae metum, ut mox ex Tridentina synodo diximus, a peccando exterius abstinemus; ait enim S. P. Augustinus decies citato serm. de script. cap. 8. *Timor enim iste quo gehennam times, et ideo mala non facis, continet te; et sic volentem peccare animum interiorem non sinit*. *Est enim quidam custos timor, quasi pedagogus legis*. 2. Servilis timor aufert malas consuetudines. Ita Augustinus ad Honorat. ep. 140. alias 120. cap. 18. *Praemissus timor in cor nostrum, pellit inde consuetudinem malorum operum*. 3. Per timorem servilem veluti cogimur ad bonum agendum; *de necessitate*, nempe, *virtutem facientes*, ut est in vulgari

proloquio. Explicat id S. Pater lib. 2. adv. Petilian. 84. qui de poenalibus conquacrebatur legibus quibus donatistae a romanis imperatoribus ad unionem redire cogebantur; aitque per poenales leges admoneri hominem *ut cogitet quare patiatur*; *ut si pro justitia se pati perspexerit*, *idipsum bonum eligat pro justitia talia sustinere: si autem viderit iniquitatem esse pro qua patitur, se infructuosissime laborare atque cruciari considerans, mutet in melius voluntatem, simulque careat et modestia sterili et ipsa iniquitate*. 4. Adjuvat timor gehennae caritatem imperfectam, hoc est caritatem in animam semel introductam roborat, a lapsu custodit, et facit victricem. Unde de nonnullis martyribus parvam habentibus caritatem scribit Augustinus in psal. 68. 2. 3. *Majore timore minora contemnimus ... Quis non bibat tribulationis temporalis poculum, metuens ignem gehennarum?* Modum autem quo id fieri solet exponens enarr. in psal. 128. scribit: *Quomodo si videas avem veluti jam cadere in muscipulam facis majorem strepitum ut volet de muscipula: sic et martyres jam forte aliqui ipsorum intendebant collum in dulcedinem vitae hujus; Dominus, qui erat in illis, fecit strepitum gehennarum, et erutus est passer de muscipula venantium*. Quae cum ita sint quis dubitare poterit quin timor servilis bonus sit, utilis, ac donum Dei supernaturale?

Diluuntur objecta Lutheranorum.

Obj. 1. Apostolus in ep. ad Rom. cap. 5. v. 20. *Lex*, inquit, *subintravit, ut abundaret delictum*. Legis nomine non aliud intelligitur quam lex poenarum, et praesertim timor incussus gehennae. II. Joannes in ep. 1. cap. 4. ait: *Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem*. Si timor nequit cum caritate consistere nonne peccatum est?

Resp. ad 1. Duplex est legis effectus, cognitio peccati, et timor poenarum. De primo autem non de altero legis effectu accipiendus est hoc in loco Apostolus, ita ut sensus sit, per datam a lege ignoti peccati notitiam, et ignorantiam sublatam abundasse delictum, hoc est id quod simplex erat delictum, incrementum suscipiens factum esse praevaricationem.

Ad 2. Caritas perfecta juxta allatum ex Joanne textum expellit utique timorem, sed quoad servilitatem non quoad substantiam. Scilicet quanto magis regnat in corde caritas, tantominus tormentum ibi locum habet, nec amplius peccatoris conscientia torquetur si per caritatem ita justitia delectet ut ex peccatore homo justus evadat. Ceterum timoris substantia etiam in perfecte sanctis permanet nec amittitur nisi in patria, unde M. Augustinus serm. 161. cap. 9. inquit: *Illa* (caritate) *intrante, incipit timor exire: Quanto plus illa intraverit, tanto timor minor erit. Cum illa tota intraverit, nullus timor erit: quia perfecta caritas foras mittit timorem. Intrat ergo caritas, pellit timorem. Non autem intrat et ipsa incomitata. Habet secum suum timorem quem introducit ipsa; sed illum castum permanentem in saeculum saeculi*. Sed

dici etiam potest timorem qui a perfecta pellitur caritate esse timorem mundanum atque perversum, juxta illud Augustini in lib. de s. virginit. cap. 38. *Timor quidem non est in caritate, sed perfecta sicut scriptum est, caritas foras mittit timorem: sed timorem hominum, non Dei; timorem temporalium malorum, non divini in fine judicii. Noli altum sapere, sed time. Ama Dei bonitatem, time severitatem.*

Obj. 2. S. P. Augustinus pluribus in locis affirmat timorem non facere legem Dei levem. Puta in lib. de nat. et gr. cap. 49. productis evangelicis verbis, *et praecepta ejus gravia non sunt*, hisque consimilibus, *si ambularent semitas bonas, invenissent utique semitas justitiae leves*, concludit: *Quomodo ergo dicitur, propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras*: nisi quia *utrumque verum est? Durae sunt timori, leves amori*. Quod autem duram Dei legem reddit, malum est. II. ait rursus S. doctor timorem habere tormentum quod profecto malum est. III. serm. 161. de script. cap. 7. affirmat hominem qui ob gehennae timorem incipit non esse adulter, non esse laudandum. IV. in lib. de spir. et litt. cap. 14. inquit: *Mandatum si fit timore poenae, non amore justitiae, serviliter fit, non liberaliter, et ideo nec fit*. V. in ep. 145. alias 144. ad Anastasium, scribit: *Inaniter putat victorem se esse peccati, qui poenae timore non peccat; quia etsi non impletur foris negotium malae cupiditatis ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis*. VI. demum passim affirmat timorem non esse bonum, adeoque malum.

Resp. ad 1. Optime docet Augustinus timorem non facere divinam legem levem, verum est quippe eum qui timet, divina servare mandata compulsa ac renitente voluntate. *Implebis enim amore, quod timore non poteras. Qui enim timendo non facit male, mallet facere si liceret. Itaque etsi facultas non datur, voluntas tenetur*, ut ipse ait enarr. in psal. 32. serm. 1. 2. 6. quod proculdubio bonum est. Quod autem divina serventur praecepta renitente ac compulsa voluntate ex mala provenit id cupiditate ac servilitate quae est imperfectio timoris.

Ad 2. Ante Augustinum dixerat idem S. Joannes apostolus, sed neuter in sensu Lutheri. Timor ergo tormentum habet et cor torquet conscientia peccatorum quia sic *vulnerat quomodo medici ferramentum putredinem tollit, et quasi videtur vulnus augere*. Verum quemadmodum medici ferramentum ad reddendam tendit sanitatem infirmo, ita et timor paulatim introducens caritatem in animam a vulneribus illam sanat atque sanctificat.

Ad 3. Inquiens Augustinus laudandum non esse qui adulterium ob gehennae timorem relinquit, innuere vult nondum illum esse justificatum, quum ad justificationem habendam requiratur dilectio seu timor filialis. Non inquit autem hominem illum peccare; ait siquidem: *Nondum laudandus es: non quidem ita dolendus, ut ante, sed tamen nondum laudandus*. Et serm. 178. de script. alias 19. de verb. apost. cap. 9. *Si timore gehennae non facis malum, nondum es perfectus... est quidem in te fides, quia credis futurum Dei esse judicium: gaudeo fidei tuae, sed adhuc timeo malitiae tuae*.

Ad 4. Nos quoque cum Augustino nostro fatemur eum qui legem implet timore poenae perculsum, legem non adimplere *ut oportet*, illam tamen adimplet quoad substantiam: *Quod ita fit timore poenae ... ut non referatur ad illam caritatem quam diffundit Spiritus sanctus in cordibus nostris, nondum fit quemadmodum fieri oportet, quamvis fieri videatur:* verba sunt S. Patris Enchir. cap. 121.

Ad 5. Quod mala cupiditas adhuc in timentis corde persistat, non est vitium timoris; sed pravitas hominis nondum bene viventis et castum habentis amorem.

Ad 6. S. Pater millies timorem servilem appellat bonum, utilem, animae pedagogum etc. Quare ubi aliquando dicit non esse bonum, intellige non esse bonum undequaque et sicut oportet. *Bonum*, inquit Petrus pictaviensis lib. 3. cap. 15. *multipliciter dicimus bonum meritorium, bonum utile, bonum de genere bonorum. Servilis autem timor bonus est, idest utilis, quia introductorius est ad caritatem. Sed non est bonus, idest meritorius*.

Obj. ultimo. Hugo Victorinus de sacr. Fidei lib. 5. p. 3. cap. 5. scribit: *Quatuor timores scriptura discernit, servilem, mundanum, initialem, et filialem ... Ex his quatuor timoribus duo mali sunt, idest servilis, et mundanus*. Julianus Pomerius adv. stoicos lib. 3. cap. 31. inquit: *Non omnis timor haberi debet in vitio, sed ille tantum de quo scriptum est, quia timor tormentum habet*: qui timor servilis est.

Resp. Hugo Victorinus servilis timoris nomine non metum gehennae ut nos, sed timorem ab hominibus illatum intelligit. Ait namque in Lucam: *Servilis timor poenam quae ab hominibus infertur, metuit*. E contra commendat ibidem timorem gehennae quem initialem appellat. Julianus autem Pomerius non damnat timorem secundum substantiam, sed secundum servilitatem quae certe bona non est. Nam ut S. Thomas ait 2. 2. q. 19. a. 4. *Dicendum quod timor servilis secundum essentiam dicitur esse a Deo, non tamen sub ratione qua servilis est*. Hoc idem docuit etiam S. Bonaventura de sept. don. Spiritus sancti. *Timor servilis secundum essentiam dicitur esse a Deo, non tamen sub ratione qua servilis est*. Hac timoris servilis secundum substantiam et secundum servilitatem praecisione probe assecuta, omnia quae a lutheranis afferri solent facillime explicantur, sed de hoc argumento sermo redibit ubi agemus de sacramento poenitentiae.

CAPUT XV.

De nomine, definitione, divisione, objecto ac subjecto caritatis.

Caritatis nomen quod quemvis honestum amorem significat, juxta illud Tullii in lib. de amicitia: *Caritatem quae est inter parentes et liberos dirimi nisi detestabili scelere non posse*, in sacris litteris sumitur aliquando pro ejusdem caritatis primario objecto qui Deus est, et caritas

appellatur a Joanne in 1. ep. cap. 4. *Deus caritas est, et qui manet in caritate in Deo manet*. Aliquando pro ea accipitur dilectione qua Deus consequitur homines, dicente Apostolo ad Ephes. cap. 2. *Deus propter nimiam caritatem qua dilexit nos etc.* Quam saepissime vero pro eo usurpatur amore quo rationalis creatura diligit Deum aliasque creaturas propter ipsum Deum. Et de hac loquitur Apostolus in 1. ad Cor. cap. 13. dicens: *Nunc autem manent fides spes caritas, tria haec: major autem horum est caritas*. Apud Augustinum autem tribus modis nomen accipitur caritatis, 1. pro bona voluntate, et est lata quaedam acceptio. In lib. enim de grat. Chr. cap. 21. *Quasi vero*, inquit, *aliud sit bona voluntas quam caritas*. Et lib. 2. ad Bonif. cap. 9. *Quid est boni cupiditas, nisi caritas?* 2. Sumitur a S. doctore in sensu quodam stricto ac rigoroso, et idem est ac amor Dei super omnia. 3. Sumitur strictissime, pro amore nimirum quo rationalis creatura Deum diligit propter se, res vero creatas propter Deum, et vicissim creatura rationalis diligitur a Deo amore amicitiae. Atque haec est illa caritas de qua loquitur etiam Apostolus loco nuperrime citato. Et haec est caritas illa de qua nunc pertractamus, quum talis caritas sit virtus theologica proprie dicta.

Definitur autem: *Virtus infusa theologica qua Deus diligitur propter se; creatura autem rationalis seipsam ac proximum diligit propter Deum*. Dicitur 1. *virtus*, quoniam ad bonum inclinat animum, quum rationalem creaturam Deo tamquam ultimo fini conjungat. 2. Dicitur *infusa*, quia a Deo infunditur creaturae per gratiam, juxta illud Apostoli ad Rom. cap. 10. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*. 3. Additur *theologica*, nam immediate circa Deum occupatur, quum Deus sit objectum illius primarium. 4. Dicitur virtus *qua Deus diligitur propter se*, quia verae caritatis amor terminare debet ad Deum tamquam ad ultimum finem, ut ab amore distinguatur concupiscentiae quo diligitur quidem Deus, sed propter aliquod creatum. 5. Additur demum *qua rationalis creatura seipsam ac proximum propter Deum diligit*, ut innuatur quaenam sint illa circa quae debeat caritas occupari: debemus nempe per illam diligere Deum, nosmetipsos et proximum propter Deum tamen qui ultimus finis noster est. Quod si quis dicat allatam caritatis definitionem convenire etiam justificationi, respondere poteris gratiam et caritatem duo esse ejusdem rei nomina, nec ad invicem separari nisi penes officia et connotata. Sed de his satis diximus in libris de gratia.

Caritas itaque quae est tertia theologica virtus multipliciter dividitur. Et 1. in actualem et habitualem, quarum prior sic definitur ab Augustino lib. 3. de doctr. chr. cap. 10. *Caritatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, et se atque proximo propter Deum*. Posterior seu habitualis ab actuali non differt nisi in eo quod illa inhaeret animae ac permanet, haec vero est motio, et veluti transit. 2. In infusam et acquisitam. Illa per baptismi ac poenitentiae sacramenta infunditur, haec autem repetitis caritatis acquiritur actibus. 3. In perfectam et im-

perfectam. Perfecta caritas illa est qua Deus super omnia et quidem ferventer diligitur. Imperfecta autem adhuc subdividitur, et alia est qua Deus utique diligitur super omnia, sed minus ferventer ac in gradu remisso, ut erat caritas Petri quando ter Dominum negavit, unde Augustinus in lib. de gr. et lib. arb. cap. 17 inquit: *Qui ergo vult facere Dei mandatum et non potest, jam quidem habet voluntatem bonam* (scilicet caritatem,) *sed adhuc parvam et invalidam: poterit autem, cum magnam habuerit et robustam ... Ipsam caritatem* (perfectam) *apostolus Petrus nondum habuit quando timore Dominum ter negavit ... Et tamen quamvis parva et imperfecta, non deerat quando dicebat Domino, animam meam pro te ponam*. Et alia imperfecta caritas est qua diligitur plane Deus, sed non super omnia, qualis est in iis qui dominante detinentur cupiditate, sed ab illa liberari desiderant, et vires petunt ad eam abjiciendam. Cujus luculentissimum habemus exemplum in Augustino qui lib. 8. conf. cap. 5. de seipso scribit: *Voluntas autem nova* (scilicet caritas) *quae mihi esse caeperat ut te gratis colerem, fruique te vellem, Deus sola certa jucunditas, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam* (hoc est cupiditatem). *Ita duae voluntates meae, una vetus, alia nova; illa carnalis, illa spiritalis confligebant inter se, atque discordando dissipabant animam meam*. Hic adnoto cum magno parente Augustino in lib. 14. de C. D. cap. 7. amorem, dilectionem, et caritatem tria esse unius ejusdemque rei nomina, contra nonnullos qui tria haec ad invicem distinguunt. Legatur laudatus mox liber.

Nonnihil modo de caritatis objecto tum materiali tum formali dicamus. Et quoad objectum materiale duplex illud est, ut ceterarum theologicarum virtutum, primarium nimirum ac secundarium. Primarium est ipse Deus, quoniam caritas nonnisi circa Deum per dilectionem primario versatur, ut ex ipsa patet definitione. Secundarium autem ejusdem virtutis objectum materiale nos ipsi sumus et proximus noster. Nam postquam homo per caritatem dilexit Deum propter ipsum Deum debet et seipsum et proximum diligere propter eumdem Deum, sicque caritas de secundario et circa nos ipsos et circa proximum nostrum occupatur, in quo objecti materialis secundarii notio consistit. Utrumque materiale caritatis objectum brevi complectitur S. P. Augustinus lib. 1. de doctr. chr. cap. 23. dicens: *Cum ergo quatuor sint diligenda, unum quod supra nos est, alterum quod nos sumus, tertium quod juxta nos est, quartum quod infra nos est* etc. Ex quibus intelligimus, primo per caritatem diligendum nobis esse Deum, est enim aliquid supra nos, tum nosmetipsos, quia *cum dictum est, diliges proximum tuum tamquam teipsum, simul et tui abs te dilectio non praetermissa est*, ut inquit beatissimus parens lib. citato cap. 26. tertio proximum nostrum, *diliges proximum tuum sicut teipsum*. Nomine autem proximi non homines modo viatores justi et injusti, fideles et infideles, sed et angeli veniunt in patria existentes, ut optime observat idem S. Pater eodem lib. 1. de doct. chr. cap. 3. *Jam vero si vel cui praebendum est, vel a quo nobis praeben-*

dum est officium misericordiae, recte proximus dicitur; manifestum est hoc praecepto quo jubemur diligere proximum, etiam sanctos angelos contineri, a quibus tanta nobis misericordiae impenduntur officia. Quarto demum versari debet caritas etiam circa corpus nostrum, quoniam *non omnia quibus utendum est diligenda sunt, sed ea sola quae aut nobiscum societate quadam referuntur in Deum, sicuti est homo vel angelus; aut ad nos relata, beneficio Dei per nos indigent, sicuti est corpus*, inquit S. doctor proximo citato lib. cap. 23.

Sed posset quis adversus ea quae mox dicta sunt objicere caritatem non habere pro materiali objecto hominem ipsum diligentem, neque enim extat in lege praeceptum quo homini jubeatur ut diligat seipsum.

Sed frivola omnino est haec difficultas. Ratio quippe cur praeceptum non sit homini ut seipsum diligat, traditur ab Augustino nostro in lib. 1. de doctr. chr. cap. 23. ubi postquam quatuor illa quae a nobis amanda sunt enumeravit, e vestigio addit: *De secundo et quarto nulla praecepta danda erant. Quantumlibet enim homo excidat a veritate, remanet illi dilectio sui et dilectio corporis sui. Fugax enim animus ab incommutabili lumine omnium regnatore id agit, ut ipse sibi regnet et corpori suo: et ideo non potest nisi et se et corpus suum diligere*. Deinde quamvis non explicite, implicite tamen dici potest praecepisse Deum homini ut se ac corpus suum diligeret; praecepit siquidem modum quo et seipsum diligeret et corpus suum: unde in proximo laudato libro cap. 25. scribit S. Pater: *Modus ergo diligendi praecipiendus est homini, idest quomodo se diligat ut prosit sibi ... Praecipiendum etiam quomodo corpus suum diligat, ut ei ordinate prudenterque consulat*.

Nec est quod quis dicat teneri nos carnem nostram mortificare atque cum Christo crucifigere, proindeque non contineri corpus nostrum intra objectum caritatis. Nam corporis depressio et crucifixio non ex odio, sed ex recto potius in illud amore a nobis fit, ut saepe laudatus Augustinus in citato volumine cap. 24. observat: *Nemo ergo se odit ... sed neque corpus suum quisquam odit: Verum est enim quod ait Apostolus, nemo umquam carnem suam odio habuit. Et quod nonnulli dicunt, malle se omnino esse sine corpore, omnino falluntur: non enim corpus suum, sed corruptiones ejus et pondus oderunt ... Quod autem continentia quadam et laboribus quasi persequi videntur corpora sua, qui hoc recte faciunt, non id agunt ut non habeant corpus, sed ut habeant subjugatum et paratum ad opera necessaria*.

Pauca nunc dicenda supersunt de objecto caritatis formali quod etiam duplex est, formale nempe primarium quod a scholasticis dicitur *formale quod*, et formale secundarium ab iisdem scholasticis *formale quo* nuncupatum. Primum est bonitas Dei sive in se sive prout est beatitudo nostra, considerata, quod ex formalis objecti primarii notione patet. Ejusmodi enim objectum nil aliud est quam ratio sub qua attingitur objectum materiale. Ratio autem sub qua primarium materiale objectum suum caritas attingit, est divina bonitas sive in se spectata sive quatenus est

beatitudo nostra. Nam caritas pertinet ad voluntatem quae nonnisi circa bonitatem occupatur, atque hoc modo Deus consideratus omne nostrum explere potest desiderium. Objectum autem formale secundarium his verbis exprimitur: *Quatenus eadem divina bonitas abstrahit ab absentia vel praesentia*, quoniam virtus haec Deum amat quatenus amabilis est in se, et quatenus est merces ac beatitudo nostra non solum in altera vita ubi Deus praesens erit, sed in hac etiam vita in qua a Deo peregrinamur ipsumque conspicimus per speculum et in aenigmate. Atque hac de caussa caritas a virtute spei secernitur. Haec nempe divinam attingit bonitatem praecise sub hac ratione, *quatenus est absens ac possidenda*, quum caritas ab absentia vel praesentia praescindat. Malumus de objecto caritatis formali ita sentire quamvis theologorum plerique dissentiant autumantes consistere illud in bonitate Dei in ipso Deo considerata, ad differentiam objecti formalis spei quod putant esse eamdem Dei bonitatem prout est nostra beatitudo. Malumus, inquam, nos ita sentire propterea quod facilius hoc modo error revincitur illorum qui perfectam caritatem excludere quemcumque intuitum aeternae mercedis arbitrantur. Falsa siquidem erit horum opinio si formale caritatis objectum sit divina bonitas tum in Deo ipso tum quatenus est nostra beatitudo considerata. Sed de eo errore paullo post sermo redibit.

Subjectum denique caritatis duplex est, uti et subjectum aliarum virtutum, proximum scilicet ac remotum. Proximum et immediatum est rationalis creaturae voluntas, dicente Apostolo ad Rom. cap. 5. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris*. Subjectum autem remotum est quaevis creatura rationalis in qua caritas sit, homines videlicet viatores, animae in purgatorio igne existentes, omnesque beati in patria; est quippe caritas forma justificationis et sanctitatis; unde inquit Apostolus in 1. ad Cor. cap. 13. *Caritas numquam excidit*.

CAPUT XVI.

De necessitate Caritatis quae est ejusdem virtutis proprietas.

Eo laxitatis nonnulli recentiores pervenerunt theologi ut affirmare non dubitaverint dilectionem Dei super omnia merum esse consilium non praeceptum. Quod si praeceptum, addunt, dici velit, non erit illud distinctum ac speciale praeceptum, sed idem erit diligere Deum super omnia, ac singula ejus mandata quando occurrunt adimplere, non autem specialiter ac distincte amoris Dei super omnia actum exercere. Ex profana hac opinione quae sequantur absurda quis non videt? Revera ex falso illo ac impio principio haec ejus commenti assertores deduxere consectaria, nimirum quod non tenetur homo ad salutem consequendam aeternam actum amoris erga Deum aliquando in vita elicere, sed ad summum teneri Deum non odisse. Quod si primum illud mandatum, inquiunt, aliquam inducat obligationem non est id ex vi praecepti caritatis, sed tantum per

accidens ac ne singulis quidem quinquenniis, sed ad summum semel in vita, et cum in mortis periculo quis constitutus attritus est, nec copiam habet sacerdotis a quo valeat sacramentaliter absolvi. Consequenter etiam asseruerunt praeceptum illud, *diliges Dominum Deum tuum*, exteriorem dumtaxat actum, non internum importare amorem. Nescio an pejora a catholico calamo potuerint excidere. Et nihilominus etiam hisce nostris temporibus haec et majora typis impresso opere recoxit et renovavit impudentissimus scriptor Bolgenius inter lojolitas quorum socius erat, enutritus, a cujus enumerandis erroribus abstineo ut tam nefandi operis memoria omnino deleatur. Tam perniciosa ergo doctrina rejicienda est dirisque execranda; unde sit

CONCLUSIO I.

Caritas erga Deum non est de consilio, sed de praecepto et quidem speciali.

Prob. 1. ex Scripturis. Deut. cap. 6. ita Moyses populum suum alloquitur: *Audi Israël, Dominus Deus noster, Deus unus est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua. Eruntque verba haec quae ego praecipio tibi hodie in corde tuo, et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis in eis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens*. Christus autem Dominus respondens pharisaeis sciscitantibus quodnam esset magnum in lege mandatum, inquit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Hoc est primum et maximum mandatum*. Et rursus: *In his duobus praeceptis universa lex pendet, et prophetae*. Joannes dilectus Domini discipulus in 1. ep. cap. 4. *Diligamus*, inquit, *Deum, quoniam ipse prior dilexit nos*. Et Paulus in 1. ad Cor. cap. 16. *Qui non amat D. J. C. anathema sit*. Haec adeo clare demonstrant caritatem erga Deum non merum esse consilium, sed rigorosum praeceptum et quidem speciale et a reliquis distinctum, ut caecutire sponte velit in meridie qui id inficiari audeat. Etenim ubinam de consiliis dictum est in universa Scriptura quod Moyses inquit de dilectione Dei? Quum liberum homini sit consilia adimplere vel non, necesse non est ut retineantur in corde, ut narrentur filiis, ut meditentur assidue quomodo fieri jubet sanctus ille legislator. Deinde praeceptum de Deo diligendo primum ac maximum a divina sapientia appellatur ab eoque pendere dicitur legem et prophetas. Paulus anathema in eos intorquet qui Christum Deum non amant. Quis ergo dixerit non esse praeceptum hoc speciale et a reliquis distinctum praeceptum ita ut qui illud omiserit, minime peccet?

Prob. 2. magni Augustini suffragio qui l. 10. de C. D. cap. 3. apertissime docet nullam esse religionem nostram nullumque erga Deum cultum nisi rigorosa duo illa praecepta dilectionis Dei et proximi adimpleamus; sic enim ait: *Hunc ergo (unum Deum deorum) religentes*,

unde et religio perhibetur, ad eum dilectione tendimus, ut perveniendo quiescamus ... Bonum enim nostrum ... nullum est aliud quam illi cohaerere ... Hoc bonum diligere in toto corde, in tota anima, et in tota virtute praecipimur. Ad hoc bonum debemus, et a quibus diligimur duci, et quos diligimus ducere. Sic complentur duo illa praecepta, in quibus tota lex pendet et prophetae: Diliges Dominum Deum tuum etc. et diliges proximum tuum tamquam teipsum. Et post multa subdit: *Hic est Dei cultus, haec vera religio, haec recta pietas, haec tantum Deo debita servitus*. Et in psal. 77. brevius: *Hoc colitur quod diligitur*. Si ergo nequit sine Dei ac proximi dilectione religio consistere, qua fronte neoterici hi theologi audent asserere et ad animarum spargere perniciem, eam dilectionem merum esse consilium et non speciale praeceptum? Idem S. doctor in ep. 29. nunc 167. cap. 5. ad Hieron. *Ac per hoc*, inquit, *qui totam legem servaverit, si in uno offenderit, fit omnium reus, quia contra caritatem facit, unde tota lex pendet. Reus itaque fit omnium, facienda contra eam in qua pendent omnia*. Et infra: *Tanto itaque plenior iniquitatis, quanto inanior caritatis*. Plena sunt hac doctrina Augustini volumina. S. Bernardus cujus nomine adversarii abutuntur serm. 20. in Cant. *Disce*, inquit, *o christiane, a Christo quemadmodum diligas Christum. Disce amare dulciter, amare prudenter, amare fortiter*. Sane qui modum praescribit dilectionis nonne dilectionis agnoscit praeceptum? Et rursus: *Vide ne forte tria ista tibi in lege tradita fuerint, dicente Deo: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* etc. Hic S. doctor affirmat caritatem modumque a se praescriptum mandatum esse legis. S. Thomas 1. 2. q. 100. art. 3. ad 1. ait: *Ad primum dicendum quod illa duo praecepta, scilicet, diliges Dominum Deum tuum etc. et diliges proximum tuum etc. sunt prima et communia praecepta legis naturae, quae sunt per se nota rationi humanae, vel per naturam, vel per fidem; et ideo omnia praecepta decalogi ad illa duo referuntur, sicut conclusiones ad principia communia*. Quod si dicamus duo illa mandata consilium dumtaxat continere, jam singula decalogi mandata quae ex duobus illis proficiscuntur principiis atque ad illa sicuti conclusiones ad sua principia reducuntur non erunt vera mandata, sed mera consilia. Si namque principia mera consilia sunt, consilia quoque erunt quae ex illis principiis deducuntur, ut per se manifestum est.

Prob. 3. ratione quam urget noster Piette. Nemo est qui si paulisper ad rationis dictamen advertat non fateatur rigorosum sibi ac speciale praeceptum incumbere proprios diligendi parentes. Fatendum itaque est urgere nos speciale rigorosumque praeceptum diligendi Deum a quo et nos et parentes esse nostrum accepimus. Plures alias rationes vide apud S. Thomam.

COROLLARIUM

Non solum ergo praeceptum de Deo diligendo speciale est ac a reliquis praeceptis omnino distinctum, sed praeterea est praeceptum rigoris,

non clementiae, ut nonnulli effutiunt. Nam ita omnes ac singulos obligat ut sine illius observatione nemo ad aeternam valeat pervenire salutem; quod patet ex demonstratis et confirmatur ex eo quod supplicium interminetur iis qui illud praeceptum transgrediuntur.

CONCLUSIO II.

Caritas in Deum quae speciali illo mandato praecipitur, est caritas actualis, et quidem interior, non habitualis.

Prob. prima pars quod caritas esse debeat actualis ex ipsis mandati verbis quae iterum recitare juvat: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo etc.* 1. Verbum *diliges* significat caritate prosequi, amare. Quid est autem caritate prosequi vel amare nisi voluntate moveri in aliquod objectum? Motus autem voluntatis non habitus est, sed actus. 2. Verbum idem *diliges* actionem significat, non inertem habitum, ut per se patet, unde inculcatur caritas actualis. 3. Verbum *diliges* verbum est praeceptivum seu imperativum. Ast non dantur praecepta de habitibus, bene vero de actibus, ut S. Thomas docet et ipsa ratio. II. probatur auctoritate Augustini qui in lib. 3. de doctr. chr. cap. 10. scribit: *Non autem praecipit Scriptura nisi caritatem, nec culpat nisi cupiditatem: et eo modo informat mores hominum ... Caritatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, et se atque proximo propter Deum. Cupiditatem autem motum animi ad fruendum se et proximo et quolibet corpore non propter Deum.* Et 1. caritas quae per Augustinum praecipitur in Scripturis illa est per quam mores informantur hominum ut habitualiter boni fiant. Ast vero habitus dummodo non sint infusi non formantur nisi per repetitos actus. 2. Caritas de qua sacrae Scripturae loquuntur, juxta Augustinum est motus animi, sed motus animi est actio, non habitus. 3. Ita praecipit Scriptura caritatem sicuti vetat cupiditatem. Porro cupiditas quam Scriptura vetat est actualis, tum quia est per Augustinum animi motus, tum etiam quoniam alioquin vetaret nobis concupiscentiam quatenus mera est originalis peccati poena, sub quo respectu in potestate nostra non est.

Prob. pars altera quod caritas nempe praecepta sit interior. I. Scripturis, ex ipso scilicet praecepto caritatis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota fortitudine tua.* Hoc idem totidem fere verbis repetitur in N. Testamento. Est ergo caritas interius in corde, in anima, in mente, non in externo tantum officio. II. ex PP. allatum explicantibus praeceptum. Gregorius nyssenus per *cor* intelligit animam vegetabilem, per *animam* illam ejusdem animae partem quae dicitur sensitiva, per *mentem* animam intelligit intellectivam: quae interpretatio profecto insinuat praecepisse nobis Deum caritatem interiorem. Augustinus in lib. 1. de doctr. chr. cap. 22. *cor* refert ad cogitationes, *animam* ad vitam, *mentem* ad intellectum; ait enim: *Haec regula di-*

lectionis divinitus constituta : Diliges , inquit , proximum tuum sicut te-ipsum : Deum vero ex toto corde, ex tota anima, et ex tota mente , ut omnes cogitationes tuus, et omnem vitam, et omnem intellectum in illum conferas a quo habes ea ipsa quae confers . Alii sic interpretantur : ex *toto corde* idest intellectu , ex *tota anima* idest voluntate , ex *tota mente* idest memoria . Consonat his S. Thomas cujus pulcherrimum locum lege 2. 2. q. 44. art. 5. III. theologica ratione . Praeceptum de diligendo proximo non adimplet qui solos externos actus , non animi affectum eidem proximo impendit ; unde ab Innocentio XI. sequentes damnatae fuere propositiones : *Non tenemur proximum diligere actu interno et formali* . Et , *praecepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos* . Multo igitur minus per solos exteriores actus satisfit praecepto de diligendo Deo quem ex toto corde , ex tota anima , et ex tota mente diligere jubemur .

CONCLUSIO III.

Tenetur homo semper Deum diligere vel actu vel virtute ; et varia assignari possunt tempora quibus caritatis erga Deum praeceptum sub lethali peccato obligat .

Prob. prior thes. pars I. ex Scriptura . Eccl. cap. 13. v. 18. legitur : *Omni vita tua dilige Deum , et invoca illum in salute tua* . Lucae cap. 1. v. 75. *Serviamus illi in sanctitate et justitia coram ipso* (quod nequit sine caritate fieri) *omnibus diebus nostris* . II. ex Augustino qui in lib. 1. de doctr. chr. cap. 22. scribit : *Cum autem ait* (diliges) *toto corde , tota anima , tota mente , nullam vitae nostrae partem reliquit quae vacare debeat , et quasi locum dare ut alia re velit frui , sed quidquid aliud diligendum venerit in animum , illuc rapiatur quo totus dilectionis impetus currit* . Tract. 7. in ep. Joan. caritas dicitur ab illo , *res quae numquam debet de corde discedere* . Et tract. 8. subdit : *Numquid semper loqui ? numquid semper tacere ? numquid semper reficere corpus ? numquid semper jejunare ? numquid semper panem dare egenti ? numquid semper nudum vestire ? numquid semper etc. ? Inchoantur ista et cessant . Ille autem imperator* (amor Dei) *nec inchoatur nec cessare debet . Caritas intus non intermittatur : officia caritatis pro tempore exhibeantur* . III. ratione . Debet homo omni vitae suae tempore constituere sibi sub lethali Deum tamquam ultimum finem ita ut numquam ad creaturam velut ad finem simpliciter ultimum convertatur . Debet itaque toto vitae suae tempore Deum vel actu vel virtute diligere . Neque enim medium datur Deum inter et creaturam .

Prob. pars altera enumeratione . I. praeceptum caritatis obligat sub initium vitae moralis , hoc est quando quis uti ratione incipit . Ita S. Thomas 1. 2. q. 89. a. 6. ubi sic inquit : *Puer incipiens habere usum rationis a peccato omissionis praedictae* (non convertendo se ad Deum) *non liberatur , nisi quam cito potest se convertat ad Deum* .

Primum enim quod occurrit homini discretionem habenti est , quod de seipso cogitet , ad quem alia ordinet sicut ad finem . Finis enim est prior in intentione ; et ideo hoc est tempus pro quo obligatur ex Dei praecepto affirmativo quo Deus dicit : Convertimini ad me , et ego convertar ad vos . Nemo autem potest se ad Deum convertere nisi per actum dilectionis .

II. tenetur homo internum actum elicere amoris quando in articulo vel periculo versatur mortis ; tenetur quippe in tuto ponere propriam salutem , quod sine Dei amore super omnia fieri non potest ; praesertim cum communis hostis viribus tunc omnibus satagat a Dei nos avertere amore .

III. idem praeceptum obligat quoties homo violata per aliquod crimen baptismi professione ad Deum redire statuit ; quare hos alloquens Deus Joel. cap. 2. v. 12. *Convertimini ad me* , inquit , *in toto corde vestro , in jejunio , et in fletu , et in planctu* , hoc est ut explicat Bernardus serm. de jejun. *Convertatur amor ejus, ut nihil omnino diligat nisi ipsum aut certe propter ipsum .*

IV. probabilior illorum sententia est qui docent obligare sub lethali , idem praeceptum diebus omnibus festis ; alioquin dicendum foret satis esse homini externo dumtaxat ritu festa celebrare quod reprehenditur a Deo Isaiae cap. 1. *Ne offeratis ultra sacrificium frustra, incensum abominatio est mihi ... iniqui sunt coetus vestri* etc. In quem locum ita disserit Hieronymus : *Omnis conventus qui non offert hostias spirituales , nec audit illud quod in* 50. *psalmo canitur, sacrificium Deo spiritus contribulatus , cor contritum et humiliatum Deus non despicies , abominabilis est Deo , et idcirco jungit et dicit : Calendas vestras et solemnitates vestras odivit anima mea , ut non suas appellet festivitates , sed eorum qui male his abutuntur .* Sunt et alia tempora in quibus praeceptum caritatis erga Deum obligat per accidens , aliorum scilicet ratione praeceptorum quibus nequit absque caritate satisfieri . Vide Juvenin , Merbesium , Piette , Vanroy .

Contraria argumenta diluuntur .

Obj. 1. adv. 1. prop. Joan. cap. 14. praescribens Dominus caritatem erga Deum nil aliud inculcat quam praeceptorum observationem , ait quippe : *Si diligitis me , mandata mea servate . Qui habet mandata mea et servat ea , ille est qui diligit me .* Et iterum : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit .* Innuunt haec non esse caritatis praeceptum ab aliis distinctum . II. Matth. cap. 22. sic rursus Christus loquitur : *In his duobus mandatis universa lex pendet , et prophetae* , unde Dei ac proximi dilectio impleri per aliorum potest observationem praeceptorum . III. cumque legis mandata servari quoque possint solo timore , quis non videt observationis legis caussam non esse caritatem ?

Resp. ad 1. Christus Dominus observationem commendat et inculcat praeceptorum veluti effectum ac signum dilectionis Dei , non ut innuat eum qui praeceptorum servat substantiam dilectionis satisfacere praecepto . Nam

praeceperat jam Christus Dei amorem verbis illis, *diliges Dominum Deum tuum* etc. Significare autem volens quodnam esset illius dilectionis signum et testimonium, addit esse mandatorum observationem, quum otiosa caritas vera non sit caritas, juxta illud ejusdem Christi: *Non enim qui dicit, Domine Domine, hic salvus erit, sed qui fecerit* etc. et illud aliud magni Gregorii: *Probatio dilectionis exhibitio est operis*. Ceterum ex quo Christus dixerit, *si diligitis me* etc. jam intelligimus discipulos dilexisse magistrum. Vide Augustinum tract. 72. in Joan.

Ad 2. verba in argumento laudata significant neminem legis servare praecepta nisi in corde dominantem habeat Dei ac proximi dilectionem. Quare inquit Apostolus: *Plenitudo legis est dilectio*. Et S. P. Augustinus lib. 5. quaest. 54. in Deut. *Si forinsecus ea quae Deus jubet manibus fiant, et in corde* (per caritatem) *non fiant, nemo est tam insulsus qui praecepta arbitretur impleri*. Et serm. de disciplina chr. cap. 2. *Multa omnino*, inquit, *praecepta sunt, innumerabilia ... quae voluit tamen Deus ... consummare et breviare verbum super terram*, et paucis interjectis, *Quod est ergo verbum consummans et brevians? Diliges Dominum Deum tuum etc. et diliges proximum tuum etc. In his duobus praeceptis tota lex pendet et prophetae*. Ostendit postea quomodo etiam ista duo praecepta ad unum referantur, et concludit: *Ecce unum est. Certe duo praecepta sunt ... Videte quomodo plus breviatum est ... Ecce quae duo erant, unum factum est. Prorsus proximum dilige, et sufficit ... Quidquid est aliud mandatum, in hoc sermone recapitulatur, in hoc sermone impletur ... diliges proximum tuum* etc.

Ad 3. per timorem poenae lex observatur utique, sed dispositive quatenus nempe veluti pedagogus nos manuducit ad dilectionem; unde inquit Augustinus serm. centies citato nempe 161. de script. alias 18. de verb. apost. *Time tamen ut ista formido custodiat te, ut perducat ad dilectionem*. Relege quae in antecedentibus de timore dixi.

Obj. 2. S. Bernardus serm. 1. in Cant. *Est caritas*, inquit, *in actu, et in affectu: et de illa quidem quae operis est puto datam esse legem hominibus, mandatumque firmatum; nam in affectu quis ita habeat ut mandetur?* Ad satisfaciendum itaque praecepto caritatis necessarius non est amor internus, sed opus sufficit externum. II. praeceptum caritatis erga Deum fert dumtaxat ut nihil fiat quod Dei repugnet dilectioni. Nam S. Thomas 2. 2. q. 44. a. 6. scribit: *Sicut miles qui legitime pugnat, licet non vincat non inde culpatur, nec poenam meretur; ita etiam qui in via hoc caritatis praeceptum non implet, nihil contra divinam dilectionem agens non peccat mortaliter*. Hinc ad praeceptum illud implendum satis est non odisse Deum.

Resp. ad 1. S. Bernardus per caritatem in actu seu effectivam non intelligit merum opus externum, sed internam dilectionem quae caussa sit cur legis praecepta adimpleantur. Triplicis quippe generis affectionem eo in sermone S. doctor distinguit: affectionem carnis, affectionem in actu seu in effectu quam etiam rationis vocat, et affectionem in affectu quam

a sapientia conditam dicit. *Sed est affectio quam caro gignit*; *et est quam ratio regit*; *et est quam condit sapientia*. *Prima est quam Apostolus dicit legi Dei non esse subjectam, nec esse posse*. *Secunda quam prohibet e regione legi Dei consentientem, quoniam bona est*. *Longe vero tertia ab utraque, quae gustat et sapit quoniam suavis est Dominus, primam eliminans, secundam remunerans*. Itaque primus amor, juxta Bernardum, est amor mundanus, alter est amor castus qui reperitur in viatoribus, tertius est amor ille suavissimus quo dominantur in patria beati. Ubi ergo S. doctor affirmat caritatem in affectu non esse hac in vita praeceptam, de suavissima illa loquitur caritate qua beati in patria inebriantur. Quod verissimum est. Quis enim in hac mortali vita Deum diligere poterit ea caritate quae propria est beatorum? Fit aliquando ut etiam viatores suavissimam illam ex parte experiantur caritatem, sed ea deficiente dulcedine nihilominus caritatis praeceptum observant. Dicens autem Bernardus praeceptam in hac vita esse caritatem in actu seu in effectu, non loquitur de externa dumtaxat praeceptorum observatione. Absit. Sed loquitur de caritate quae externo operi internum conjungit affectum. Rem totam paucis exponit ibidem: *Prima* (affectio) *quidem dulcis, sed turpis*. *Secunda sicca, sed fortis*. *Ultima pinguis et suavis*. *Igitur per secundam* (quae est affectio in actu) *opera fiunt, et in ipsa caritas sedet, non illa affectualis quae sale sapientiae condita pinguescens magnam menti importat multitudinem dulcedinis Domini*; *sed quaedam potius actualis, quae etsi nondum dulci illo amore suaviter reficit, amore tamen amoris ipsius vehementer accendit*.

Ad 2. Apostolus inquit: *Si quis non amat D. N. J. C. anathema sit*, non inquit, *si quis odit*. Quare optime Augustinus lib. de corr. et gr. cap. 3. *Praecipit Apostolus dicens omnia vestra cum caritate fiant*. *Corripit dicens, jam quidem omnino delictum est in vobis etc. Praecipit ut habeatur caritas*: *corripit quia non habetur caritas*: *orat ut abundet caritas*, non ut desinat odium. Deinde si praeceptum illud quidquid contra caritatem est vetet, cur dici non poterit praeceptum adorandi Deum vetare dumtaxat ne quis idolum aut doemonem colat? Atque ita atheus etiam praecepto Deum adorandi satisfaceret; neque enim ille idolum aut doemonem in Dei locum quem non agnoscit colit. Ad S. Thomam quod attinet, clarum est loqui illum de caritate perfecta quae regnat in angelis, non de illa quae in viatoribus reperitur: unde hanc statuit conclusionem: *Quamquam in patria tantum perfectae dilectionis praeceptum impleatur*; *in via tamen imperfecte adimpleri potest, et magis vel minus secundum divinae bonitatis participationem*. Qua de re dum S. doctor affirmat non peccare mortaliter eum qui caritatis praeceptum non implet in via, *dummodo nihil contra dilectionem agat*, subintellige contra dilectionem perfectam, et per caritatem similiter caritatem perfectam, et nullam in eo invenies difficultatem. Ceterum velle in S. Thoma argumenta quaerere contra nostram sententiam idem est ac velle quaerere nodum in scirpo.

Obj. ultimo. Praecepta affirmativa, ut vulgare fert proloquium, non obligant *semper et ad semper*. Praeceptum diligendi Deum est affirmativum, unde non semper tenemur semper diligere Deum. II. et nullibi sane praecepit Deus actuum caritatis frequentiam.

Resp. ad 1. Praecepta affirmativa hoc sensu non obligant ad semper, quod dum actum aliquem praecipiunt non exigunt actus illius perpetuitatem, quia in hoc infirmitatis statu actuum perpetuitas non est possibilis. Hinc et nos affirmamus non teneri hominem vi praecepti, *diliges etc.* Deum semper actu diligere. Possunt autem affirmativa praecepta sub alio considerari respectu, et evadere etiam negativa, et tunc obligant semper et ad semper. Ita praeceptum illud, *diliges etc.* considerari potest secundum animi dispositionem ac virtutem, eoque in casu evadere potest praeceptum negativum hoc modo: *non relinques diligere vel actu vel virtute Dominum Deum tuum*; alioquin praecepti sensus esset: *diliges Dominum Deum tuum, sed non semper;* quod impium est, quoniam posset homo aliquando in corde suo locum dare cupiditati. *Regnat enim carnalis cupiditas, ubi non est Dei caritas,* ut habet Augustini proloquium.

Ad 2. Falsum est in primis nullibi praecipi actuum caritatis frequentiam; Deut. namque cap. 6. commendatur israëlitis ut Dei amorem retineant in corde, narrent filiis, in domo, in itinere, et in lecto meditentur. Et praecipitur in N. Testamento ubi dicitur esse debere caritatem erga Deum ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima. Deinde necesse non erat ut actuum caritatis frequentiam Deus speciali praecepto imperaret. Numquid necesse est ut pater filio dicat: volo ut me diligas toties in anno, in mense, in hebdomada.

CAPUT XVII.

De reliquis caritatis proprietatibus, scilicet quod debeat esse summa, universalis, perfecta.

Praeter necessitatem tres alias adscribunt theologi caritati proprietates, nimirum quod ex parte nostri debeat esse summa, universalis, perfecta. Et duplici quidem modo primitus caritas erga Deum dici potest summa, *extensive* videlicet, et *intensive*. Dicitur summa extensive quando per illam diligitur Deus super omnia, qui diligendi modus appellatur a theologis etiam amor appretiative. Est autem caritas summa intensive quando illius fervoris gradus correspondent aestimationi quam de Deo habemus.

Eadem caritas erga Deum tunc dicitur universalis quando nihil praeter Deum amatur: ut si aliquid aliud extra Deum amatur, illud idem non amatur nisi in ordine ad Deum; ac universalis appellatur quoniam nullam relinquit vitae nostrae partem quam in Deum tamquam ad ultimum finem non referat.

Denique caritas dicitur duplici modo perfecta quando nimirum homo per illam totaliter Deo unitur; quod fiet in patria quando Deus erit omnia

in omnibus. Tunc quippe non habebit amplius homo ignorantiam et concupiscentiam per quas retrahi a Dei dilectione possit, proindeque pollent beati perfectissima caritate. Caritas vero perfecta viatorum quae beatorum caritatis respectu dici potest imperfectà in eo consistit ut omnem hic in terra impendat homo conatum quo ad perfectam perveniat caritatem, nempe totaliter Deo uniatur.

Impurissimus vir Michaël de Molinos beguardorum, illuminatorum, aliorumque secutus impiorum errores diversam perfectae caritatis obtrudere studuit notionem. Putavit aut putare se simulavit tunc hominem ad perfectae caritatis sive *puri amoris* statum pervenire, quando animae suae potentias ita coram Deo annihilaverit ut totam voluntatem suam Deo committens nonnisi passive se in singulis actibus suis habeat. Quum homo, ajebat, ad talem pervenerit statum nihil omnino petere a Deo debet, non ultra in Deum sperare, non metuere poenas, neque virtutes earumque exercitium a Deo postulare, sed omnia et singula ad vitam et salutem suam pertinentia divinae committere voluntati. Inferebat hinc nullam habendam esse rationem tentationum, nullamque adhibendam industriam, etsi natura commoveatur, sinere ut commoveatur, et qualescumque in oratione occurrant cogitationes etiam impuras, etiam contra Deum ac sanctos et contra fidem et sacramenta orationem fidei non impedire. Imo peccatum non esse etiamsi daretur casus, ut violentiae ad carnales actus contingant eodem tempore ex parte duarum personarum maris scilicet et feminae, atque ex parte utriusque sequatur actus. Poterant ne turpiora rebus ad religionem spectantibus admisceri? Unde haec aliaque nefaria dogmata merito condemnavit Innocentius XI. Bulla quae incipit: *Caelestis Pastor*. Michaël Molinos tamen immanes hos errores palam ac publice retractavit et ejuravit, diuque postea vixit carceribus mancipatus.

Aliquem horum errorum partem renovavit quamvis ex principiis ac fine toto caelo diversis Franciscus de Fenelon episcopus cameracensis in libro cui titulus: *Explication des maximes des Saints sur la vie interieure*. Eo in opere incaute potius quam malitiose docuit caritatem perfectam seu puram viatorum consistere in sancta quadam indifferentia in qua homo aeternam non vult salutem, omnemque amittit spem, putans se esse a Deo reprobatum. Opus illud gravi notatum fuit censura a parisiensi, carnotensi ac meldensi episcopis qui postremus cl. nempe Bossuetus Fenelonii opus sequentibus refutavit voluminibus: *Summa doctrinae*: *Schola in tuto*: *Mystici in tuto*: *Instruction sur les etats d'oraison*. Delata demum causa ad Innocentium XII. R. P. hic an. 1699. diploma edidit quod incipit: *Cum alias ad apostolatus*, per quod viginti tres proscriptae fuerunt propositiones *quietismum redolentes*, cui praeclaro moderationis exemplo cameracensis antistes humillime se submisit. His breviter adnotatis modo sit

CONCLUSIO I.

Caritas quae necessaria est ad aeternam salutem esse debet summa extensive et intensive.

Prob. prima pars. Caritas extensive summa seu appretiative esse debet super omnia, etiam super seipsum, ut ex adnotatis patet. Ejusmodi autem esse debere caritatem erga Deum ex ipsius praecepti verbis colligitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente*, et Christi sententia apud Luc. cap. 14. *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus*. Quare S. P. Augustinus serm. 34. de script. alias 2. de divers. cap. 4. *Vide enim, si aliquid voluit dimittere in te, unde ames vel te, quo tibi dicit: diliges Dominum Deum tuum etc. Quid remanet de corde tuo, unde diligas teipsum? quid de anima tua? quid de mente tua? ex toto, inquit. Totum exigit te, qui fecit te.*

Prob. pars altera. Caritas intensive considerata exigit ut illius fervoris gradus aestimationi correspondeant quam de Deo habemus. Porro talis nostra caritas esse debet; magis quippe Deum quam cetera et nos ipsos diligere debemus. *Nam summum bonum, quod etiam optimum dicitur, non modo diligendum esse nemo ambigit, sed ita diligendum ut nihil amplius diligere debeamus; idque significatur et exprimitur quod dictum est, ex tota anima etc.* Ita Augustinus in lib. de morib. eccl. cap. 11.

CONCLUSIO II.

Nostra caritas erga Deum ita esse debet universalis ut nihil praeter Deum aut nisi in ordine ad Deum diligatur.

Prob. auctoritate Augustini qui lib. 1. de doctr. chr. cap. 22. ita ad rem nostram disserit: *Haec enim regula dilectionis divinitus constituta est. Diliges, inquit, proximum tuum sicut teipsum: Deum vero ex toto corde et ex tota anima et ex tota mente, ut omnes cogitationes tuas et omnem vitam et omnem intellectum in illum conferas, a quo habes ea ipsa quae confers. Cum autem ait, toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitae nostrae partem reliquit, quae vacare debeat, et quasi locum dare ut alia re velit frui, sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit. Quisquis ergo recte proximum diligit, hoc cum eo debet agere, ut etiam ipse toto corde, tota anima, tota mente diligat Deum. Sic enim eum diligens tamquam seipsum, totam dilectionem sui et illius refert in illam dilectionem Dei, quae nullum a se rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur.*

CONCLUSIO III.

Perfectio caritatis non consistit in illa indifferentia quam sibi finxit Michaël de Molinos .

Prob. ex absurdis quae ex molinosi systemate consequuntur . I. admissa caritatis perfectione in commentitia illa indifferentia , sequeretur in homine justo ac perfecto libertatem arbitrii omnino interire ; unde secunda illius damnata propositio habet : *Velle operari active est Deum offendere* . Dogma autem hoc proscriptum est in lutheranis et calvinistis . II. sequeretur justis ac perfectis hominibus superfluum esse christianarum virtutum exercitium ; atque hinc ajebat Molinos : *tales homines nec de inferno , nec de paradiso curam habere debere , nec desiderium propriae perfectionis nec virtutum , nec sanctitatis* . Quid autem ea doctrina magis iniquum ? Apostolus siquidem ad Philip. cap. 4. *Quaecumque* , inquit , *sunt vera , quaecumque pudica , quaecumque justa , quaecumque sancta , quaecumque amabilia , quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae , haec cogitate* . Et Petrus in 2. ep. cap. 1. *Quapropter, fratres, magis satagite , ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis, haec enim facientes, non peccabitis aliquando* . Integrum novum exscribendum foret Testamentum si omnia loca ubi justis ac perfectis hominibus virtutum exercitium commendatur referre vellem . III. sequeretur hominibus quo perfectiores sunt inutilem esse spem theologicam ; atque hoc revera docebat Molinos : *Opus est amittere virtutes* . Et, *Non debet homo habere desiderium propriae salutis* . Et, *Non debet anima cogitare nec de proemio nec de punitione nec de paradiso nec de inferno* . Verum nonne hoc est facere contra apertissima Scripturae testimonia ? Ait quippe Deus Gen. cap. 15. Abrahamo : *Ego ero merces tua magna nimis* . Et Christus Matth. cap. 5. *Gaudete, et exultate , quoniam merces vestra copiosa est in caelis* . Et in dominica orat. quotidie petimus , *adveniat regnum tuum* . IV. sequeretur perfectos homines non debere orationem recitare dominicam ; unde ajebat Molinos : *Qui divinae voluntati resignatus est , non convenit ut a Deo rem aliquam petat , quia petere est imperfectio* . Hoc porro affirmare impiissimum est . Nam Apostoli et Christi martyres qui dominicam quotidie recitabant orationem, numquid inter imperfectos numerandi sunt ? Imo imperfecta foret et maculata Christi sponsa Ecclesia quae suorum ore ministrorum dominicam recitat orationem . Quis autem haec ferat ? V. non deberet perfectus homo cogitare de Christo ejusque mysteriis , adhaerere namque debet contemplativus , inquit Molinos , soli divinae essentiae ; et de Christi passione ac morte cogitare imperfectorum est . Hoc vero principium directe opponitur Paulo in 1. ad Cor. cap. 16. dicenti anathema iis qui D. N. J. C. non amant . Quomodo autem poterit homo perfectus Christum amare si non licet illi vel de Christo cogitare ? VI. posita illa Molinos indifferentia , non deberet homo perfectus pravas a

mente sua expellere cogitationes, illicitos impedire corporis motus, et circa actus suos vigilare: idque revera impius ille affirmavit prop. 41. 42. et seq. Ast dicebat Petrus alloquens perfectos homines: *Fratres sobrii estote et vigilate*. Et Paulus de se ipso ajebat: *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo*. Et justi continuo inquiunt: *ne nos inducas in tentationem*. Ab aliis recensendis absurdis quae ex impio illo systemate consequuntur brevitati consulens abstineo, illud dumtaxat animadvertens nullam esse ex pessimo illo principio deductam propositionem quae haeretica non sit et turpissima ut illarum legenti cathalogum liquido patet.

CONCLUSIO IV.

Perfecta caritas non excludit quemcumque aeternae mercedis intuitum.

Prob. 1. Scripturis. Psal. 118. ait David: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem*. Apostolus in ep. ad Tit. cap. 2. inquit: *Apparuit gratia Dei salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie, et pie vivamus in hoc saeculo, expectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei*. In ep. ad Philip. cap. 1. idem scribebat: *Cupio dissolvi, et esse cum Christo*. Et cap. 1. ad Colos. repetit: *Audientes fidem vestram in Christo Jesu, et dilectionem quam habetis in sanctos omnes, propter spem quae reposita est vobis in caelis*. Joan. in 1. ep. cap. 4. *In hoc perfecta est*, inquit, *caritas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii*.

Prob. 2. S. P. Augustini auctoritate qui serm. 158. de script. alias 16. de verb. apost. cap. 7. inquit: *Probet se* (unusquisque) *in omnibus factis suis, bonis operibus suis, quae faciat cum caritate, non exspectans retributionem temporalem, sed promissum Dei, faciem Dei*. Et in psal. 134. *Et sub flagello ejus, in aerumna, in laboribus, in vulneribus, in egestate constituti* (sancti) *laudaverunt Deum: non eis displicuit nec torquens. Hoc est gratis amare, non quasi proposita acceptione mercedis; quia ipsa merces tua summa Deus ipse erit, quem gratis diligis: et sic amare debes, ut ipsum pro mercede desiderare non desinas, qui solus te satiet*. Et in psal. 72. *Factum est cor castum, gratis jam amatur Deus, non ab illo petitur aliud praemium. Qui aliud praemium petit a Deo, et propterea vult servire Deo; carius facit quod vult accipere, quam ipsum a quo vult accipere. Quid ergo, nullum praemium Dei? Nullum, praeter ipsum. Praemium Dei, ipse Deus est. Hoc amat, hoc diligit: Si aliud dilexerit, non erit castus amor. Recedis ab igne immortali, frigesces, corrumperis*. Gemina his habet in lib. 8. de Gen. ad litt. et alibi.

Prob. 3. rationibus. Objectum formale ac specificativum, ut inquiunt, caritatis est bonitas divina sive in Deo ipso considerata sive prout est nostra beatitudo, ut cap. 15. diximus. Ast formale ac specificum obje-

etum caritatis ad ejusdem pertinet caritatis essentiam, atque idcirco intuitus beatitudinis seu aeternae mercedis ad essentiam spectat perfectae caritatis. 2. Ii etiam theologi qui docent objectum formale caritatis esse Deum in se consideratum, affirmant Deum prout est beatitudo nostra spectari a caritate, atque unus una, alius alia ducitur ratione; ac proinde Dei possessio non est a perfecta caritate excludenda. 3. Deus diligentibus se vitam promisit aeternam tamquam dilectionis mercedem. Nemo autem dixerit promissiones divinas perfectionem destruere caritatis.

CONCLUSIO V.

Caritas ergo perfecta in Deum in eo consistit ut homines in terris pro virili conentur ad perfectam pervenire caritatem quae est in caelis.

Prob. 1. ex Scripturis. Psal. 83. de justis inquit David: *Ibunt de virtute in virtutem: et videbitur Deus deorum in Sion.* Petrus in ep. 2. cap. 3. *Crescite*, inquit, *in gratia, et cognitione D. N. salvatoris J. C.* Crescere autem in gratia idem est ac crescere in caritate.

Prob. 2. ex Augustino qui in psal. 145. ita scribit: *Magno desiderio rapimur, et amore ejus quem non videmus, desideramus. Inhaerebimus amplexis visi, si nondum visi fide detinemur.* Et in psal. 104. dixerat: *Ac per hoc qui diligitur, etiam praesens quaeritur, dum caritate perpetua ne fiat absens agitur.* Tract. autem 68. in Joan. *Creditus desideratur, ut desideratus habeatur: desiderium dilectionis praeparatio est mansionis.*

Prob. 3. ratione. Tenetur homo quandiu in vivis est omnem impendere conatum quo concupiscentiam superet, fraenetque rebelles passiones. Id autem non fit nisi per repetitos actus caritatis: quanto enim magis regnum cupiditatis destruitur, tanto caritatis augetur; ut docte more suo ait Augustinus lib. 3. de doctr. chr. cap. 10. Qui hoc facit imitari conatur perfectam beatorum caritatem. In hoc ergo conatu caritatis viatorum perfectio consistit.

Objectorum solutio.

Obj. 1. cont. 1. thes. Si verum sit caritatem esse debere summam intensive, justi piique homines dubiis ac scrupulis angi continuo debent. Quis enim scire poterit an ejus caritas aestimationi quam de Deo habet correspondeat?

Resp. pios ac justos homines quotidie cum Ecclesia repetere: *Da nobis fidei, spei, et caritatis augmentum, et ut mereamur assequi quod promittis, fac nos amare quod praecipis;* atque idcirco a dubiis ac scrupulis non agitantur.

Obj. 2. adv. 3. prop. Exodi cap. 33. de Moyse narratur dixisse Domino: *Aut dimitte eis* (israelitis) *hanc noxam, aut si non facis, dele*

me de libro tuo quem scripsisti. Paulus etiam in ep. ad Rom. cap. 9. scribit: *Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis*. Et Christus ipse in cruce pendens conquerebatur fuisse a Patre derelictum dicens: *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Qua de re justi perfectique homines ad eum pervenire possunt indifferentiae statum per caritatem perfectam, quam fuisse apparet ex dictis in Moyse, Paulo, ac Christo Domino, in quo statu propriae faciant salutis abnegationem, imo et in apparentem cum Christo incidant desperationem.

Resp. Jam a nobis alibi expositum fuit quo sensu Moyses, Paulus, et Christus laudata in argumento verba protulerint. Et quantum ad Moysem spectat, docet Hieronymus in ep. ad Algasiam cap. 9. locutum fuisse non de aeterna vita, sed de temporali, ita ut petierit a Deo de libro deleri praesentis vitae. Nec libri nomine sane intelligere poterat Moyses librum praedestinatorum quem optime noverat esse immutabilem. Idipsum tradit Hieronymus de Paulo loco mox commemorato: *Vult ergo Apostolus*, inquit, *perire in carne, ut alii salventur in spiritu; suum sanguinem fundere, ut multorum animae conserventur*. Putat quidem Chrysostomus loqui Paulum de omnimoda et corporis et animae perditione eo quod dicat, *optabam anathema esse a Christo*, sed non proinde adversariorum caussa juvatur. Nam eo in casu cum eodem Chrysostomo dicendum est ea protulisse Apostolum per hyperbolem et hypotetice, ex pio nimirum affectu ad caritatem ostendendam suam erga proprios fratres in carne, de quibus ibi loquitur. Quae expositio aptari quoque potest verbis a Moyse prolatis. Uterque enim sciebat immutabile esse praedestinationis decretum. Vide Augustinum q. 147. in Exodum. Quae Christus in cruce pendens protulit ferventissima erat oratio cum spe, fiduciaque conjuncta, et ob poenarum quas in carne patiebatur acerbitatem exclamavit, nullum suscipiens a divinitate levamen. Quod si quis dicere audeat Christum quando illa protulit desperasse, impiissime in Deum blasphemat. *Non enim involuntarie turbatus est, de quo scriptum est: Oblatus est quia ipse voluit: et nemo poterat ejus animam tollere*.

Obj. 3. cont. 4. prop. S. P. Augustinus in psal. 55. *Nos ergo Deum*, inquit, *amemus, fratres, pure et caste. Non est castum cor, si Deum ad mercedem colit*. En purus et castus amor erga Deum, intuitum excludens aeternae mercedis. II. nec refert quod merces quam in Deo diligendo intuentur justi sit ipse Deus, numquam enim talis amor perfectus erit quia numquam gratuitus erit. Proprium siquidem quaerit commodum propriamque utilitatem, quoniam vult sibi bene esse in aeternum. Atque ita caritas quae intuitum habet aeternae mercedis dici potius poterit amor concupiscentiae quam purus et castus, ut amor esset filii erga parentem qui eum diligeret propter haereditatem, quem amorem appellat Bernardus serm. 83. in Cant. amorem mercenarium et concupiscentiae. III. aut saltem perfectior erit caritas quae fertur in Deum bonum in se, nullo habito respectu ad Deum prout est beatitudo nostra.

Resp. ad 1. Bene habet Augustinus dicens non esse castam ac perfe-

etam caritatem quae Deum colit ad mercedem. Sed nomine mercedis intelligit S. pater quod est extra Deum. Nam e vestigio subjungit: *Quid ergo? Mercedem de Dei cultu non habebimus? Habebimus plane, sed ipsum Deum quem colimus. Ipse nobis merces erit.* Relege praeclara S. doctoris testimonia paullo supra relata.

Ad 2. Tunc homo Deum amat amore mercenario et concupiscentiae quando illum diligit propter aliquod extra Deum. Atque hoc est inter castum ac mercenarium amorem discrimen quod amor castus egreditur, ut ita dicam, ab homine et terminat ad Deum, ibique permanet. Amor vero concupiscentiae egreditur ab homine, tendit in Deum, et redit denuo et ad ipsum terminat hominem unde egressus fuerat. Igitur qui Deum amat intuitu aeternae mercedis actum elicit caritatis ab hominis corde egrediens, tendens in Deum ibique quiescens, quoniam sempiterna illa merces non est nisi Deus: *Ego sum merces tua magna nimis*: atque adeo qui Deum intuitu aeternae mercedis diligit, illum amore casto diligit, non concupiscentiae: quomodo diligeret parentem filius si eum propter haereditatem diligeret, quia haereditas quam filius expectare potest non est ipse pater, ut est haereditas justorum quae est ipse Deus quem diligunt; unde merito Bernardus talem filii erga parentem amorem appellat mercenarium. Neque fucum faciant adversarii dicendo quod qui diligit Deum pro ut est beatitudo nostra propriam quaerit utilitatem. Nam quid aliud haec utilitas est nisi Dei ipsius dilectio? Qui enim aeternam quaerit beatitudinem nil aliud quaerit quam magis diligere Deum eique adhaerere; unde Augustinus lib. 10. de civ. Dei cap. 3. *Bonum*, inquit, *nostrum ... nullum est aliud, quam illi cohaerere ... ut enim homo sese diligere nosset, constitutus est ei finis, quo referret omnia quae ageret, ut beatus esset. Non enim qui se diligit, aliud esse vult quam beatus. Hic autem finis est adhaerere Deo.*

Ad 3. Non est perfecta caritas erga Deum nisi ille qui diligit adhaerere velit Deo quem diligit; unionem quippe cum objecto quaerit amor. Quare falsum est perfectiorem esse caritatem quae nullum respectum habet ad Deum prout est beatitudo nostra. Optime S. P. Augustinus in lib. 1. de doctr. chr. cap. 22. *Tunc est quippe optimus homo, cum tota vita sua pergit in incommutabilem vitam, et toto affectu inhaeret illi.*

CAPUT XVIII.

An vi praecepti de diligendo Deo teneatur homo omnes et singulas actiones suas liberas referre in Deum ut finem ultimum.

Non opus est hic longas illas ac penitus abstractas instituere de fine disputationes in quibus philosophi ac theologi etiam praeclarissimi tempus terere solent. Plerique enim subtilissimas definitiones divisionesque tradunt quae tyronum onerant memoriam, et parvam demum habent utilitatem. Aliqua nos licet brevissime attigimus ubi de operibus infidelium

pertractavimus. Nunc illud dumtaxat addere sufficiat quod Deus O. M. ultimus finis est aut esse debet omnium creaturarum juxta illud Isaiae cap. 48. in primo Apocalypsis capite repetitum: *Ego sum alpha et omega, principium et finis, primus et novissimus*. Et ultimus quidem creaturarum finis est *quatenus universa propter se ipsum operatus est Deus*, ut Prov. auctor inquit cap. 16. Quod si creaturis in suipsius gloriam et honorem a Deo conditis homo aliquando utatur, adhibere illa debet tamquam media et instrumenta ad Deum sibi acquirendum, ut Apostolus ad Rom. cap. 8. v. 28. scribit: *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Hinc recte consequitur Deum qui finis ultimus est omnium creaturarum sicuti et principium, esse speciali quodam titulo ultimum finem creaturae rationalis, tum quia ceteris nobilior est creaturis, tum maxime quoniam inditum in animo habet a Deo vehemens desiderium illum consequendi, in quo solo requiem invenire potest, ut ait Augustinus lib. 1. Conf. cap. 1. *Quia fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te*. Nec alia sane in homine condendo fuit Dei voluntas quam ut in ipsum toto impetu voluntate sua ferretur. Hinc praeter naturalem illam quam ei indidit inclinationem ad Deum qui solus illius desiderium explere potest, idem Deus superaddidit illi speciale quoddam de illius dilectione praeceptum, quod et naturale propter mox allatas rationes, et positivum etiam dici potest quod in utraque lege mosaica nempe et evangelica sit renovatum. Hinc sua veluti sponte fluit teneri hominem totam vitam suam omnesque liberos actus in Deum tamquam in ultimum finem per amorem benevolum saltem virtualiter referre, peccaturus alioquin venialiter in qualibet actione quantacumque illa sit ex officio ac fine quoque proximo bona. Quae cum ita sint contrariam nihilominus sententiae huic opinionem theologi bene multi tuentur, ac in eorum partes trahere conantur S. Thomam. Quare argumentis pluribus primo sententiam nostram communiemus, tum breviter ostendemus non diverse a nobis sentire Doctorem angelicum. Sit ergo

CONCLUSIO I.

Quilibet homo omnes ac singulas actiones suas deliberatas referre tenetur in Deum ultimum finem.

Prob. 1. ex maximo legis tam V. quam N. Testamenti mandato: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua*. Ast quomodo diligi potest Deus ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente nisi ad illum tamquam ad ultimum finem actiones omnes deliberatae referantur? Repetam hic quod ex S. P. Augustino in lib. 1. de doctr. chr. cap. 22. superius allegavi: *Cum autem ait toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitae nostrae partem relinquit, quae vacare debeat; et quasi locum dare ut alia re velit frui, sed quid-*

quid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur quo totus dilectionis impetus currit.

Nec est quod adversae sententiae patroni reponant praeceptum illud decalogi esse praeceptum affirmativum quod non obligat *semper* et *ad semper*, quod proprium est praecepti negativi. Nam praecepta quoque affirmativa, ut in antecedentibus animadverti, obligant aliquando *pro semper*, si nempe vel perpetuam imponant obligationem vel implicite praeceptum contineant negativum. Ast vero duae illae conditiones habentur in primo decalogi praecepto; perpetuam videlicet imponit obligationem referendi saltem virtualiter proprias deliberatas actiones ad Deum quum diligendum jubeat Deum *ex toto corde*, *ex tota anima*, *ex tota mente*, et includat implicite praeceptum negativum vetans ne creaturis aliquo actu inhaereamus, illisque fruamur, alioquin ordo pervertetur dilectionis.

Prob. 2. ex Apostolo qui in 1. ad Cor. cap. 10. ita scribit: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Et in ep. ad Colos. cap. 3. *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine D. J. C. facite*. Et in laudata 1. ad Cor. cap. 16. iterum inquit: *Omnia vestra in caritate fiant*. Nimis haec clara sunt.

Falluntur autem adversarii dum ad vim eludendam argumenti quod inde expromi potest ajunt allata mox Apostoli testimonia merum importare consilium non praeceptum. Nam 1. in apostolicis sententiis verba *facite* et *fiant* occurrunt, quae praeceptum non consilium significant. 2. Ideo vult Apostolus ut omnia in Dei gloriam, in nomine Jesu, et in caritate fiant, quoniam ordo dilectionis postulat ut creaturis utamur, fruamur Deo. Hic autem ordo ad praeceptum non ad consilium pertinet. 3. Adversariorum illa responsio aperte repugnat sanctis Ecclesiae patribus. Nam S. Ambrosius serm. super verba Malach. inquit: *Qui est christianus semper debet Patri ac Domino suo laudes dicere, et in ejus gloriam omnia procurare, sicut ait B. Apostolus: Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. S. P. Augustinus lib. de corr. et grat. cap. 6. ait: *Praecipit Apostolus dicens, Omnia vestra cum caritate fiant*. S. Bernardus serm. 3. de divers. *Quidquid facimus*, inquit, *jubemur facere in gloriam Dei*.

Prob. 3. S. P. Augustini auctoritate qui praeter hactenus allata in lib. de fide et oper. cap. 7. sic inquit: *Quidquid enim homo veluti recte fecerit, nisi ad pietatem quae in Deum est, referatur, rectum dici non oportet*. Et lib. 2. de serm. Dom. in monte cap. 13. ad illa verba, *Si oculus tuus simplex fuerit* etc. docet locum hunc sic intelligendum esse, ut noverimus omnia opera nostra tunc munda esse et in Dei conspectu placere quando fiunt corde simplici, idest intentione caritatis, quia plenitudo legis est caritas. *Oculum ergo*, ait, *hic accipere debemus ipsam intentionem qua facimus quidquid facimus*. Quod lib. 4. cont. Julian. cap. 3. repetit dicens: *Hunc oculum agnosce intentionem qua facit quisque quod facit; et per hoc disce eum qui non facit opera bona inten-*

tione fidei bonae, *hoc est ejus quae per dilectionem operatur*, *totum quasi corpus* ... *tenebrosum esse*, *hoc est*, *plenum nigredine peccatorum*. Lib. 2. de peccat. mer. cap. 18. *Voluntas mirum si potest*, inquit, *in medio quodam ita consistere*, *ut nec bona nec mala sit*. *Aut enim justitiam diligimus et bona est*, *et si magis diligimus*, *magis bona*, *si minus*, *minus bona est*: *aut si omnino non diligimus*, *non bona est*. Propter eamdem rationem disputans cont. eumd. Julian. ibid. negat ullam voluntatem vel actionem esse steriliter bonam. Vel enim procedit ex Dei amore, et Deo accepta est, vel ex divino non procedit amore, et mala est. Nullibi apertius et ex professo magis hanc S. doctor summi momenti versat doctrinam quam laudato lib. 4. cont. Julian. cap. 3. ubi inter plurima docet, non officiis sed finibus discernendas a vitiis esse virtutes, et finem ad quem omnia virtutum referenda sunt officia, Deum esse. Docet deinde quidquid boni ab homine fit, et non propter hoc fit propter quod fieri debere vera sapientia praecipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine esse peccatum. Tradit demum per amorem creatoris bene quemque uti creaturis, sine amore hoc creatoris nullum bene uti creaturis. Quibus plane nihil ad rem nostram luculentius dici potest.

Sed non acquiescunt adversarii et ajunt Augustinum velle tantum, quod tunc peccetur quando officium bonum ad malum referatur finem; puta quando quis virtutem servire facit voluptati vel temperantiam ambitioni aut crudelitati ut Catilina, vel avaritiae justitiam etc. Ast ne ita S. doctor intelligatur multa obstant. Et 1. quidem ibi dicit gentiles qui virtutum exercuerunt officia hoc ipso peccasse quod homines sine fide non ad eum finem opera ista retulernnt ad quem referre debuerunt. Unde per Augustinum ex solo defectu boni operis relationis in Deum peccatur, et non tantum ob relationem boni operis ad finem malum. 2. Docet rursus omne quod non est ex fide (ea scilicet quae per dilectionem Dei excitat ad operandum) peccatum esse. Et a Juliano interrogatus an si gentilis nudum operuerit, quia non est ex fide peccatum sit, respondet: *Prorsus in quantum non est ex fide peccatum est*; *non quia per seipsum factum*, *quod est nudum operire*, *peccatum est*: *sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum*. Atque ita ex solo gloriationis in Domino defectu, hoc est relationis in Deum, peccatur etiam per quodlibet bonum opus. 3. S. Augustino ut non peccetur nequidem sufficit ut virtutes ad seipsas referantur, seu ut exerceantur quia honestae sunt, rationalemque decent creaturam. Ait quippe ibidem: *Proinde virtutes quae carnalibus delectationibus*, *vel quibusque commodis et emolumentis temporalibus serviunt*, *verae prorsus esse non possunt*. *Quae autem nulli rei servire volunt*, *nec ipsae verae sunt*. *Verae quippe virtutes Deo serviunt in hominibus*, *a quo donantur hominibus*: *Deo serviunt in angelis a quo donantur et angelis*. Et adhuc clarius lib. 19. de C. D. cap. 25. *Proinde virtutes quas sibi* (animus) *habere videtur*, *per quas imperat corpori et vitiis ad quodlibet adipiscendum vel tenendum*, *nisi ad Deum retulerit*, *etiam ipsa vitia sunt potius quam vir-*

tutes. Nam licet a quibusdam verae et honestae putentur esse virtutes, cum ad seipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur etiam tunc inflatae ac superbae sunt: et ideo non virtutes, sed vitia judicanda sunt.

Prob. 3. rationibus. I. omnis actio deliberata vel ex cupiditate fit vel ex caritate, imperfecta scilicet qua Deus amatur. *Regnat enim carnalis cupiditas, ubi non est Dei caritas*, inquit S. P. Augustinus enchir. cap. 117. vide etiam lib. 9. de Trin. cap. 7. et 8. Ast vero peccatur quoties aliquid fit ex cupiditate, ut addit S. pater loco mox laudato: *Tunc enim est cupiditas, cum propter se amatur creatura. Tunc non utentem adjuvat, sed corrumpit fruentem*. Est quippe concupiscentia amor creaturae. *Concupiscentia autem cum conceperit, parit peccatum*, Jacobi cap. 1. v. 15. *Concupiscentia non est ex Patre, sed ex mundo*, Joan. cap. 2. v. 16. II. lege aeterna prohibitum est quacumque frui creatura etiam seipso, solo namque Deo fruendum est; alioquin ordo naturae a Deo constitutus perverteretur. Porro quisquis aliquam actionem non propter Deum libere exercet, fruitur creatura ipsaque delectatur, adeoque contra aeternam a Deo constitutam legem agit. Argumentum est S. P. Augustini qui lib. 1. de doctr. chr. cap. 22. inquit: *Sed nec seipso quisquam frui debet, si liquido advertas quia nec seipsum debet propter seipsum diligere, sed propter illum quo fruendum est. Tunc est quippe optimus homo, cum tota vita sua pergit in incommutabilem vitam, et toto affectu inhaeret illi: si autem se propter se diligit, non se refert ad Deum, sed ad seipsum conversus non ad incommutabile aliquid convertitur. Et propterea jam cum defectu aliquo se fruitur; quia melior est cum totus haeret atque constringitur incommutabili bono, quam cum inde vel ad seipsum relaxatur*. III. quando committitur in ipsum Deum injustitia nonne aliquod patratur peccatum? Committitur autem injustitia quoties libera aliqua actio referibilis ad Deum non refertur ut ad ultimum finem, quoniam tunc dona Dei suo subtrahuntur auctori. Hoc quoque argumentum sic breviter complexus est Augustinus lib. 4. cont. Julian. cap. 3. *Cum non ad suum referuntur auctorem dona Dei, hoc ipso mali his utentes efficiuntur injusti*. IV. Deo in omnes creaturas suas praesertim rationales perfectissimum competit dominium, et ex parte nostra perfectissima correspondere debet servitus atque subjectio. Verum perfectissimo huic dominio aliquid deest nisi omnes facultates nostrae tam perfecte legibus illius subdantur ut nullius alterius domini obsequantur imperio; atque idcirco nisi ad Deum actiones omnes nostrae referantur quantum ex nobis est, facimus ut Deus super nos perfecte non regnet. V. finis ultimus, juxta Augustinum lib. 19. de C. D. cap. 1. est id propter quod cetera appetenda sunt, ipse autem propter seipsum. Quis autem ignorat Deum ultimum esse hominis finem? Propter Deum ergo appetenda sunt cetera.

COROLLARIUM

Ex hactenus dictis consequitur praeceptum referendi omnia ac singu-

la opera in Deum juris esse naturae omnes etiam infideles obligans. Imponitur enim a lege aeterna, ab ordine rerum ex ejusdem legis aeternae praescripto servando, a recta ratione, a justitia, a supremo Dei dominio, ab ultimi finis dignitate.

CONCLUSIO II.

Statutae superius doctrinae apertissime favet Doctor angelicus.

Hanc ponendam esse censui propositionem quoniam nostris hisce temporibus plerique theologi qui de B. Thomae nomine gloriantur veterum theologorum castris relictis ad adversarios nostros defecerunt. Prob. itaque I. ea Scripturae loca quae superiori thesi a nobis allata sunt eodem prorsus modo a S. Thoma explicantur. Nam 1. 2. q. 100. a. 1. exponens illud praeceptum, *Diliges Dominum Deum tuum etc.* docet, *sub praecepto caritatis quo praecipitur ut diligatur Deus ex toto corde, contineri ut omnia referantur in Deum; et ideo praeceptum caritatis hominem implere non posse nisi omnia referantur in Deum*. II. comm. in ep. ad Cor. ad verba, *Sive ergo manducatis, sive bibitis etc.* inquit: *Quidam dicunt, quod hoc est consilium; sed non est verum; ex praecepto enim omnia faciendi cum invocatione creatoris, ea intentione ut laudetur et glorificetur Deus*. III. ibidem explicans illud ad Colos. *Omne quod facitis etc.* eadem mox allata verba repetit.

Prob. 2. Q. disputata de caritate a. 11. ad 2. haec habet: *Dicendum quod omnia actu referre in Deum, non est possibile in hac vita, sicut non est possibile, quod semper de Deo cogitetur. Sed quod omnia referantur in Deum, hoc pertinet ad perfectionem caritatis ad quam omnes tenentur. Ad cujus evidentiam considerandum est, quod sicut in causis efficientibus virtus primae causae manet in omnibus causis sequentibus; ita etiam intentio principalis finis virtute manet in omnibus finibus secundariis. Unde quicumque intendit aliquem finem secundarium, virtute intendit finem principalem, sicut medicus dum colligit herbas, actu intendit conficere potionem, nihil fortasse de sanitate cogitans; virtualiter tamen intendit sanitatem propter quam potionem dat*. Sic igitur *cum aliquis se ordinat ad Deum, sicut in finem, in omnibus quae propter ipsum facit, manet virtute intentio ultimi finis qui Deus est; unde in omnibus mereri potest si caritatem habet. Hoc igitur modo Apostolus praecipit quod omnia in Dei gloriam referantur*. Rursus 1. 2. q. 10. 2. a. 6. ad 7. ait: *Quod caelestis intentio omnibus operibus nostris debeat adjungi*.

Prob. 3. Ille nostram tuetur sententiam qui docet non dari deliberatum actum indifferentem in individuo. Hoc vero docuit S. Thomas in 1. sent. d. 1. a. 20. q. 3. ad 3. dicens: *Dicendum est secundum theologum, nullus actus procedens a voluntate deliberata est indifferens, quia si refertur in Deum, supposita gratia meritorius est; si autem non est referibilis, peccatum est; si autem est referibilis et non referatur, vanus est; otiosa autem inter peccata apud theologum computantur*.

COROLLARIUM

Semel ac certa sit uti certissimam putamus nostram de omnibus deliberatis actionibus ad Deum ultimum finem referendis sententiam, sua sponte sequitur non dari humanas actiones liberas indifferentes *in individuo*. Dari enim actiones humanas indifferentes *in specie* nullus theologus negat. Nam quum actus indifferentes in specie illi sint qui considerantur secundum objectum ad quod ex se tendunt, cumque dentur objecta quaedam quae ex intrinsecis suis nec bonitatem habent neque malitiam, ut ambulare, levare festucam, sputis rheumata jacere etc. fit consequens dari utique humanos actus indifferentes in specie. Non idem tamen dicendum de actibus humanis in individuo; illos quippe non esse indifferentes patet, ut ajebam, ex hactenus disputatis. Si enim rationalis creatura ex legis praescripto omnes ac singulas actiones suas deliberatas referre tenetur saltem virtualiter ad Deum ultimum finem, in individuo ergo omnis actio vel bona est si referatur ad Deum, vel mala si ad Deum non referatur ex defectu videlicet relationis. Humanus siquidem actus in individuo includit non solum objectum, sed finem etiam quem operans sibi proponit. Hoc aperte insinuant multa ex Augustino a nobis allata testimonia et illud praesertim ex lib. 2. de peccat. mer. cap. 18. excerptum: *Voluntas mirum si potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona nec mala sit. Aut enim justitiam diligimus, et bona est ... aut si omnino non diligimus, non bona est*. Huc etiam spectant S. Thomae verba ex 1. sent. d. 1. a. 3. paullo ante citata: *Secundum theologum nullus actus procedens a voluntate deliberata est indifferens* etc.

CAPUT XIX.

Solvuntur argumenta adversariorum.

Multa quae adversae sententiae patroni contra statutas superiori capite theses opponere solent a nobis jam soluta sunt lib. 28. cap. 14. ubi fuse explicavimus quo sensu ab apostolica sede damnatae sint illae propositiones, *Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia:* Et, *Necesse est infidelem in omni opere peccare;* quas adversarii nobis objiciunt. Imo ad pleniorem controversiae hujus intelligentiam consulant tyrones non solum commemoratum cap. 14. sed et praecedens 13. ubi plures traduntur notiones hanc nostram assertionem mirifice illustrantes ac confirmantes.

Obj. itaque 1. cont. thes. Apostolica sedes hanc num. 9. inter 31. damnavit propositionem: *Revera peccat qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem et disconvenientiam cum natura, sine ullo respectu ad Deum offensum*. Cum haec damnata sit, sequitur damnatam esse quoque sententiam asserentem peccare eum qui non facit omnia ac singula opera, alias ex objecto et fine proximo bona, cum respectu seu relatione ad Deum.

Resp. Non peccat aliquis quod odio habeat peccatum ob ejus turpitudinem vel disconvenientiam cum ratione, ut auctor damnatae propositionis affirmabat, sed quod illud odio habeat gentiliter, hoc est quod odium illud non referat in Deum. Priori non posteriori sensu proscripta fuit illa propositio. Nec nisi contradicendi libido movet adversarios ad haec producenda argumenta. Nam tantum abest sententiam hanc nostram notatam aliquando fuisse ab apostolica sede ut quoties examini subjecta fuit toties cum honore absoluta redierit. Anno 1677. lovanienses doctores Vianaens, Lupus, atque Stejartius a theologica facultate ad apostolicam sedem deputati ut opera laxiorum casuistarum eidem denuntiarent, propriam etiam doctrinam pluribus comprehensam articulis obtulerunt examinandam. Fuit inter illos articulos hic num. 5. sub titulo de virtutibus theologicis: *Omne opus ut plene bonum sit, et ne venialiter quidem in eo delinquatur, debet ex tali caritate* (imperfecta) *procedere, et per ipsam referri in Deum*. Qui articulus post rigorosum examen immunis ab omni censura evasit quamvis ut adversariis satis fieret non semel sed bis fuerit ad examen revocatus. Vix Roma doctores lovanienses discesserant cum P. Borterus minorita hibernus fretus hispanici legati auctoritate inter articulos quos lovaniensium esse dicebat etiam hunc rursus obtulit ad censuram. Sed iterum a romana sede tamquam summe catholicus fuit approbatus. Impudenter ergo adversarii affirmant nostram hanc sententiam ab apostolica sede fuisse damnatam.

Obj. 2. cont. eamd. prop. Sancti Augustinus et Gregorius ad bonitatem actus conjugalis non requirunt ut fiat propter Deum, sed tantum ut fiat propter finem honestum, hoc est generandae prolis caussa. Ita enim scribit S. pater lib. de bono conjug. cap. 6. *Conjugalis concubitus generandi gratia non habet culpam*. Et M. Gregorius lib. 32. mor. cap. 20. *Tunc solum*, inquit, *conjuges in admixtione sunt absque culpa, quando non pro explenda libidine, sed pro suscipienda prole miscentur*. II. idem Augustinus saepe affirmat virtutes morales propter se solum esse petendas. Tradit id lib. 83. QQ. q. 31. et lib. de lib. arb. 11. cap. 19. dicens: *Virtutibus nemo male utitur*; unde non videntur propter Deum appetendae.

Resp. ad 1. Laudati in argumento patres affirmant bonum esse et absque culpa conjugalem actum in specie, sed non in individuo. Opponunt enim conjugalem actum generandae prolis caussa conjugali actui ad explendam libidinem exercito, et ajunt conjugalem actum ad explendam libidinem per se culpa non vacare, uti culpa vacat actus conjugalis ad generandam prolem. Et quod Augustinus velit etiam conjugalem actum referibilem, hoc est generandi caussa (nam actus ille ad libidinem referibilis non est) referatur in Deum tamquam in ultimum finem sicuti et cetera referibilia opera, post tot allata testimonia dubitare quis poterit? Neque enim quoties actum aliquem bonum memorat S. doctor, ubique addere debet, dummodo referatur ad Deum. Semel ac id centies data occasione docuit ac demonstravit, jam ubique subintelligitur. Eam autem men-

tem esse Gregorii vel ex allatis in argumento verbis apparet. Ait enim tunc esse conjugalem actum sine culpa, *quando non pro explenda libidine, sed pro suscipienda prole miscentur*.

Ad 2. Dicens Augustinus virtutes appetendas esse propter seipsas, loquitur de virtutibus christianis non philosophicis. Virtutes autem omnes christianae ex una surgunt radice caritatis, suntque una caritas, juxta Augustinum qui multis in locis ac praesertim in ep. 167. cap. 4. *Virtus*, inquit, *est caritas qua id quod diligendum est diligitur*. Et ep. 155. *In hac vita virtus non est, nisi diligere quod diligendum est. Id eligere, prudentia est; nullis inde averti molestiis, fortitudo est; nullis illecebris, temperantia est; nulla superbia, justitia est. Quid autem eligamus quod praecipue diligamus, nisi quo nihil melius invenimus? Hoc Deus est*. Quum ergo virtus per Augustinum sit ipsa caritas, caritas autem Deus sit, ut S. Joannes ait, quid mirum si affirmat christianas virtutes nonnisi per seipsas esse appetendas? Non ita tamen loquitur S. pater ubi sermonem de virtutibus instituit philosophicis quae naturali facultate acquiruntur. De illis enim inquit lib. 1. oper. imp. num. 38. *Fortitudinem gentilium mundana cupiditas, fortitudinem autem christianorum Dei caritas facit;* atque idipsum intellige de aliis virtutibus. Absit, inquam, ut hujus generis virtutes propter seipsas appetendas dixerit S. doctor qui cont. Julian. centies docet virtutes cum ad seipsas referuntur superbas esse et inflatas.

Obj. 3. adv. eamd. 1. thes. Potest quis absque peccato actiones suas deliberatas ad voluptatem tamquam ad ultimum finem referre, quum enim ad voluptatem inclinet natura (voluit quippe Deus naturae auctor ut voluptas actus quosdam, puta esum ac potum, comitetur,) licitum est propter voluptatem ita operari; ac propterea dari potest opus ad Deum non relatum quod peccatum non sit. II. praeterea si praeceptum latum nobis esset omnes actiones nostras deliberatas in Deum referendi, ejusmodi praeceptum nos obligaret sub mortali; dimanat siquidem a primo ac maximo legis mandato. Ast juxta nostram sententiam non obligat sub mortali; atque ita sibi sententia haec contradicit. III. a lethali culpa saltem excusari non poterit peccator qui in peccato vivens ad Deum non convertitur quoties actus suos deliberatos ad Deum referre praetermittit. Is enim agit ex cupiditate praedominante. Quod autem ex dominante profluit cupiditate est lethale peccatum quia non solum finis ultimus operis, sed et cordis tunc in creatura reponitur. IV. demum praeceptum omnes ac singulos actus ad Deum tamquam ad ultimum finem referendi est homini penitus impossibile. Quum enim natura corrupta sit et infirma quomodo poterit homo de Deo assidue cogitare?

Resp. ad 1. Nec ipsi gentiles philosophi, si Epicurum excipias, eo devenerunt ut affirmarent licitum esse ultimum reponere finem in voluptate, unde ajebat Seneca in lib. de vita beata cap. 10. *Tu voluptatem complecteris, ego compesco: tu voluptate frueris, ego utor. Non sit honestior*, subdit M. Augustinus lib. 4. cont. Julian. pelag. cap. 14. n. 72.

philosophia gentium quam nostra christiana. Ita scribit Augustinus, quoniam proloquium istud, *licitum est propter voluptatem operari*, in ore versabatur pelagianorum qui tenebant malam non esse concupiscentiam. Hinc Innocentius XI. hanc in scriptis laxiorum casuistarum damnavit propositionem: *Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, dummodo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui*. Ad id autem quod additur naturam ad voluptatem inclinare, dico ad illam inclinare naturam per peccatum corruptam, non naturam integram. Quod si voluit Deus ut voluptas actus quosdam comitaretur, nullibi tamen legitur voluisse ut in ea voluptate ultimus finis collocaretur. Imo praecepit ut voluptas subserviret homini, eoque medio ad Deum homo ipse elevaretur atque ad illum actiones suas voluptati admixtas ordinaret, ut fieri revera debet in esu et potu.

Ad 2. Non omnia praecepta quae ex primo ac maximo proficiscuntur mandato obligant sub lethali. Quando scilicet praeceptum illud imperat actus quosdam primarios, tunc quidem obligat sub mortali, non ita tamen obligat ad singulos actus quos praescribit; quod proprium est etiam aliarum virtutum. Justitia v. g. obligat sub lethali ad centum nummorum restitutionem illi cui debeatur, non autem ad parvae monetae restitutionem. Ita de primo legis mandato loquendum est.

Ad 3. Ex praedominante cupiditate non raro procedit actus qui non est nisi peccatum veniale, ut si acediosus ex acediae habitu audire negligat verbum Dei, vel ebriosus ex habitu ebrietatis levem aliquem in potu committat excessum. Quod si actus quo circa creaturam plusquam Deum dilectum versatur sit dumtaxat venialiter vetitus, tunc etiamsi ultimum operis et cordis finem peccator in creatura constituat, nonnisi venialiter peccat.

Ad 4. Praeceptum de quo loquimur impossibile foret homini si omnes ac singulos actus suos referre teneretur ad Deum relatione actuali, non ita tamen si relatio esse debeat tantum virtualis, ut nostra tenet sententia.

Obj. 4. cont. 2. prop. S. Thomas multis in locis nostram videtur negasse sententiam. I. affirmat satis esse ad vitandum peccatum ut opus bonum sit ex officio, nec ad finem malum referatur; ait enim q. 2. 2. q. 10. a. 4. in corp. *Infideles bona opera ad quae sufficit bonum naturae aliqualiter operari possunt ... unde non oportet quod in omni opere suo peccent, sed quandocumque aliquod opus operantur ex infidelitate, tunc peccant*. II. ibid. q. 44. a. 1. ad 1. docet modum dilectionis seu caritatis non cadere sub aliis praeceptis quae de actibus dantur aliarum virtutum; unde potest quis per S. Thomam alias exercere virtutes absque relatione in Deum quae fit per caritatem. III. in 1. 2. q. 88. a. 10. tradit Apostoli praeceptum, *Omnia in gloriam Dei facite*, esse affirmativum, ac proinde non obligare pro semper, nec contra praeceptum hoc facere quicumque omne quod facit in Dei gloriam non refert. IV. denique ibid. affirmat ad laudati observationem praecepti sufficere quod aliquis ha-

bitualiter se et omnia sua ad Deum referat; quae omnia satis ostendunt in contrariam a nostra S. Thomam abiisse sententiam.

Resp. ad 1. Quando Doctor angelicus inquit ad vitandum peccatum satis esse ut opus bonum sit ex officio, nec in finem pravum referatur, loquitur de operibus infidelium, atque idcirco de operibus bonis moraliter. Et sane si infidelis actum eliciat ex officio ac fine proximo bonum, nec illum ad finem referat infidelitatis vel ad alium quempiam malum finem, plane id faciendo non peccat, sed a culpa non vacat bonum illud opus ad Deum non relatum.

Ad 2. Optime S. Thomas ait modum caritatis non praecipi illis ipsis praeceptis quae de actibus dantur aliarum virtutum. Nam modus ille speciali jubetur praecepto caritatis. Hanc autem illius mentem fuisse patet ex iis quae laudato in argumento loco habet: *Qui honorat patrem, si non habeat caritatem non efficitur transgressor hujus praecepti, quod est de actu caritatis*. Et adhuc clarius ad 2. *Si ergo qui honorat parentes tenetur ex caritate honorare, non est vi hujus praecepti, quod est, honora parentes, sed ex vi hujus praecepti, diliges Dominum Deum tuum*.

Ad 3. Juxta phrasim S. Thomae facere contra praeceptum et legem transgredi est peccare mortaliter. Cum igitur qui actiones suas ad Deum non refert non peccat nisi venialiter, recte inquit quod non semper aliquis contra caritatis facit praeceptum si omnia opera sua in Deum non referat ex quo praeceptum illud sit affirmativum non semper ad actum suum obligans sub mortali.

Ad 4. Eodem modo exponendus est S. Thomas, hoc est ad non peccandum lethaliter sufficit ut quis se ac omnia sua ad Deum referat habitualiter, ut praeditus nempe sit habitu caritatis. Non autem vult, sufficere id etiam ne quis venialiter delinquat. Quod liquet ex iis quae subdit illis quae sunt in argumento allata. Sic namque integer textus babet: *Sufficit ergo, quod aliquis habitualiter referat se et omnia sua in Deum, ad hoc quod non semper mortaliter peccet, cum alioquin actum non refert in Dei gloriam actualiter: veniale autem peccatum non excludit habitualem ordinationem actus humani in gloriam Dei, sed solum actualem, quia non excludit caritatem quae habitualiter ordinat in Deum*. Sunt qui ad allatum argumentum respondent S. Thomam vocem, habitualiter, sumere pro voce, virtualiter, quod ex 3. p. q. 64. a. 8. ad 3. probant, ubi inquit intentionem habitualem ministri ad Sacramenti sufficere valorem; quo in loco certe S. doctor intentionem habitualem sumit pro virtuali.

Obj. 5. adv. postrem. coroll. in quo traditur non dari actus indifferentes in individuo. S. Hieronymus ep. 89. scribit: *Bonum est continentia, malum est luxuria. Inter utrumque indifferens ambulare, digerere alvi stercora, capitis naribus purgamenta projicere, sputis rehumata jacere. Hoc nec bonum nec malum est. Sive enim feceris sive non feceris, nec justitiam habebis nec injustitiam*. Dantur ergo aliqui in individuo indifferentes actus. II. in concilio Constantiensi damnata fuit

haec Joannis Hus propositio: *Divisio immediata humanorum operum est, quod sint virtuosa vel vitiosa*. Hoc idem vero fert nostra sententia. Si namque non dantur humani actus indifferentes in individuo, omnia hominum opera sunt vel virtnosa vel vitiosa.

Resp. ad 1. S. Hieronymum loqui de humanis actibus in specie, non in individuo. Nam allato in testimonio inquit: *Bona est continentia*, quod intelligi nequit nisi ratione officii. Nam si quis continens sit ratione avaritiae vel ob inanem gloriam, jam continentia peccatum est. Subinde addit indifferens esse ambulare, sputa jacere etc. Si fiant haec pravo aliquo fine, ut fieri possunt, numquid indifferentia erunt? Vides ergo loqui S. doctorem de actibus humanis in specie et non in individuo; unde nil mirum si eos appellat indifferentes.

Ad 2. Concilium Constantiense relatam in argumento proscripsit propositionem in sensu Joannis Hus qui affirmabat, *quod nulla sint opera indifferentia*; *sed haec sit divisio immediata humanorum operum quod sint vel virtuosa vel vitiosa. Quia si homo est vitiosus, et agit quidquam, tunc agit vitiose: et si est virtuosus, et agit quidquam, tunc agit virtuose*; *quia sicut peccatum inficit universaliter omnes actiones hominis vitiosi*, *sic virtus vivificat omnes actus virtuosos*. Quae sententia manifestam continet haeresim, quasi peccator actus elicere nequeat informes fidei spei et caritatis, et justus non possit peccare venialiter, quod impium est; quum justus non semper ex caritate, nec impius ex cupiditate semper operetur.

Obj. ultimo adv. idem coroll. I. non datur species sine individuis. Cumque actus humani sint indifferentes in specie, sequitur indifferentes esse etiam in individuo. II. datur omissio indifferens, puta non audire sacrum in die feriali. Quare datur actio indifferens in individuo. III. potest homo hic et nunc inculpate agere pro sanitate. Sanitas autem quum bono ac malo esse possit usui, est indifferens; atque ita actio humana datur indifferens in individuo.

Resp. ad 1. Actuum humanorum species reperitur in individuo, et considerari potest vel in se vel prout est in individuo. Si priori spectetur modo, species est indifferens ac proinde actiones humanae secundum speciem consideratae esse possunt indifferentes. Si vero iidem actus humani considerentur in individuo, tum vel bonitatem vel malitiam desumunt ex fine, adeoque ex quo aliqui actus humani indifferentes sint in specie, non sequitur eosdem actus esse debere indifferentes etiam in individuo.

Ad 2. Omissio sacri in die feriali est indifferens in specie sua quia nulli opponitur praecepto. Sed in individuo bona erit vel mala juxta finem quem homo omittens audire sacrum sibi proponit.

Ad 3. Qui ultimate propter sanitatem agit, procnldnbio peccat quoniam seipso fruitur. Nam etiam dum sanitatem nobis procuramus debemus illam in Deum ultimum finem referre.

CAPUT POSTREMUM.

De caritate debita proximo.

Diligendum esse proximum et quidem propter Deum satis abunde patet ex iis quae cap. 15. hujus libri diximus et ex variis S. P. Augustini testimoniis ibidem ac deinceps allatis, et in primis ex disertissimo Christi praecepto, *Diliges Dominum Deum tuum etc. et proximum tuum sicut te ipsum: in his duobus praeceptis universa lex pendet et prophetae*. Unde nemo est qui ambigat teneri nos ad proximi dilectionem. Sed quid praeceptum hoc caritatis postulat? Hoc in praesentiarum breviter expendendum aggredimur, unde sit

CONCLUSIO I.

Caritas erga proximum exigit ut diligatur ille affectu interno, variosque exigit externos actus.

Prob. 1. prop. pars. contra laxiores casuistas docentes satisfieri caritatis praecepto erga proximum solis externis officiis. 1. Matth. cap. 22. legitur: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*. Joan. in 1. ep. cap. 4. inquit: *Si sic Deus dilexit mundum, et nos debemus alterutrum diligere*. Petrus et ipse in sua 1. ep. cap. 1. ait: *Simplici ex corde invicem diligite attentius*. Ex quibus plane colligitur dilectionem erga proximum in solis non sistere externis officiis. Nam 1. diligere internum significat animi motum, juxta illud Augustini lib. 3. de doctr. chr. cap. 10. *Caritatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, et se et proximo propter Deum*. 2. Dilectio nostra erga proximum assimilari debet dilectioni Dei erga nos. Dei autem erga nos dilectio nonne fuit interna? 3. Dilectio ex corde profecto consistit non solum in actibus exterioribus, sed etiam in interiori affectu. Hinc Joannes cap. 3. ejusdem ep. merito addit: *Filioli mei non diligamus verbo atque lingua, sed opere et veritate*. II. ex auctoritate unius Augustini, in re enim tam manifesta multis non indigemus argumentis. Is ergo in ep. Joan. tract. 6. n. 10. inquit: *Interroga cor tuum: si est ibi dilectio fratris, securus esto*. III. ratione. Si dilectio erga proximum in solis consisteret externis officiis esset dilectio simulata, quidquid enim opere fit absque cordis affectu simulatio est. Omnis autem simulatio mala est. Hinc Innocentius XI. duas illas merito damnavit propositiones: *Non tenemur proximum diligere actu interno et formali*. Et, *Praecepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos*.

Prob. pars altera praecipuorum actuum externorum enumeratione. I. caritas erga proximum exigit ut pro virili conemur aeternae illius consulere saluti. Quum enim proximum diligere debeamus sicuti nos metipsos: nos autem omni studio laboramus ut aeternam consequamur salutem,

fit ut idipsum facere pro proximo nostro debeamus. Argumentum est S. P. Augustini qui in lib. de morib. eccl. cap. 26. ait: *Quod ergo agis tecum id agendum cum proximo est, hoc est, ut ipse etiam perfecto amore diligat Deum. Non enim eum diligis tamquam teipsum, si non ad id bonum ad quod ipse tendis, adducere satagis*. II. in concursu vitae nostrae corporalis et salutis aeternae proximorum vitam nostram corpoream aeternae illorum saluti postponere debemus, usque adeo ut parati simus vitam nostram mortis periculo exponere ut ab aeterna morte proximos nostros liberemus; unde Joan. in 1. ep. cap. 3. ait: *In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere*. Et S. P. Augustinus in lib. de mend. cap. 6. *Temporalem*, inquit, *plane vitam suam pro aeterna vita proximi non dubitabit christianus amittere: hoc enim praecepit exemplum ut pro nobis Dominus ipse moreretur*. III. in concursu magni boni temporalis proximi cum bono temporali nostro minoris longe momenti caritas in proximum exigit ut parvum illud nostrum amittamus bonum ad magnum proximi bonum salvandum. Hinc patet quam perniciosa sit illorum doctrina theologorum, si tamen nomen hoc venerandum merentur, qui docent licere homini ad propriam tuendam famam vel bonum aliquod fortunae proximum interficere. *Quomodo enim ... sunt isti peccato liberi qui pro iis rebus quas contemni oportet humana caede polluti sunt?* scribit Augustinus noster lib. 1. de lib. arb. cap. 5.

CONCLUSIO II.

Ex caritate erga proximum descendit correctio fraterna quae obligat omnes, sed strictius superiores.

Prob. prima pars. Ex caritate erga proximum descendit obligatio procurandae fratrum nostrorum aeternae salutis, diligere quippe tenemur proximos sicuti nosmetipsos. Porro unum ex mediis quibus aeternam procurare debemus fratrum nostrorum salutem est correctio fraterna. Per illam siquidem facimus ut proximi nostri a peccatis abstineant, et si in scelera prolapsi fuerint ab illis resurgant, et ita vitam adipiscantur aeternam. Hinc S. Thomas 2. 2. q. 33. a. 1. docet correctionem fraternam esse eleemosynam a caritate manantem qua quis secreta admonitione malum proximi quatenus illi noxium est studet removere.

Adverte tamen quod etsi fraterna correctio a praecepto descendat caritatis erga proximum, ut ex dictis apparet, extat tamen divinum fraternae correctionis praeceptum a praecepto caritatis erga proximum distinctum, quum Christus Matth. cap. 27. dicat: *Si peccaverit in te* (hoc est vel contra te vel coram te vel te sciente) *frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*; unde lethaliter peccat qui praeceptum illud negligit observare. *Quando aliquis probabiliter praesumit de aliquo delinquente quod posset eum a*

peccato retrahere , et tamen propter timorem vel cupiditatem praetermittit, inquit S. Thomas 2. 2. q. 32. a. 2.

Prob. pars altera. I. ex quo Christi domini verba illud exprimentia praeceptum sint indefinita, adeoque pro omnibus generaliter accipi debent. II. quoniam Eccli. cap. 17. habetur: *Mandavit* (Deus) *unicuique de proximo suo*; quod maxime urget ubi de correctione agitur fraterna quae validissimum medium est ad aeternam proximo salutem procurandam. III. quia inquit Apostolus in 1. ad Cor. cap. 12. *Si quid patiatur unum membrum, compatiantur omnia membra*.

Prob. tertia pars ex eodem Apostolo dicente: *Si quis suorum curam non habet, factus est infideli deterior*. Praecipua autem illorum cura in eo relucet quod per correctionem proprios dirigant subditos ad vitam aeternam. Idque praestare debent vel per fraternam vel per judicialem correctionem quae est actus justitiae per comminationem aut illationem poenae; unde S. P. Augustinus in lib. 1. de C. D. cap. 9. scribit: *Qua in re non utique parem, sed longe graviorem habent causam quibus per prophetam dicitur, Ille quidem in suo peccato morietur, sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram. Ad hoc enim speculatores, hoc est, populorum praepositi constituti sunt in ecclesiis, ut non parcant objurgando peccata*. Superiorum autem nomine intelliguntur maxime praelati, parentes, domini, mariti, parochi, confessarii. Verum multae adhibendae sunt in correctione cautiones de quibus vide S. Thomam 2. 2. q. 33. a. 7. et alibi.

CONCLUSIO III.

Ex caritate erga proximum oritur tamquam praeceptum jure divino impositum obligatio elargiendae eleemosynae in iis tantum qui absoluto potiuntur rerum dominio.

Prob. prima th. pars. Tenetur homo ex praecepto caritatis diligere proximum sicut seipsum, adeoque *non verbo et lingua*, ut ait Joannes, sed *opere et veritate*. Quare sicut homo omnem impendit curam ut seipsum a miseria subtrahat, ita omnem impendere tenetur curam ut a miseriis sublevet proximum suum, quod per eleemosynam quae est alienae sublevatio miseriae propter Deum fieri per se manifestum est.

Prob. altera pars, nimirum quod eleemosyna sit praeceptum jure divino impositum. I. scripturis. Apostolus in 1. ad Tim. cap. 6. *Divitibus*, inquit, *praecipe ... facile tribuere*. Joan. in ep. 1. cap. 13. ait: *Qui habuerit substantiam hujus mundi et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera misericordiae suae ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* Ipse Christus in extrema judicii die dicturus est reprobis, Matth. cap. 25. *Discedite a me maledicti in ignem aeternum ... esurivi enim et non dedistis mihi manducare etc.* III. ex SS. PP. Basilius contra divites avaros ait: *Quid miser judici respondebis? Parietes*

vestis, hominem non vestis? Equos phaleris ornas, fratrem tuum laceris amictum pannis aspernaris? Frumentum retinendo perdis, esurientes non respicis? S. Joan. Chrysostomus multis in locis sed hom. 7. praesertim in Luc. inquit: *Rapina est pauperibus non impertiri de suis facultatibus. Ac fortassis mirum vobis videbitur quod dico. Verum ne miremini, testimonium vobis ex divinis scripturis proferam.* Hic autem multa scripturarum affert testimonia. S. P. Augustinus in psal. 147. n. 12. scribit: *Cetera quae superflua jacent, aliorum sunt necessaria. Superflua divitum necessaria sunt pauperum. Res alienae possidentur cum superflua possidentur.*

Prob. pars tertia. Ex iis fieri debet eleemosyna quae propria sunt, alioquin furari liceret ad stipem pauperibus erogandam. Hinc inquit scriptura: *Honora Deum de tua substantia.*

COROLLARIUM

Ex dictis colligitur mancipia, famulos, filios familias ex iis bonis quorum dominium est penes dominos ac parentes non posse eleemosynas elargiri. Neque enim si id facerent, Dominum honorarent de propria substantia. Idipsum dicendum de uxoribus relate ad bona mariti in quae nullum ipsae habent dominium. Consentiente autem licet tacite marito potest uxor moderatas facere eleemosynas. Monasteria regularium si bonis abundent, erogare tenentur eleemosynas. Non ita tamen monachi particulares nisi superioris vel expressa vel tacita supposita licentia, quia ob votum paupertatis omni prorsus carent dominio tum in bona monasterii, tum in ea vel a parentibus vel a consanguineis illis provenientia.

CONCLUSIO IV.

Caritas erga proximum sese extendit etiam ad inimicos.

Prob. 1. scripturis. Matth. cap. 5. Christus ita loquitur: *Audistis quia dictum est antiquis: diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum? Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros; benefacite iis qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos.* Ac si diceret: male scribas interpretatos illud fuisse quod habetur Levit. cap. 19. *Diliges amicum tuum sicut teipsum*, de solis judaeis, sed intelligendum esse quoque de alienigenis et idololatris. Idipsum colligitur etiam ex oratione dominica qua Dominum deprecamur ut nobis dimittat debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.

Prob. 2. ratione, nam PP. theologorumque suffragia in medium afferre superfluum est, quum omnes uno ore affirment inimicorum dilectionem sub rigoroso cadere praecepto. Inimici ergo communem habent nobiscum humanam naturam, sunt a Christo nobiscum eodem pretio redempti, et ipsis uti et nobis caelestis est repromissa haereditas. Rationi itaque

consentaneum est ut illos diligamus. Ad haec unicuique a Christo dictum est: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Cumque inimici proximi nostri sint eos diligere tenemur. Quid ex parte nostri caritas inimicis debita exigat vide apud S. Thomam 12. q. 25. a. 8.

Brevis objectionum enodatio.

Obj. 1. cont. 1. thes. Praeceptum erga proximum hoc fine a Deo latum est ut scilicet bene sit eidem proximo. Solum autem externum opus ad finem illum obtinendum sufficit. II. internus affectus absque exteriori officio nihil proximo prodest; prodest vero opus externum. III. qui absque interiori affectu stipem pauperi elargitur, nonne eleemosynae satisfacit praecepto? Plane, quoniam ab obligatione elargiendae eleemosynae liberatur.

Resp. ad 1. Ad satisfaciendum alicui praecepto satis non est quocumque modo obtinere finem, alioquin impleret quis praeceptum jejunii carnem domando ciliciis etiamsi vetitis cibis vesceretur, quia finis jejunii est proprii corporis mortificatio. Deinde praecepti caritatis erga proximum finis non externus tantum, sed etiam internus actus est. Scilicet praecipiendo Dominus eam dilectionem, intendit non modo ut externo opere proximo auxilium praebeamus sed etiam ut diligamus illum interiori affectu; eique omne bonum ex corde desideremus. Quare si hoc desit, praeceptum non adimpletur.

Ad 2. Si quis impos sit ad praestandum proximo in suis calamitatibus auxilium, sufficit illi internus affectus desiderium juvandi ac animi dispositio. Hinc stare potest praecepti observatio solo interiori affectu absque externo auxilio. Sed e contra haberi non potest observatio praecepti externo opere ab interiori affectu sejuncto, falsum est autem internum affectum proximo non prodesse, quum interior illa caritas radix sit externorum effectuum.

Ad 3. Etsi liberetur homo a sublevandi pauperis obligatione elargiendo stipem absque interno affectu, non liberatur tamen ab obligatione satisfaciendi praecepto eleemosynae, quam jussit Deus erogandam ex animo et ex corde.

Obj. tandem cont. postr. prop. Non existebat in V. Testamento praeceptum de dilectione inimicorum. Nam Christus Matth. cap. 5. inquit: *Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum*. Quare neque extat illud praeceptum in N. Testamento.

Resp. Nullibi scriptum erat in lege, *Odio habebis inimicum*. Sed dictum illud scribarum erat et pharisaeorum qui legem violentis corruperant interpretamentis. E contra scriptum erat in lege, Levit. nempe cap. 19. *Diliges amicum tuum*. Porro amicorum nomine veniunt eo loci proximi, quum ita nomen illud accipiatur non solum a septuaginta interpretibus, verum etiam a Christo Lucae cap. 6. Sed de virtutibus theologicis satis multa diximus. Cetera prosequamur.

Finis libri XXX.



INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

LIBER XXXI.

DE ACTIBUS HUMANIS.

Brevis admodum erit haec de actibus humanis tractatio. Nam de voluntario, involuntario, et libero arbitrio deque modo quo voluntas ad agendum libere se determinat quae in hac materia difficiliora sunt intellectu fuse pro instituti nostri ratione disseruimus lib. 28. cap. 1. et sequentibus ad quem locum lectorem remittimus. Hic pertractabimus dumtaxat de caussis minuentibus aut tollentibus tum voluntarium tum liberum, de moralitate actuum humanorum, deque illorum regulis.

CAPUT I.

De caussis minuentibus augentibus aut tollentibus tum liberum tum voluntarium.



uinque excogitari possunt quae minuant vel augeant vel tollant liberum aut voluntarium, scilicet necessitas, coactio seu violentia, metus, ignorantia, et concupiscentia. An et quomodo necessitas et coactio liberum aut etiam voluntarium tollant explicavimus laudato proximo lib. 18. Quare agendum modo dumtaxat est de metu, ignorantia, et concupiscentia.

Duplex est metus, levis nimirum et gravis, qui metus etiam dici solet cadens in constantem virum. Prior ex levi proficiscitur caussa et nemo unus affirmat tollere vel minuere liberum aut voluntarium. Alter vero definitur: *Instantis vel futuri periculi caussa mortis trepidatio*. De hoc inquiri solet an tollat vel minuat voluntarium.

Ignorantia *est cognitionis carentia in subjecto capaci*. Hinc non est in brutis, nec proprie in infantibus et mentecaptis quoniam non sunt subjecta capacia scientiae. Alia est autem ignorantia *juris* et alia *facti*. Prior est quae circa jus aliquod versatur, quod jus aliud est *naturae* aliud *positivum*. Idemque vel est positivum *divinum* vel positivum *humanum*, *ecclesiasticum* videlicet vel *civile*; unde alia est ignorantia juris, vel naturalis vel positivi divini vel positivi humani. Posterior est ea qua factum aliquod particulare ignoratur, cujusmodi erat ignorantia Jacob qua nesciebat mulierem ad quam ingrediebatur esse Liam. Dividitur deinde ignorantia in invincibilem et vincibilem. Invincibilis est quae omnibus adhibitis mediis quae possunt ac debent adhiberi ad illam su-

perandam vinci ac superari non potest. Vincibilis autem e contra illa est quae adhibita diligentia vinci potest ac superari. Haec autem nempe vincibilis triplex est, *affectata* videlicet, *supina* seu crassa, et vincibilis *simpliciter*. Ignorantia affectata laborabat ille qui juxta psal. 35. *Noluit intelligere, ut bene ageret*, sed affectavit potius nescire ut tanto liberius transgredi legem posset. Supina laborat qui diligentiam nullam adhibuit ut disceret quae ratione sui muneris scire tenebatur, sed per culpabilem negligentiam addiscendi occasiones transire permisit, veluti si christianus sub parocho in instruendo assiduo educatus, ex negligentia catechismum frequentandi, fidei mysteria ignoret. Vincibili simpliciter laborat qui aliquam adhibuit diligentiam ut quae scire debebat addisceret, sed non quantam ad revera discendum erat necessaria. Dividitur denique ignorantia in *antecedentem* et *consequentem* respectu voluntatis. Nam ignorantia antecedens et consequens respectu operis reducitur ad unam ex illis de quibus mox dicebamus. Ignorantia itaque antecedens est illa cujus nullimode caussa est voluntas, sed ipsa potius caussa est cur fiat actus aliquis voluntatis. Ignorantia autem consequens illa est cujus est caussa voluntas. Ex his quisque percipere facile poterit an et quomodo ignorantia augeat minuat aut tollat voluntarium.

Quid sit concupiscentia, unde ortum habuerit, et an sit per se mala exposuimus harum institutionum t. 3. lib. 20. cap. 7. et 8. Nunc animadvertere dumtaxat juvat posse illam dividi in *antecedentem* et *consequentem* respectu voluntatis deliberatae. Antecedens est quae motum antevertit deliberatae voluntatis, eamque ad consensum et actum trahit et inclinat. Consequens vero est illa quam deliberata voluntas excitat imperando vel sensibus et intellectui ut sibi objecta proponant, vel membris ut exerceant opera quae concupiscentiam irritant, vel denique aliquid magna intensione volendo, hoc enim cum fit, motus partis superioris animae per naturalem sympathiam in inferiorem redundat. His hoc modo perpensis circa metum, ignorantiam, ac concupiscentiam nunc mentem aperiamus nostram. Sit

CONCLUSIO I.

Metus gravis non causat involuntarium, sed voluntarium dumtaxat minuit.

Prob. prima pars. Metus gravis causat potius voluntarium. Nam imminentis mali metus facit ut quis id velit aut operetur quod, mali seposito timore, non fuisset voliturus aut facturus; unde S. Bernardus sic Deum de homine peccatore quem convertere vult, loquentem inducit: *Quia diligit seipsum, terrebo eum suppliciis, ut faciam voluntarium*. Hinc qui naufragii metu merces projicit in mare, voluntarie illas ad tuendam vitam projicit.

Prob. altera pars. Metus gravis inclinationem minuit ac propensionem voluntatis. Quod namque fit ex gravi metu, fit vel repugnante vel

inefficaciter tantum volente homine qui timet; ut ex allato mox exemplo patet. Nam mercator illibenter admodum merces ingruente tempestate in mare projicit ut propriae vitae consulat. Fatendum tamen est non ex metu id provenire, sed ex amore potius illius boni ad quod deserendum metus compellit, sicut in allato exemplo cunctatio voluntatis ad projiciendas merces non ex metu naufragii, sed ex amore erga merces proficiscitur. Unde haec statui potest regula: Quo major est amor erga bonum ad quod deserendum metus cogit, eo etiam minus sit voluntarium quod fit ex metu.

Ajunt quidem sancti Patres hominem qui solo metu mandata servat, ea non servare; quae doctrina supponere videtur gravem metum tollere omnino voluntarium. Ast si bene Patrum mens perpendatur sententiae huic nostrae minime derogant. Nam ubi docent eum qui ex metu praecepta observat revera non observare, non de praeceptis secundum substantiam, sed de praeceptis secundum modum loquuntur. Et revera quum legis mandata ex caritatis motivo, ut in superioribus diximus, debeant adimpleri, qui illa adimplet ex metu etiam gravi, non adimplet, scilicet ut oportet.

CONCLUSIO II.

Ignorantia sive juris sive facti si sit antecedens voluntatem et invincibilis tollit omnino voluntarium liberum, et actuale peccatum.

Prob. Ignorantia invincibilis et antecedens voluntatem est illa cui voluntas nec directe nec indirecte caussam dedit, et in se et in caussa est involuntaria: quapropter tollit omnino voluntarium et liberum nec peccatum inducit nisi materiale. Hinc merito damnatae sunt illae propositiones: *Infidelitas negativa in iis quibus Christus non est praedicatus peccatum est*. Et, *tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato formali*.

CONCLUSIO III.

Ignorantia vincibilis affectata auget, supina et vincibilis simpliciter non tollunt, sed minuunt voluntarium.

Prob. prima pars. Ignorantia vincibilis affectata est directe voluntaria, est quippe in se volita et pravo quidem fine. Quod autem est directe voluntarium et in se volitum quis inficiabitur augere voluntarium et liberum?

Prob. pars altera. Ignorantia supina seu crassa et vincibilis simpliciter quamvis indirecte est tamen voluntaria. Ast quod voluntarium est indirecte seu in caussa minuit quidem, sed non tollit voluntarium et liberum, ut per se manifestum est.

CONCLUSIO IV.

Concupiscentia consequens per se non causat nec auget vel minuit voluntarium aut liberum, sed est signum voluntatis vehementer accensae: per accidens tamen auget voluntarium et liberum.

Prob. prior thes. pars. Concupiscentia consequens, ut ex tradita superius definitione patet, non est caussa sed effectus voluntatis deliberatae; ubi ergo invenitur, signum habetur voluntatis vehementer accensae.

Prob. pars altera. Concupiscentia consequens idem est ac concupiscentia jam provocata. Haec autem voluntatis impetum facere solet vehementiorem. Ita impudici senes frigescentem in carne sua libidinem sponte excitant suum vel foemineum corpus turpiter attrectando, quia sic irritata vehementiorem ipsorum impudica voluntas concipit ardorem, sicque in ipsis voluntarium augetur per accidens.

CONCLUSIO V.

Quod fit ex concupiscentia antecedente plerumque est perfecte voluntarium.

Prob. Concupiscentia nil aliud est quam inclinatio humanae voluntatis ad fruendum creaturis. Voluntarium autem est id quod a voluntate procedit praevia finis cognitione. Quanto itaque ardentiorem quis habet concupiscentiam ardentiores nimirum voluntatis impetus ad fruendum creaturis, tanto etiam id quod praevia cognitione finis ex illis facit est magis voluntarium. Deinde tantum abest ut concupiscentia finis ac proportionis mediorum impediat cognitionem, ut e contra cognitio illa per concupiscentiam augeatur; quanto enim vehementius objectum amatur tanto amor ille intellectum reddit perspicaciorem tum ad agnoscendam boni rationem sub qua amatur (facit quippe illud apparere amabilius,) tum ad media invenienda per quae ad illius perveniatur fruitionem.

Dictum est autem in propositione: Quod fit ex concupiscentia antecedente esse perfecte voluntarium *plerumque*, quoniam concupiscentia saepe in corpore vel anima motus excitat omnem rationis usum praevenientes, qui proinde nullo modo sunt voluntarii eo sensu quo hic de voluntario loquimur.

CAPUT II.

De moralitate actuum humanorum.

Necesse non est ut multis explicemus in quo actuum humanorum moralitas consistat. Norunt enim omnes in eo sitam esse quod moraliter boni sint vel mali, idest laude vel vituperio, poena vel praemio digni. Quare inquirendum est dumtaxat unde actus humani habeant quod boni

sint vel mali, laude vel vituperio digni. Nonnulli affirmant habere id ex libertate, sed decipiuntur. Nam in uno plures saepe reperiuntur bonitates aut malitiae morales in quo tamen plures non sunt libertates. Deinde impar saepe est in duobus numero actibus aeqnali libertate a duobus exercitis bonitas vel malitia. Quapropter dicendum est actus humani moralitatem non a libertate, sed ex eo potius petendam esse quod conformis sit vel difformis rectae rationi, seu clarius quod jnxta aeternae legis praescriptum rationalem naturam deceat vel dedeceat. Atque hinc fit quod plures in uno actu bonitates aut malitiae reperiantur. Hinc quoque est quod unus idemque actus physicus licet pari exercitus libertate modo sit bonus, modo malus, modo magis, modo minus bonus aut malus moraliter, quoniam nimirum eo modo exercetur ut ex pluribus capitibus conformis sit aut difformis rectae rationi, vel quia eo modo ab homine exercetur qui naturam deceat aut dedeceat rationalem. Verum nihilominus est ad actus humani moralitatem necessario requiri etiam libertatem. Sed possunt utrique libertati nimirum ac rectae rationi propriae assignari partes, hoc est actus hominis debet libertati quod sit humanus, conformitati autem vel difformitati cum recta ratione quod sit moralis. Nam quod sit supernaturalis ac meritorius a gratia Christi repetitur.

Quoniam vero moralitas illa ex tribus repeti potest, ex eo nempe quod homo actu circa tale versetur *objectum* vel ex eo quod actum suum in his *circumstantiis* vel illis faciat, vel denique quod actum suum ad talem referat *finem*, idcirco recte dicimus actus humanos omnem suam bonitatem accipere vel malitiam a tribus, videlicet ab objecto circa quod occupantur, a circumstantiis quibus vestiuntur, et a fine ad quem referuntur. Et haec quidem ab omnibus theologis passim admittuntur. Sed multas subtiliter magis quam utiliter solent hac de re quaestiones instituere. Nos duas dumtaxat pro praxi necessarias examini subjiciemus postquam sententiam nostram paullo ante explicatam de principiis humanorum actuum moralitatis aliquot argumentis firmaverimus, nempe an ullus in individuo externus actus habeat aliquid bonitatis aut malitiae quod non ab actu interno acceperit, et an actus externus aliquam superaddat bonitatem vel malitiam actui interno. Sit ergo

CONCLUSIO I.

Specifica actuum humanorum moralitas sumitur ab objecto, *a* circumstantiis, *a* fine.

Prob. prima pars. Actus humani ab eo specificam sumunt bonitatem vel malitiam ratione cujus nonnullae virtutes nonnullaque vitia specie inter se differunt. Porro nonnullae virtutes et aliqua vitia specie inter se differunt ratione objecti circa quod versantur. Nam virtutes theologicae a virtutibus moralibus specificantur ratione diversi objecti circa quod illae et istae versantur. Similiter homicidium ac furtum specie inter se dif-

ferunt ratione diversi objecti. Intelligitur autem hoc de objecto quod natura sua bonum sit vel malum. Nam si objectum circa quod actus humanus versatur ex se indifferens sit, tunc actus humani bonitas vel nequitia repeti nequit ab objecto, sed est vel a circumstantiis vel a fine dimetienda.

Prob. altera pars. Circumstantiae loci, temporis, modi etc. subjacent regulis morum, quum ab eis vel praecipiantur vel prohibeantur vel permittantur. Quae autem regulis subjacent morum actibus humanis specificam conferunt moralitatem. Quod clarius expono. Si actus qui extra certam circumstantiam conformis vel difformis futurus erat rectae rationi, illa accedente desinit esse conformis vel difformis, aut ex conformi fit difformis et vicissim. Sic rei alienae usurpatio invito domino quae extra statum necessitatis erat rectae rationi difformis, circumstantia accedente extremae necessitatis desinit esse difformis. Et propriae uxoris cognitio quae est actus rectae rationi conformis, si in loco Deo dicato fiat evadit difformis. Item si actui ex objecto vel fine suam jam bonitatem vel nequitiam habenti accedat circumstantia cum qua actum illum deceat vel dedeceat naturam rationalem, actui qui cum ista fit circumstantia, nova accedit species moralis. Et si plures concurrant circumstantiae quarum singulae propriam habeant decentiam vel indecentiam ex speciali aliqua virtute vel lege, tunc unus idemque actus physicus tot habet morales species distinctas quot sunt in eo diversi generis conformitates vel difformitates cum recta ratione. Ex. gr. si quis mulieri admisceatur non suae actum committit ex objecto suo malum quia juxta rectam rationem sic versari non debebat cum muliere non sua. Verum si sit ipse Deo per votum castitatis dicatus, idem actus secundam accipit ex contrarietate quam per istam circumstantiam habet cum virtute religionis difformitatem. Si mulier cum qua delinquit sit conjugata, tertiam accipit difformitatem ex contrarietate quam cum lege, *non moechaberis*, habet. Si insuper sit ipsa consanguinea, accipit quartam contra honestatem. Si a viro vim passa sit, accipit quintam ex contumelia. Si in loco sacro, accipit sextam ab irreverentia. Si eo fine ut viro filium supponeret spurium, accipit septimam ab injustitia: adeo verum est a circumstantiis speciem repetendam esse moralitatis actuum humanorum. Animadverte tamen circumstantias universim loquendo alias esse quae speciem mutant actus, alias vero quae actum aggravant intra eamdem speciem.

Prob. 3. pars ex iis quae praecedenti libro fuse disputavimus. Nam actus moralis bonus est si propter bonum finem exerceatur, malus autem si exerceatur propter finem malum. Quod si actus ex objecto suo sit indifferens, sicuti a malo operantis fine inficitur, ita a recto fine accipit bonitatem. Imo si actus ex objecto bonus sit et malo fine fiat, redditur praecise ab eo fine malus, ut si quis eleemosynam pauperi tribuat ut videatur ab hominibus. Sed de his plura diximus loco citato. Quibus pauca haec adjicimus. 1. Si finis operi sit intrinsecus non addit actui specialem bonitatem aut malitiam ab ea distinctam quam accipit ab obje-

cto, quia finis intrinsecus operis non est aliud quam objectum formale. Si vero sit extrinsecus addit operi bono specialem bonitatem si bonus sit, et malo specialem malitiam si sit malus. 2. Si opus unius virtutis imperetur ab alia, puta opus justitiae a caritate, et ad illam tamquam ad finem referatur, duas tunc habet actus moralis bonitates, alteram ex objecto, alteram ex fine, sed non duplex meritum, quia caritas una est quae omnis est meriti mensura. 3. Opus ex objecto bonum difformitatem accipere potest cum recta ratione a fine, qui est aliquid non ex se malum vel etiam aliquid ex se bonum: ut si canonicus eo tantum fine chorum frequentet ut lucretur distributiones; opus certe quod facit bonum est ex objecto, et finis ad quem refertur non est aliquid mali, licitum quippe est distributiones lucrari. Et nihilominus chorum ad lucrandas mere distributiones frequentare malum est, quoniam est a recta ratione alienum ut id quod melius est ordinetur tamquam medium ad id quod est ignobilius velut ad finem.

CONCLUSIO II.

Nullus externus actus in individuo minimum habet a se ipso vel bonitatis vel malitiae moralis.

Prob. 1. Tota actuum humanorum moralitas desumitur a duobus, videlicet ab eorum libertate, et a conformitate vel difformitate cum recta ratione. Jam vero nullus individuus actus externus nisi adjunctum habeat actum internum a quo imperetur, habet vel libertatem vel conformitatem aut difformitatem cum recta ratione. Non habet libertatem quia procedit a potentia non libera, nulla quippe praeter voluntatem est formaliter libera. Non habet cum recta ratione conformitatem vel difformitatem, nam externus actus hominis qui a voluntate non fuit imperatus nihil differt ab actione bruti in qua nihil cum recta ratione conveniens aut pugnans esse potest.

Prob. 2. Actus humanus totam suam habet moralitatem vel ab objecto vel a circumstantiis vel a fine, ut paullo ante demonstratum est. Si vero externus actus separatus sit ab interno a nullo horum trium accipit moralitatem. Non a fine, quoniam actus externus nullum per se respicit finem nisi ad finem per voluntatis dirigatur intentionem. Non ab objecto, quia objectum actus externi est res aut persona circa quam actio versatur; nec inde externus actus accipere potest suam moralitatem, alioquin bonus esset quoties circa rem aut personam bonam versatur, et malus quoties circa malam; quod plane falsum est. Nam malo homini bene faciendo bene agimus, et bono detrahendo male. Non denique a circumstantiis, etenim illae nihil ad actus bonitatem vel malitiam contribuunt nisi quatenus sunt volitae. Quidquid ergo actus externi bonitatis habent aut malitiae totum a voluntate a qua imperantur accipiunt.

CONCLUSIO III.

Actus externus nullam per se actui interno bonitatem superaddit vel malitiam, sed tantum per accidens.

Prob. prima thes. pars. I. ex dictis. Si namque actui externo nihil omnino propriae bonitatis vel malitiae inest, manifestum est non posse actui interno bonitatem vel malitiam superaddere, quum dare nequeat quod non habet. II. ex Scripturis. Nam Paulus in 2. ad Cor. cap. 8. *Si voluntas*, inquit, *prompta est secundum id quod habet, accepta est non secundum id quod non habet*. Et Jac. cap. 1. 15. *Concupiscentia cum conceperit parit peccatum*. Et Christus ipse Matth. cap. 5. de homine intemperanter conspiciente mulierem ait quod *jam moechatus est eam in corde suo*. Et Luc. cap. 21. de paupercula muliere quae in gazophylacium non miserat nisi duo aera minuta dixit: *Vidua haec plusquam omnes misit*. III. ex PP. Chrysostomus loquens de sincera Abrahami voluntate immolandi filium suum, hom. 47. in Gen. scribit: *Quantum ad voluntatem attinet cruentaverat dexteram patriarcha, et per cervicem pueri immiserat gladium, perfectumque obtulerat sacrificium: et idcirco Dominus quasi sacrificio reipsa consummato laudat justum*. S. P. Augustinus lib. 1. de lib. arb. cap. 3. *Si cui*, inquit, *etiam non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo sit id eum cupere, et si potestas detur facturum esse, non minus reus est quam si in ipso facto deprehenderetur*. Et ante hos S. Cyprianus in ep. ad Lucium Papam scripserat: *In confessoribus Christi dilata martyria non meritum confessionis minuunt*. Denique S. Bernardus in ep. 77. ait: *Quid planius quam quod voluntas pro facto reputetur, ubi factum excludit necessitas?*

Prob. pars altera. Actus externi internos actus reddunt diuturniores, intensiores, eosque multiplicant. Nam ut executioni mandetur externus actus saepe diutino opus est tempore, et interim actus interni continuantur. Quare per accidens malitiam addunt vel bonitatem. II. in externi executione operis voluntas magis accenditur ac excitatur vel experimento delectationis quae est in opere externo, vel conatu occurrentes in opere difficultates superandi. II. experientia compertum est quod ut externi actus executioni mandentur multiplicantur ac reiterantur actus interni. Unde verum est quod proposuimus actum externum addere per accidens interno bonitatem vel malitiam.

Nonnullae difficultates enodantur.

Obj. 1. adv. 2. thes. Actus interni voluntatis suam desumunt moralem speciem ab objectis. Ast objecta haec sunt extrinseca seu actus sunt exteriores unde bonitatem sumunt vel malitiam ab actibus externis, ac proinde habent hi bonitatem vel malitiam. II. et revera si externo actui

nulla propria insita bonitas sit vel malitia, sed tota ei ab interiori actu proveniat, sequitur bonitatem aut nequitiam non esse ei intrinsecam sed dumtaxat extrinsecam; atque idcirco actus externi materialiter tantum ac extrinseca quadam denominatione bonos esse vel pravos. Hoc autem falsum penitus est. Nam actus externi mali vera peccata sunt, tum quia convenit ipsis definitio peccati quod sit dictum vel factum contra legem, tum quia vetantur sive divinis sive humanis legibus ab eis quibus interni actus concupiscendi prohibentur distinctis, tum denique quoniam actus externi severius internis puniuntur, imo interni nec puniuntur legibus humanis si opus ad extra non prodierit. Habent itaque actus externi malitiam.

Resp. ad 1. Falsum est omnium internorum actuum objecta esse actus externos. Dantur quippe plurimi actus interni qui pro objecto alios habent internos actus, veluti cum desidero amare Deum. Rursus dantur etiam qui nullum alium sive internum sive externum habent actum pro objecto, ut prima in bono complacentia et actualis Dei amor. Ceterum ubi actus interni habent pro objecto externos, nego illos ab his, prout separantur ab invicem, bonitatem vel malitiam desumere. Neque enim ideo velle furari peccatum est, quod ablatio rei alienae invito domino malum sit, sed ideo quod voluntaria rei alienae ablatio extra necessitatem sit actio rectae rationi contraria.

Ad 2. Actus externi ita ab internis informantur atque perficiuntur, sicuti corpus ab anima. Quemadmodum igitur corpus animatum non est materialiter dumtaxat et extrinseca denominatione vivens, sed formaliter ac denominatione intrinseca, sic et actus externi se habent quatenus ab interna procedunt voluntate.

Ad 3. Actus externi vera sunt peccata si a voluntate procedant a qua suam accipiunt malitiam; et tunc definitio eis congruit peccati, tunc prohibentur legibus, tunc puniuntur quando cum internis voluntatis actibus sunt conjuncti; actus vero externi cum interna voluntate conjuncti puniuntur severius non a Deo qui malas solum odit ac punit voluntates, sed ab hominibus qui nequeunt de internis judicare. Quod si severius quandoque puniuntur etiam a Deo, provenit id ex quo externus actus summam addit interno malitiam per accidens, sensu supra explicato.

Obj. ultimo adv. postr. prop. Concilium Neocaesariense praecipit ut gratiae Deo agantur quod subtracta sit clericis foeminas concupiscentibus occasio facinus exequendi. Superaddit ergo per se externus actus malitiam actui interno. II. S. P. Augustinus lib. 10. de Trin. cap. 5. *Mala voluntate vel sola*, inquit, *quisque miser efficitur: sed miserior potestate, qua desiderium malae voluntatis impletur*. III. sequens damnatus est in Petro Abaelardo art. 13. *Nos vero dicimus quod sola voluntas a Deo aeternaliter remuneratur, sive ad bonum sive ad malum; nec propter opera pejor vel melior efficitur homo, nisi forte dum operatur in aliquo, voluntas ejus augmentatur*. Hoc idem et nos affirmare videmur.

Resp. ad 1. Merito Neocaesariense concilium praecepit ut gratiae

Deo referrentur quod clericis fornicari volentibus occasiones fuerint subtractae. Nam externum opus voluntati internae conjunctum auget per accidens peccati malitiam, et si occasio actu peccandi submoveatur, libido paulatim frigescit ac voluntas mutatur. Ceterum idem concilium can. 4. declarat clericos reos esse fornicationis si proposuerint mulieres ad turpia sollicitare.

Ad 2. Eodem sensu loquitur etiam Augustinus. Nam quum actu externo interna cupiditas augeatur eo quo diximus modo, miserior est qui voluntatem adimplet eo qui solam habet voluntatem pecccandi.

Ad 3. Propositio in Petro Abaelardo proscripta non est illa in argumento relata sed sequens: *Propter opera nec melior nec pejor efficitur homo*. Quae propositio damnata merito fuit ob relationem quam ad propositionem 19. habet in qua affirmavit inutiles omnes esse actiones externas.

CAPUT III.

De regulis actuum humanorum.

Multae assignari solent a theologis actuum humanorum regulae, nempe lex aeterna, recta humana ratio, conscientia, lex naturalis, lex humana, ipsa divina voluntas. Sed has omnes regulas ad duas reducunt, videlicet ad *legem* et ad *conscientiam*. De conscientia postea dicemus, nunc aliqua advertamus oportet circa legem aeternam quae definitur a S. P. Augustino in lib. 22. cont. Faust. cap. 27. *Lex vero aeterna est, ratio divina vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.*

Dico itaque 1. legem aeternam veram esse ac infallibilem regulam bonitatis et malitiae omnium actuum humanorum, ita ut qui illi conformes sunt, boni, qui vero difformes, mali sint. Quod facillimae est demonstrationis. Nam nil aliud denique est lex aeterna quam judicium divinae mentis existimantis decere vel dedecere humanam naturam ut hanc vel illam actionem, hoc vel illo modo, in his vel illis circumstantiis, hoc vel illo fine exerceat. Porro omnis actio de qua divina mens judicat rationalem naturam decere bona est, magisque bona de qua magis illam decere judicat; et e contra mala est actio de qua mens divina dedecere judicat, magisque mala quam magis dedecere judicat naturam rationalem; ac proinde lex aeterna est optima ac infallibilis regula morum. Quod confirmat allata proxime Augustini definitio, et quod S. Thomas 1. 2. q. 93. a. 1. scribit. *Lex aeterna dicitur ratio divinae sapientiae, secundum quod est directiva omnium actuum et motionum creaturarum in ordine ad bonum commune totius universi.*

Nec valet quod nonnulli inquiunt legem aeternam ut praecipientem, regulam non esse bonitatis, quum dentur actus boni quos lex aeterna non praecipit, ut vovere castitatem, et actus facere qui dicuntur supererogatorii. Non valet, inquam, quoniam non modo praecipere et prohibere, sed

etiam dirigere munus est legis aeternae. Quamvis ergo actus supererogatorii conformes non sint aeternae legi praecipienti, conformes autem sunt eidem legi dirigenti. Praeterea omnes supererogatorii actus aliquo sensu subsunt aeternae legi praecipienti, non quod illos fieri jubeat, sed quod praecipiat modum quo fieri debent si sint faciendi.

Multo minus officit quod addunt, Jacob nimirum accedentem ad Liam fecisse contra legem aeternam quae judicat actionem accedendi ad puellam non suam illicitam esse. Et nihilominus Jacob id faciendo non peccavit. Non officit, inquam, quoniam divina mens judicat non dedecere actionem quae circa aliquod versatur objectum quod per inculpabilem errorem sumitur pro alio, circa quod sine dedecore et inordinatione versari potest. Ita accidit in allato casu. Jacob versatus est circa corpus Liae quod per inculpabilem errorem corpus credebat Rachelis uxoris suae, circa quod licite ac honeste agere potuisset quod egit circa corpus Liae.

Dico 2. Lex aeterna proprie loquendo est unica regula actuum humanorum, ceterae vero quae assignantur sunt ab hac regula sumptae, adeo ut ad illam omnes reducantur. Quod declaratur singulas breviter percurrendo regulas. I. recta ratio practica regula quidem est actuum humanorum. Id enim in humanis actibus bonum est quod recta hominis ratio naturam rationalem decere judicat, et illud malum quod judicat dedecere; sed ut hominis ratio recta sit et in judicio ferendo non erret, nonne cum divinae mentis judicio, hoc est cum lege aeterna concordare debet? Hinc recta ratio est regula actuum humanorum, et ipsa quidem lege aeterna notior, sed lex aeterna regula est rectae rationis. II. dictamen conscientiae aliquid licitum vel illicitum judicantis est utique regula actuum humanorum si tamen legi aeternae consentiat; quod si conscientia aliquid licitum vel etiam praeceptum esse dictat, quod juxta legem aeternam illicitum est ac vetitum, actus dictamini conscientiae concordans bonus non est, sed malus. III. etiam lex naturalis est actuum humanorum regula quaedam. Sed haec nihil aliud est quam quaedam legis aeternae in animam rationalem transcriptio, nec aliter haec ab illa differt nisi quia illa est in Deo, haec autem in anima, illa increata, haec creata, illa lux mentium, haec lucis illius participatio. IV. lex humana si justa sit est quoque actuum humanorum regula; verum lex humana justa non est nisi legi aeternae consentiat. Hinc S. P. Augustinus q. 67. in Ex. de lege aeterna inquit: *Quam consulunt omnes piae mentes, ut quod in ea invenerint, vel faciant, vel jubeant, vel vetent, secundum quod illa incommutabili veritate praeceperit*. V. denique regula actuum humanorum est Dei voluntas, sed quatenus cum lege aeterna praecipiente vel prohibente vel approbante certos humanos actus ut decentes vel dedecentes coincidit. Manifestum est ergo solam aeternam legem proprie loquendo, regulam esse actuum humanorum. Fatendum tamen est alias enumeratas actuum humanorum regulas respectu nostri esse ipsa aeterna lege notiores; unde optime a theologis recensentur et assignantur, et nos quoque de illis agemus. Sed quoniam de legibus pertractabimus seorsim

libro sequenti, ac de Dei voluntate disseruimus tomo harum instit. 2. nil aliud superest quam ut de conscientia prout est humanorum actuum regula hic paullo fusius disputemus.

Conscientia itaque recte definitur: *Actus quo intellectus judicat de bonitate aut malitia eorum quae hic et nunc agenda sunt*. Ex hac definitione patet duo ad conscientiam spectare judicia, quorum altero judicamus hoc vel illud bonum esse aut malum, licitum vel illicitum, altero decernimus hoc vel illud in his aut illis circumstantiis agendum esse vel omittendum. Hoc postremum si de agendis vel omittendis recte, aut pro legis ac circumstantiarum exigentia judicamus vocatur judicium prudens. Nam aliud est judicare quid sit bonum vel malum, licitum vel illicitum, aliud quid agendum sit vel omittendum: utrumque tamen ad conscientiam pertinet. Neque enim boni vel mali conscientiam habere dicimus ex eo solum quod judicemus aliquid esse licitum vel illicitum, nisi etiam judicium accedat quo judicamus nobis ipsis aliquid esse faciendum vel omittendum. Differt autem conscientia a synderesi, quod haec sit actus intellectus quo bonum esse faciendum, malum vitandum, leges justas esse observandas et alia aeque certa in genere judicamus, illa vero sit judicium quo ex praemissa synderesi et ex praevio judicio speculativo hoc vel illud esse bonum aut malum legi conforme aut difforme practice concludimus: *hoc vel illud est faciendum aut vitandum*.

Multiplex autem est conscientiae divisio, dividitur nempe in *conscientiam certam* et *dubiam* in *veram* et *erroneam* cujus species est etiam conscientia *perplexa*, in *scrupulosam* et *latam*, in *probabilem* et *non probabilem*. Conscientia certa est certum firmumque judicium de bonitate aut nequitia operis hic et nunc agendi. Ex. gr. judicium quo judicamus Deo hic et nunc exhibendum esse cultum, pauperi eleemosynam esse elargiendam. Conscientia dubia est suspensio judicii circa operis bonitatem aut malitiam hic et nunc faciendi. Judicium autem suspendi potest quod vel nullae pro operis bonitate vel nequitia rationes occurrant seu auctoritates, vel quod occurrant utrinque sive aequales sive inaequales. In priori casu est dubium negativum, in altero vero positivum. Utrumque esse potest vel dubium juris, ut dum quaeritur an aliquid licitum sit vel illicitum, vel dubium facti, puta si quaeratur an Petrus occiderit Paulum nec ne, vel dubium objecti, sicuti dum ambigitur utrum aliquid sit aurum vel aurichalcum.

Conscientia vera est judicium de bonitate aut malitia operis hic et nunc agendi legi conforme. Ex. gr. jubet lex ut in diebus quadragesimae jejunium observetur. Si illud idem hic et nunc judicet conscientia, dicitur conscientia vera. Erronea autem est judicium de bonitate aut nequitia operis hic et nunc faciendi legi difforme, ut si quis hic et nunc dum tentatio urget, orandum non esse judicaret, conscientiam haberet erroneam. Hujus species, ut diximus, est conscientia perplexa, estque conscientia erronea qua quis necessario sibi peccandum esse judicat in quamcumque se vertat partem, sive agat aliquid sive omittat, sive agat hoc vel illud.

Conscientia, inquam, haec perplexa est erronea, quia talis casus, quo quis revera peccare obligatur, quidquid tandem agat, non datur.

Conscientia scrupulosa est judicium de operis malitia levibus innixum rationibus, ut si sacerdos deglutiendo ante missae celebrationem salivam, judicaret se frangere jejunium. Lata vero seu laxa est judicium de operis bonitate ex levissimis argumentis cupiditati faventibus innixum, puta si dives levissimis innixus rationibus judicaret non esse pauperibus erogandam ex superfluis eleemosynam.

Conscientia probabilis est judicium de operis bonitate aut malitia gravibus quidem innixum rationibus seu auctoritatibus, sed cum formidine de opposito, ut si quis gravibus ductus rationibus sed non certissimis judicet contractum hic et nunc esse licitum vel illicitum. Non probabilis denique est judicium de bonitate vel improbitate operis agendi nullis seu levibus innixum rationibus, ut si quis nullis vel levibus fultus argumentis temerario judicet contractum esse licitum vel illicitum. His praemissis notionibus

Dico 1. Conscientia vera ac recta est bonitatis aut malitiae actuum humanorum regula. Nam boni sunt actus qui cum vera et recta conscientia concordant, mali vero qui discordant. Cujus ulterior ratio est quia ejusmodi conscientia est practicum intellectus judicium conforme legi ac veritati aeternae quae est infallibilis regula morum.

Nec refert quod conscientia recta supponat aliquando falsum quod numquam supponit veritas ac lex aeterna, ut dum judicavit Jacob se licite accedere ad Liam quam falso putabat Rachelem. Non refert, inquam, nam licet tali in casu speculativum intellectus judicium a veritate dissentiat, judicium tamen practicum quod est conscientiae dictamen cum judicio veritatis et legis aeternae concordat; quoniam et Deus licere homini conjugato judicat ea uti foemina quam in thoro invenit conjugali, nullam justam habens suspicandi caussam esse alienam. Cui judicio si judicium hominis concordat, utrumque verum ac rectum est. Non quod verum sit mulierem hanc v. g. esse Rachelem, quod judicium solius hominis est, non veritatis, sed quod verum sit et hominis et veritatis judicio licere homini justa objecti vel facti ignorantia laboranti ea foemina uti quam pro uxore sua in thalamo invenit conjugali.

Dico 2. Conscientia erronea non est regula morum in bonum, ut idcirco actus sint boni quia conscientia erronea dictat esse bonos. Est tamen regula morum in malum, ut nempe actus secundum legem facti sint mali quia conscientia erronea dictat esse malos. Prior assertionis pars patet ex eo quod quae contra legem naturae vel contra aliam legem vincibiliter ignoratam fiunt, semper mala sint, nec per hoc quod secundum conscientiam fiunt possunt excusari. Altera vero pars assertionis manifeste colligitur ex Apostolo ad Rom. cap. 14. dicente: *Omne quod non est ex fide, peccatum est*. Quod testimonium licet a S. P. Augustino aliisque intelligatur proprie de fide, nil vetat quin cum graecis multis patribus accipiatur etiam de conscientia, ita ut sensus sit, quod non est secundum

conscientiam peccatum est. Ratio autem manifestissima est, nam qui malum judicat quod bonum est legique conforme et tamen illud facit, habet objectum suae electionis malum, eligit enim malum facere quod in opere bono esse judicat, adeoque peccat.

Dico 3. Conscientia perplexa nec in bonum nec in malum est regula morum. Non in bonum, quia perplexus qui non sit scrupulosus utrobique peccat sive unum sive alterum faciat, quum utrobique agat contra conscientiam. Nec etiam in malum, quoniam regula morum secundum quam actus humani mali sunt, debet esse infallibilis. Non est hujusmodi autem conscientiae perplexae dictamen, quum saepe minus peccetur quam perplexus se peccare judicat.

Dico 4. Nec conscientia scrupulosa nec conscientia laxa esse possunt regulae morum. Utraque enim conscientia est judicium imprudens. Mores autem hominum nequeunt pro regula stultum ac imprudens judicium habere.

Dico 5. Conscientia dubia nequit esse regula morum, nam regula morum determinare ac efficere debet assensum quo judicetur actum hic et nunc exercendum esse legi conformem vel difformem. Quod plane non facit conscientia dubia, quum sit suspensio judicii de bonitate aut malitia operis exercendi.

Dico 6. Neque conscientia probabilis est regula morum si per illam judicium intelligatur opinativum quod aliquid liceat cum formidine de opposito. Nam eo in casu peccatur contra legem et contra conscientiam. Contra legem, quia in supposito qui talem habet conscientiam legem transgreditur, Contra conscientiam, quoniam omnes conveniunt quod ut quis contra illam non peccet, certo intrepidoque judicio firmiter debeat judicare actionem quam facit sibi licitam esse. An vero conscientia probabilis pro intrepido sumpta judicio quo quis judicat sententiam aliquam esse probabilem, et alio judicio quo persuasum firmiter habet licitum esse illud facere quod firmo judicio judicat esse probabile, an, inquam, hoc sensu conscientia probabilis sit regula morum, videbimus in sequentibus.

CAPUT IV.

In quo sternitur via ad magnam de opinione probabili concertationem.

Opinio probabilis nihil aliud est nisi assensus intellectus alicujus doctrinae vel facti veritati cum formidine de opposito; unde in opinione hoc sensu accepta duo inveniuntur, nimirum assensus et formido de opposito, quorum alterum necesse est ut nascatur ex ignorantia. Nam si doctrina cui cum formidine assentimur vera sit formido, ne sit falsa oritur ex ignorantia veritatis, quae si plene cognosceretur assensum ab intellectu eliceret sine formidine. Si autem doctrina sit falsa, assensus quem ei praebemus ex ignorantia oritur falsitatis. Quare S. P. Augustinus in lib. de util. creden. cap. 11. optime animadvertit quod quum tria sint in animis hominum sibi finitima, videlicet intelligere credere et opinari,

haec si per se ipsa considerentur, primum semper sine vitio est, secundum aliquando cum vitio, tertium vero numquam sine vitio. Quod enim intelligimus debemus rationi, quod credimus auctoritati, quod opinamur errori. Quare illud probabile dicitur quod est simile vero, licet ob ignorantiam non cognoscatur certo verum.

Probabilitas autem quae doctrinam similem vero reddit duplex est, vel intrinseca vel extrinseca. Prior in rationibus consistit plausibilibus quae mentem rationabiliter movere possint ad assensum, non ita tamen ut intellectum de sui veritate deque contrariae doctrinae falsitate omnino convincat. Nam si convincat, ea doctrina respectu hominis qui convictus de illius veritate est, non est amplius probabilis sed vera. Probabilitas autem extrinseca consistit in auctoritate ac testimonio doctorum in quorum fidem judicium ferri potest aliquid verum esse. Sequitur hinc quod omnis opinio probabilis dubia sit et incerta, sive magis sive minus sive aeque probabilis judicetur quoniam opinio probabilis nec certo vera nec certo falsa est. Porro quidquid nec certo verum nec certo falsum est, est incertum. Omne autem incertum est dubium, quia eadem est incerti ac dubii definitio, quod nimirum sit id de cujus veritate vel falsitate nihil certi scitur.

Animadvertendum est etiam opinionem probabilem esse posse veram aut falsam et nihilominus esse probabilem, imo unam eamdemque opinionem esse posse magis et minus et aeque probabilem ejus contradictoria, habito scilicet respectu ad diversa judicia. Opinio quippe probabilis est quae rationibus vel auctoritatibus nititur plausibilibus quae humanum valeant movere intellectum ad assensum. Jam vero eaedem rationes vel auctoritates quae pro aliqua afferuntur opinione, ab aliis sciri, ab aliis ignorari vel non percipi possunt, et dum sciuntur vel capiuntur, alios magis alios minus movere solent juxta diversas quas in intellectu cognitiones habent aut obscuritates vel in voluntate praeventiones et affectus; unde oritur ut una eademque doctrina aliis probabilis aliis improbabilis sit. Quinimmo non raro accidit ut uni eidemque homini illa ipsa opinio diversis temporibus magis minusve probabilis sit opposita, vel etiam evadat illi improbabilis quae alias probabilis aut etiam certa videbatur. Opinio itaque alia dicitur magis minus, vel aeque probabilis relative ad diversa judicia quae diversi vel idem etiam homo diversis temporibus habent de ejus veritate. Quae judicia quoniam instabilia admodum sunt, necesse est ut ipsa quoque sententiarum probabilitas sit admodum instabilis.

Animadverto praeterea opinionem probabilem in conflictu alterius vel esse aeque probabilem si utraque nempe opinio aequalibus innitatur rationibus et auctoritatibus, vel esse minus probabilem si videlicet minora pro se habeat momenta quam opposita, vel esse probabiliorem quando scilicet majora pro illa militent argumenta majorisque ponderis auctoritates quam contraria. Hinc disputare solent theologi an liceat sequi opinionem probabilem in concursu aeque probabilis vel in concursu minus probabilis vel in concursu probabilioris.

Quam velitationem antequam aggrediamur, nonnulla alia animadversione digna praemittamus oportet. Et 1. aliqui benignioris sententiae patroni, ut appellantur, seu probabilistae autumarunt eam esse opinionem probabilem quae rationi vel auctoritati alicujus momenti licet pertenuis ac levissima innititur. Ita Escobarius exam. 3. de consc. cap. 3. ubi sic inquit: *Probabilis sententia dicitur quae rationibus innititur alicujus momenti*. Ex hac definitione sequitur licitum esse sequi opinionem unius doctoris si ille gravis sit et probus, ut idem Escobarius et Sauctius in sum. lib. 1. cap. 9. aliiqui e Iojolitarum societate docuerunt. 2. Antiprobabilistae et etiam probabilistae recentiores ideam illam opinionis probabilis ab Escobario traditam unanimi consensu rejiciunt, quum nimis erroribus laxitatibusque aperiat viam. Ea enim semel admissa amplecti licet quidquid verisimile apparet nullo praemisso rationum vel auctorum examine. Hinc recentiores probabilistae fatentur non esse opinionem probabilem nisi solido fixo ac magni momenti innitatur fundamento. Addiderim ego cum S. P. Augustino lib. 7. de Bapt. cap. 53. nisi aliquo in catholico regionali concilio caepta, in plenario sit terminata, vel sacris litteris et sanctis Patribus aliisque fidei principiis possit dijudicari. 3. Animadvertentes vero probabilistae quod ea statuta opinionis probabilis definitione tota illorum systematis machina corrueret, quoniam dum menti duae obversantur opiniones quarum una sit altera vel probabilior vel aeque probabilis, quae probabilior est majoribus niti debet rationibus, quae autem aeque probabilis consimili ratione et auctoritate fulciri, atque idcirco vel opposita opinio desinet esse probabilis vel homo dubius haerebit, sicque aut probabilior aut aeque probabilis legi favens sequenda est; id, inquam, animadvertentes distinguere caeperunt inter opinionem et dubium, dicentes dubium hominis menti obversari quando inter rationes ejusdem ponderis animus haeret anceps. Ast in allato casu nullam habet homo ambiguitatem, quia etsi opinio cum probabiliori aut aeque probabili concurrat, semper nihilominus homo judicium fert opinativum quia semper convenientiam subjecti cum praedicato cognoscit. Ita illi post Vasquesium 1. 2. disp. 62. cap. 3. Sed mera verba sunt haec. Nam si sententia in se probabilis cum probabiliori vel aeque probabili concurrat, animus statim dignoscet priorem suam sententiam convenientiam subjecti cum praedicato non amplius habere, proindeque aut falsam esse aut dubiam. 4. Cujus ratiocinii vim agnoscentes alii distinguere cogitarunt inter dubium speculativum et practicum, ut inde inferrent opinionem probabilem in probabilioris aut aeque probabilis conflictu gignere quidem in mente opinantis dubium speculativum, non autem dubium practicum. In hoc probabilistarum principio paulisper immoremur, quum ad illud modo tamquam ad spei anchoram soleant confugere. Probabilistae ergo ut firmo judicio judicent rem aliquam de qua contrariae sunt opiniones licitam esse, duo formare intendunt judicia, quorum primum locum teneat *majoris*, alterum *minoris* hoc modo: *Licitum est omnem sequi opinionem vere probabilem quae docet aliquid licere*. Quod in hoc incidit: *Quidquid specula-*

tive probabile est , practice certum est . En primum judicium . Addunt aliud ita : *Opinio quae docet particularem hanc actionem licitam esse , speculative vere probabilis est , seu habet omnia quae ad veram requiruntur probabilitatem* . *Ergo* concludunt , *actio haec licita est* . Duo illa principia vocant probabilistae , *principia reflexa* , quia intellectus *reflectit* licitum esse quamlibet sequi opinionem probabilem , et hanc esse vere probabilem . Itaque dum opinio quae favet libertati seu potius cupiditati est minus probabilis ea quae favet legi , ita ratiocinantur : Tutus est in conscientia quisquis opinionem sequitur vere probabilem . Atqui sententia quae hoc licere docet , tametsi minus probabilis illa quae negat, est tamen vere probabilis , alioquin opinio negans non probabilior sed certa esset : ergo tutus est in conscientia quisquis in praxi illam sequitur . Consimili utuntur argumento quando opinio favens libertati est aeque probabilis illa quae favet legi . Ita recentiores probabilistae communiter propriam tuentur sententiam . Sed quam feliciter suo loco videbimus . Nunc enim mentem illorum perspicere sufficit .

Quaenam hac in caussa sit antiprobabilistarum sententia non opus est explicare , satis quippe ex dictis intelligitur . Hi videlicet docent 1. licitum non esse homini operari secundum opinionem cujus probabilitas levis sit ac pertenuis . 2. Sed ad licitam actionem reddendam requiri probabilitatem quae conscientiam faciat moraliter certam . 3. Quae conscientiae certitudo quum non remaneat quoties duae contrariae opiniones aeque probabiles quarum una libertati altera legi faveat simul concurrunt , hinc affirmant licitum non esse operanti opinionem sequi probabilem libertati faventem altera aeque probabili relicta quae favet legi . 4. Multoque minus licitum esse sequi opinionem minus probabilem libertati faventem in concursu probabilioris stantis pro lege . 5. Ac denique docent principia illa *reflexa* probabilistarum merum esse humanae mentis figmentum ; quum judicium practicum moraliter certum simul consistere nequeat cum dubitatione speculativa . Haec est antiprobabilistarum sententia cui nos absque ulla haesitatione subscribimus , ac singula controversiae recensita capita omni argumentorum genere capite sequenti demonstrabimus .

Interim ut certa ab incertis discernamus supponimus 1. quaestionem nos inter ac probabilistas versari circa ea quae ad fidem ac bonos mores, non quae ad meram pertinent speculationem . Nam ut S. Thomas quodl. 3. a. 10. ait : *Quod diversae opiniones doctorum , si quidem non pertineant ad fidem et bonos mores, absque periculo auditores utramque opinionem sequi possunt ; tunc enim habet locum quod Apostolus dicit ad Romanos : Unusquisque in suo sensu abundat . In his autem quae pertinent ad fidem et mores nullus excusatur si sequatur opinionem alicujus magistri : in talibus ignorantia non excusat* . 2. Supponimus quaestionem hanc non circa consilia , sed circa legem ac praecepta agitari . Ubi namque agitur de consiliis satis est si utraque pars tuta sit ac probabilis , alioquin tenerentur omnes aut castitatem vovere aut vitam amplecti monasticam . 3. Supponimus etiam ex duabus opinionibus quarum una tuta

sit altera tutior non esse necessario amplectendam tutiorem tuta relicta. Unde S. Antoninus 1. p. sum. tit. 3. cap. 10. inquit: *Quod sint contrariae opiniones inter doctores sanctitate et scientia maximos in materia morali, aliquando etiam ad salutem necessaria, patet per exempla. Nam B. Thomas in 4. tenet, quod post lapsum in mortale non oportet aliquem statim confiteri sub praecepto ... sed Hugo de S. Victore et B. Bonaventura sunt in hoc contrariae opinionis etc. Neutra opinio illorum reprobatur, etsi B. Thomae opinio communius teneatur quae tamen minus tuta videtur.*

Illud unum modo addendum existimo, quod etsi non multa magni momenti haberemus argumenta ad nostram firmandam sententiam, ad evertendam tamen illam probabilistarum vel unicum sufficeret illud videlicet ex novitate doctrinae deductum. In rebus siquidem ad theologiam pertinentibus non humanae mentis standum est ratiocinationibus, sed sacris litteris, sanctis Patribus, conciliis, brevi dicam, traditioni fidendum est. Quare S. P. Augustinus lib. 1. cont. Jul. cap. 5. ajebat: *Quod credunt* (sancti Patres) *credo, quod tenent teneo, quod docent doceo, quod praedicant praedico*. Probabilismum autem recentissimum esse vel ipsi hujus sententiae patroni fatentur, unde coacti sunt affirmare: *Quae circa fidem emergunt difficultates e veteribus haurienda, doctrina morum a recentioribus sumenda*. Ita Cellot. de Hiera. lib. 8. 16. Et Annatus in resp. ad theol. moral. *Quaerunt casus temporum doctores temporum. Bellus erit doctor ille criticus, si ex S. Augustini doctrina dissolvere possit emergentes nodos circa simoniam, irregularitates, interdicta omnesque contractus ex Gregorii nysseni et nazianzeni placitis componere*. Et Caramuel magnus probabilistarum coriphaeus in theol. fundam. n. 197. *In materia morum majoris faciendae sunt juniorum opiniones quam veterum: majoris omnino responsiones quas dant theologi conscientiae consulti, quam quae in libris ponuntur: majoris viventium hominum consultationes quam defunctorum*; adeo recens est probabilismus. Et re quidem vera libera haec opinandi licentia ante annum 1570. ignota omnino fuit. Nam Antonius cordubensis in suo quaestionario theolog. in lucem edito an. 1571. postquam statuerat tutiorem sequendam esse opinionem dummodo sit probabilior, e vestigio addit: *Et in hoc omnes theologi consentiunt*. Et in societatem quae dicitur Jesu in qua probabilismus propriam fixerat sedem doctrina haec non irrepsit ante an. 1597. si Tyrso Gonsalez ejusdem societatis praeposito ac probabilismi impugnatori fides habenda sit. Sic enim in tract. theol. de recto usu opinion. prob. scribit: *Falso aliqui sententiam benignam de usu licito opinionis minus probabilis et minus tutae in concursu probabilioris et tutioris appellant sententiam jesuitarum et casuistarum, quasi soli jesuitae et casuistae hanc sententiam tenuerint; falso enim nostris theologis tribuitur sententia quae jam erat communis anno* 1598. *quando illi hanc quaestionem versare caeperunt* etc. *Quomodo vere dici potest sententia casuistarum illa quam praeter primos theologos so-*

cietatis, *nempe Gabrielem Vasquez*, *Franciscum Suarez*, *Gregorium de Valentia*, *Leonardum Lessium*, *e sacra praedicatorum familia tenuerunt etiam primi theologi scholastici hujus saeculi nimirum Bartholomaeus de Medina* 1. 2. *q*. 19. *n*. 6. *Dominicus Bannez* 2. 2. *q*. 10. *a*. 1. *Didacus Alvarez in suis comm. ad* 1. 2. *q*. 18. *disp*. 12. *a*. 3. *et Joannes a s. Thoma t*. 3. *in* 1. 2. *q*. 18. *disp*. 12. *a*. 3? Ex quibus apparet quod quamvis probabilismus post annum 1571. communis evaserit, magnosque habuerit viros patronos, recentissimus nihilominus est; atque adeo a sana explodendus theologia, juxta illud Jobi cap. 12. v. 12. *In antiquis est sapientia*. Et illud aliud Eccli. cap. 8. v. 11. *Non te praetereat narratio seniorum; ipsi enim didicerunt a patribus suis; quoniam ab ipsis disces intellectum*. Et cap. 39. v. 1. *Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens* etc. Si autem quaeras cur tam cito benignior haec sententia sparsa sit per Ecclesiam, respondebo verbis Stephani Gradi vaticanae bibliothecae praefecti disp. de opin. prob. cap. 12. *Audivi virum gravissimum et non vulgari hodie in Ecclesia dignitate affirmantem, hanc paullo liberiorem opinandi rationem avorum nostrorum memoria et repente et quasi fortuito in Ecclesia extitisse*, *et quia non minus honorifica consultis quam commoda consultoribus accidebat*, *facile ab omnibus receptam et in mores inductam*. His ergo hoc modo praenotatis tempus est ut ad probabilismi descendamus confutationem.

CAPUT V.

In quo funditus evertitur probabilismus.

Ut quod proposuimus majori qua fieri potest perspicuitate exequamur eum tenebimus ordinem quem superiori indigitavimus capite antiprobalistarum sententiam recensentes. Sit itaque

CONCLUSIO I.

Non est homini licitum operari secundum opinionem cujus probabilitas levis sit ac pertenuis.

Prob. 1. Scripturis. Prov. cap. 13. legitur: *Qui agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia*. Et cap. 15. *Dissipantur cogitationes ubi non est consilium; ubi vero sunt plures consiliarii confirmantur*. Cap. 16. *Est via quae videtur homini recta, et novissima ejus ducunt ad mortem*. Et Paulus ad Philip. cap. 2. *Cum metu*, inquit, *et tremore vestram salutem operamini*. Porro qui in agendo levi nititur probabilitate aut non agit cum consilio aut plures non adhibet consiliarios, viam tenere videtur rectam quae tamen ducit ad mortem, neque cum metu ac tremore propriam operatur salutem, vel enim unius sequitur auctoris doctrinam, vel adhibet levem et incertam ratiocinationem.

Prob. 2. ex PP. Tertullianus lib. de spectac. cap. 20. refellens gentiles illud praecipue in eis redarguit quod nollent veritatem inquirere, sed de bono ac malo proprio judicarent arbitrio; sic enim inquit: *Non potest aliud esse quod vere quidem est bonum seu malum. Omnia autem penes veritatem Dei fixa sunt. Ethnici autem quos penes nulla est veritatis plenitudo, quia nec doctor veritatis Deus, malum ac bonum, pro arbitrio ac libidine interpretantur: alibi bonum, quod alibi malum, et alibi malum, quod alibi bonum.* Ast qui opinionem sequitur levissima innixus ratione vel unius doctoris auctoritate fretus nonne approbat alibi bonum et alibi malum? Utique quoniam quod levis ratio vel unius aut alterius suadet doctoris auctoritas ab aliis refutatur doctoribus, et ut falsum ab aliis rationibus exploditur. Sed clarius adhuc loquitur auctor hom. 44. inter Chrysostomi opera: *Si vestimenta empturus gyras unum negotiatorem et alterum, et ubi meliores vestes inveneris et pretio viliori ab illo comparas; quomodo non oportet populum circuire doctores et inquirere ubi sincera veritas venumdatur, et ubi corrupta, omnium confessiones cognoscere et veriorem eligere plusquam vestimentum?* Ut quis ergo tuta ac firma conscientia operetur non unius vel alterius doctoris debet sententiae fidere sed plures circuire animo inquirendi veritatem, quomodo plures convenit ille qui emere vestimenta debet ut meliora sibi comparet. Non itaque licitum est opinionem sequi probabilem cujus probabilitas pertenuis sit atque levissima. Aliorum Patrum sententias dabimus deinceps.

Prob. 3. ecclesiasticis definitionibus. Alexander VII. R. P. hanc damnavit propositionem: *Si liber sit alicujus junioris et moderni debet opinio censeri probabilis dum non constet rejectam esse a Sede apostolica tamquam improbabilem.* Et Innocentius XI. proscripsit hanc aliam: *Generatim dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca, modo a probabilitatis finibus non exeatur confisi aliquod agimus, semper prudenter agimus.* Jam vero injuria hae damnatae fuissent propositiones si adversa sententia consisteret. Nam si licitum foret operari secundum opinionem leviter probabilem, liceret agere juxta alicujus recentioris ac moderni scriptoris sententia; et prudenter ageret qui secundum extrinsecam vel intrinsecam probabilitatem merae probabilitatis limites non excedentem operaretur. Nam unius doctoris suffragium tenuem facit probabilitatem, et levissima quaelibet probabilitas opinionem continet intra fines probabilitatis.

Prob. 3. theol. ratione. I. tenuis probabilitas extrinseca non reddit conscientiam certam. Nam tenuis extrinseca probabilitas ab unius vel alterius eruitur doctoris suffragio, aut saltem a paucis minusque exercitatis; si namque plurium sapientiorumque niteretur auctoritati, non levis sed magna esset probabilitas. Quomodo autem opinio illa conscientiam reddere poterit firmam contradicentibus saepe sapientioribus magnisque viris? II. pertenuis probabilitas intrinseca ea est, quae alicui innititur levissimae rationi. Nam si fundamentum aut in scripturis aut in patribus aut in conciliis aut in gravissima theologica ratione haberet, non exigua sed magna esset probabilitas. Ast quum levissima ratio militet etiam pro sententia

dubia plane non sufficit ad conscientiam reddendam in operante firmam ac certam. III. quod si quis dicat opinionem illam cujus tenuis est probabilitas non habere quidem in magnis doctoribus aut in fundatissima ratione fulcimentum, sed neque a magnorum dissentire virorum auctoritate neque repugnare scripturae, patribus, conciliis etc. colligi inde poterit talem opinionem merum esse humanae mentis figmentum. Quod enim ab uno vel altero auctore affirmatur et levissimae innititur rationi nec aliud habeat fulcrum, etiamsi scripturis, patribus, conciliis aperte non repugnet est tamen aut esse potest merum humanae mentis figmentum non regula certissima morum.

CONCLUSIO II.

Ut opinio sit certa regula morum ita probabilis esse debet ut tuta appareat operanti, illiusque conscientiam reddat moraliter certam.

Prob. 1. sacris litt. Eccli. cap. 32. habetur: *Ante omnia opera verbum verax praecedat te: et ante omnem actum consilium stabile*. Qui autem opinionem in operando sequitur quae tuta non apparet nec conscientiam reddit moraliter certam numquid verbum verax et consilium stabile sibi proponit? Deinde Christus apud Matth. ita loquitur: *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit*. In quae verba ita fatur S. Bernardus lib. de praecept. et dispens. cap. 14. *Ceterum sicut oculum simplicem duo ista faciunt bona, amor boni et cognitio veri, sic oculum nequam duo e regione mala constituunt, caecitas qua fit ut veritatem non agnoscat et perversitas qua fit, ut diligat iniquitatem*. Quod si quis probabilitatem sequatur quae ejus conscientiam non reddat moraliter certam, habet is sane caecitatem per quam veritatem non agnoscit et caecitatem quidem voluntariam, quum videat eam probabilitatem non tanti ponderis esse quae ad reddendam propriam conscientiam moraliter certam non sufficiat.

Prob. 2. ex S. P. Augustino qui hoc adversariorum nostrorum principium apertissime refutavit in accademicis lib. 3. cont. eosd. cap. 16. Sic enim ajebant illi: *Turpe est errare, et ideo nulli rei consentire debemus: sed tamen cum agit quisque quod ei probabile videtur, nec peccat nec errat*. S. P. Augustinus autem ita scribit: *Id igitur audiens adolescens insidiabitur pudicitiae uxoris alienae. Te consulo M. Tulli .... Quid aliud dicturus es, quam non tibi esse probabile ut id faciat adolescens? At illi probabile est. Nam si ex alieno probabili vivimus, nec tu debuisti administrare rempublicam, quia epicuro visum est non esse faciendum ... Taceo de homicidiis, parricidiis, sacrilegiis, omnibusque omnino quae fieri aut cogitari possunt flagitiis aut facinoribus quae paucis verbis et quod est gravius apud sapientissimos judices defenduntur. Nihil consensi et ideo non erravi. Quomodo autem non facerem, quod probabile visum est? Qui autem non putant ista probabiliter pos-*

se persuaderi legant orationem Catilinae qua patriae parricidium quo uno continentur omnia scelera, persuasit. Jam illud quis non videt? Ipsi dicunt nihil se in agendo sequi nisi probabile, et quaerunt magnopere veritatem, cum eis sit probabile non posse inveniri ... Illud est capitale, illud formidolosum, illud optimo cuique metuendum, quod nefas omne si haec ratio probabilis erit cum probabile cuiquam visum fuerit esse faciendum tantum nulli quasi vero assentiatur non solum sine sceleris sed etiam sine erroris vituperatio ne committat. Si licitum sit id agere quod cuique probabile videtur, et probabilitate quae conscientiam certam non reddit, magnorum patrator scelerum immunis a quavis erit poena si ad ethnicum judicem deferatur penes quem forte illorum scelerum reus non peccat. Et rursus agere quis poterit adversus leges quidquid ei libuerit, modo faciat quidquid ei probabile videtur. Hae sunt absurditates quas Augustinus ex probabilitate in sensu adversariorum deducit.

Nec reponere juvat accademicos merito ab Augustino reprehendi quod de omnibus opinantes conscientiam gererent dubiam; quod de probabilistis dici non potèst. Nam Carneades accademicorum princeps apud Augustinum lib. 3. cont. accad. cap. 18. *Cum undique premeretur, si nulli rei esset assensus, nihil acturum esse sapientem ... attendit sapienter quales illi actiones probarent, easque nescio quarum verarum similes, videns id quod in hoc mundo, ad agendum sequeretur verisimile nominavit ... idque etiam probabile appellabat*. Ex quibus colligitur accademicos in agendo sequi solitos fuisse opiniones verisimiles seu probabiles. Cumque hoc eodem modo se gerant probabilistae merito refelluntur in accademicis. Imo fallor si probablistae Augustino darent quod ipsi concedebant accademici, absurdum nimirum esse quod ipse ex eorum sententia inferebat. Dicerent quippe juvenem illum in exemplum a S. doctore assumptum nullum revera peccatum admittere, modo conscientiam sibi formare posset dictantem adulterium sibi licitum esse ex eo v. g. quod maritus consentiat vel ex quo eum rogaret eo fine ut foecundam uxorem redderet suam, quod ipse non posset.

Prob. 3. ratione. Posita probabilistarum sententia sequitur unumquemque pro lubitu amplecti ac retinere posse quam voluerit religionem; judaeos hebraicam, ethnicos idololatriam, mahumetanos alcoranum, haereticos quoslibet suae sectae errores. Nam nulla quamtumvis falsa religio, secta nulla est quae argumentis pro ipsis aut impiae religionis aut falsae sectae cultibus probabilissimis non innitatur. Possunt siquidem in proprii erroris patrocinium ad insinuationes provocare parentum, ad majorum antiquam traditionem, ad consuetudines regionis ac patriae, ad male intellecta testimonia Scripturarum. Consecutionem hanc vidit Caramuel camque illustrat prolixam narrando historiam cujusdam Basanomenis lutheranorum filii, qui ne propriam desereret sectam tuebatur se principiis probabilistarum, affirmans religionem suam esse admodum probabilem. His a Caramuele narratis, difficultas denique contra suum systema inde deducta insoluta ab eo relinquitur hisce verbis: *Vel debent* (probabilistae)

transglutire, *vel a principali opinione discedere*. Vide Caramuelem in theol. fundam. p. 472. Sed horrendas hasce illationes etiam alii probabilistae viderunt, et ne a statutis semel principiis discederent conati sunt admittere. Hinc Erardus Billius tract. 3. de fide cap. 1. haec scribere veritus non est: *Sic etiam puer baptizatus, quia fides quam suscepit in baptismo, satis non est ad profitendam fidem nisi ei proponantur mysteria fidei et explicentur, non peccabit credendo haeresi sibi propositae, et quam a parentibus edoctus est, nisi habeat argumenta convincentia, et probabilitatem excludentia suae sectae. Quamdiu enim probabilis est, non peccat eam sequendo. Quo fit ut multae puellae usque ad vigesimum annum vix censeri possint haereticae. Quis enim dicat eos non habere argumenta probabilia suae sectae? At nemo peccat sequens opinionem probabilem, quantumcumque ad coenam, ut appellant, accedat*. Vidit et P. Plavia qui justae molis exaravit volumen in quo probabilismi et ignorantiae invincibilis innixus principiis ex professo demonstrare conatur omnes omnino homines cujuscumque sectae ac religionis, gentiles turcas judaeos haereticos *turmatim ingredi in regnum caelorum veluti per posticum*, exceptis jansenistis. En monstra quae probabilismus parit.

CONCLUSIO III.

Non licet operanti sequi opinionem probabilem faventem libertati in concursu aeque probabilis stantis pro lege.

Prob. 1. auctoritate Scripturae. Eccli. cap. 3. v. 27. legitur: *Qui amat periculum, peribit in illo*. Apostolus in 1. ad Thessal. cap. 5. v. 20. *Omnia*, inquit, *probate*: *quod bonum est*, *tenete*: *ab omni specie mala abstinete vos*. Ast vero qui in praxi opinionem sequitur probabilem faventem libertati alia relicta aeque probabili stante pro lege, amat periculum, non tenet quod bonum est, nec ab omni specie mala se abstinet. Nam lex, non corrupta libertas, est regula morum. Unde ait David psal. 1. v. 1. *Beati qui ambulant in lege Domini*, non qui probabili innixi opinione sequuntur libertatem. Et psal. 118. subdit: *Omnes viae tuae veritas*. Et, *Maledicti qui declinant a mandatis tuis*. Et Christus in Evangeliis: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Et, *Sermo quem locutus sum vobis, ille judicabit vos in novissimo die*. Accedit his quod qui sententiam secuti fuerunt quam recentiores probabilistae tuentur, judice ipsa S. Scriptura, gravissime peccaverunt. Ubique in sanctis paginis impietatis ac detestandi criminis arguuntur idololatrae, quibus tamen tyrannorum principumque imperium, publicae de sacrificiis diis immolandis leges, majorum ac totius orbis exemplum, innumerorum auctoritas philosophorum quorum honestas decantabatur, regionum idola colentium, temporalis prosperitas aliaque hujus generis argumenta opinionem reddebant probabilissimam quod idola colendo non peccarent. Et nihilominus horrendum illud facinus ubique Scriptura detestatur quoniam periculum ido-

lolatrae amabant nec quod bonum erat tenebant. In lib. 3. Reg. describitur gravissima punitio hominis Dei, quod panem comederit et biberit aquam in Bethel contra Dei praeceptum. Et tamen homo ille Dei auctoritatem secutus alterius prophetae, non modo probabile sed etiam certum judicabat se non peccare ... In Evangelio qui rationes et auctoritatem secuti pharisaeorum atque scribarum dicebant parentibus: *Munus quodcumque ex me est*, *tibi proderit* etc. aliaque multa juxta seniorum traditionem faciebant legi divinae contraria aperte redarguuntur ut legis transgressores. Sententia tamen quam sequebantur quum auctoritati niteretur scribarum et pharisaeorum quae major apud judaeos erat quam apud nos sanctorum patrum probabilissima ipsis videbatur. Nitebatur praeterea plausibilibus rationibus saltem apparentibus, multo quam sint plurimae ex illis quibus opiniones suas quas probabiles vocant, suffulciunt casuistae. Repugnat ergo Scripturarum auctoritati probabilistarum systema.

Prob. 2. Patrum auctoritate. Gregorius nazianzenus orat. 27. docet conscientiam non reddi moraliter certam ex aliorum opinione nisi et ipsi operanti comperta sit veritas: *At quid aliis videatur*, inquit, *nihil ad nos*, *quemadmodum neque alienum somnium*. Basilius in psal. 61. ad illa verba, *Mendaces filii hominum in stateris*, scribit non esse hominum doctrinas amplectendas nisi ope regularum illas probaverimus tamquam veras. Chrysostomus hom. 13. in ep. 2. ad Cor. idipsum confirmat dicens: *Ne igitur multorum opiniones habeamus*, *sed res ipsas inquiramus*. Sed clarius prae ceteris loquitur Augustinus lib. 1. de bapt. cap. 3. ubi de quodam donatista reditum ad ecclesiam meditante ex parte donati, in qua incertum habebat an baptismus licite reciperetur, quum certum haberet licite recipi in ecclesia catholica ita scribit: *Hic ergo securus accipiat*, *ubi et esse et recte accipi certum est*: *illic autem non recipiat quod esse ibi quidem dicunt*, *sed ibi accipiendum esse non dicunt quorum sententiam decrevit eligere*. *Quamquam etiamsi dubium haberet*, *non illic recte accipi quod in catholica recte accipi certum haberet*, *graviter peccaret in rebus ad salutem animae pertinentibus*, *vel eo solo quod certis incerta praeponeret*. Et cap. 5. iterum ait: *Accipere itaque in parte Donati si incertum est esse peccatum*, *quis dubitat certum esse peccatum non ibi potius accipere ubi certum est non esse peccatum*? En probabilistarum systema in terminis ab Augustino refutatum. Quaerebat Donatista an liceret baptismum accipere in parte Donati, an potius foret accipiendum in catholica ecclesia. Utraque opinio quamvis opposita existimabatur a donatista probabilis, et pro utraque opinione rationes habebat et auctoritatem. Consulit Augustinum qui quomodo quaestionem solvit? Numquid ait cum recentioribus probabilistis potuisse donatistam pro lubitu alterutram eligere? Minime, sed inquit recipiendum esse baptismum in catholica quoniam qui hanc sequitur opinionem partem tenet ab omnibus admissam stantem pro lege, adeoque format sibi conscientiam certam. E contra si priorem teneret opinionem quae recipi posse dictat baptismum in parte Donati, eam sequitur sententiam quae a

nonnullis dumtaxat admittitur, sicque in incerto laborat. In rebus autem ad animae salutem pertinentibus vel eo solo quis peccat quod certis incerta praeponat.

Nec audiendi sunt adversarii reponentes quaestionem Augustino propositam intelligendam esse de validitate baptismi. Ubi autem, inquiunt, de validitate fit sermo sacramentorum, peccat utique qui certis incerta praeponat. Non peccat autem si de licita agatur sacramentorum receptione. II. et multo minus audiendi sunt alii qui dicunt donatistam illum dubitasse de licita baptismi receptione in parte Donati absque ulla probabilitate. Non, inquam, audiendi sunt primi, nam 1. quaestio S. Doctori proposita non circa validam sed circa licitam baptismi receptionem versabatur; duo enim illa aperte distinguit Augustinus initio laudati capitis dicens: *Duo sunt enim quae dicimus, et esse in catholica baptismum, et illic tantum recte accipi: utrumque horum donatistae negant. Item alia duo dicimus, esse apud donatistas baptismum, non autem illic recte accipi*. Et rursus: *Esse vero baptismum et apud donatistas et illi asserunt et nos concedimus*. Unde quaestio erat revera de licita vel illicita, non de valida vel invalida in parte Donati baptismi receptione, atque idcirco caussa cecidere probabilistae. 2. Quaestionis solutio a S. Doctore tradita circa baptismi receptionem pro quavis alia valere debet actione morali. Nam quaestionis sensus hic tandem erat: An extet divinum aliquod praeceptum vetans ne baptismus extra ecclesiam recipiatur; quodque hominis contradicat libertati volentis illum recipere ubicumque voluerit. Hanc autem dirimens S. Pater quaestionem ait extare tale praeceptum illudque esse observandum, quia in rebus ad salutem pertinentibus graviter peccat qui certis incerta praeponit; quae ratio de quavis morali actione valet. Augustini ergo calamo perimitur probabilistarum sententia. Sed neque audiendi sunt secundi, nam donatista ille opinabatur recipi a ministro donatista posse baptismum hac ratione quia esse baptismum in parte Donati et donatistae et catholici consentiebant; habebat ergo hominis illius opinio suam probabilitatem. Deinde nec opinio nec dubium absque aliqua probabilitate consistere potest. Ubi enim nulla auctoritas nulla ratio est, nec opinio datur nec dubium, sed mera falsitas. Opinio autem illius donatistae licet plausibili suffulta probabilitate, dubium tamen ingerere necessario menti ejus debebat quia offerebatur opinio contraria aequalibus innixa rationibus et auctoritatibus. Et quoniam contraria haec opinio stabat pro praecepto, illa pro libertate, Augustinus definivit hanc esse sequendam quae legi favet vel eo solo quod in rebus ad salutem pertinentibus peccatum sit certis incerta proponere.

Prob. 3. ex certo ac evidenti juris naturae principio quod ita se habet: *In dubiis semitam eligere debemus tutiorem*. Vel ut alibi expressum illud invenimus: *In dubiis via est eligenda tutior*. Vel adhuc ut alibi: *In dubiis quod certius existimamus tenere debemus*. Quod proloquium hanc suppeditat ratiocinationem: duae contrariae opiniones hominem reddunt dubium. In dubiis autem debemus partem eligere tutio-

rem. Porro quod in duarum probabilium opinionum conflictu quarum altera aliquid licere asserit, altera negat sit tutius, est manifestissimum, tutius videlicet esse partem sequi negantem quam affirmantem. Nam qui omittit id quod licere ait sententia affirmans, est extra omne peccandi periculum tum contra legem tum contra conscientiam. Qui vero id facit quod illicitum esse asserit sententia opposita, utrique se exponit periculo. Allata mox argumentatio illustratur ex Clementina de *verb.* signif. cap. *exivi*, in qua Clemens V. R. P. interrogatus a fratribus minoribus an vi praecepti ad nonnulla tenerentur in regula expressa verbo imperativo, Pontifex, inquam, allato innixus principio ita respondit: *Nos itaque qui in sinceris horum conscientiis delectamur, attendentes, quod in iis quae ad animae salutem respiciunt, ad vitandos graves remorsus conscientiae, pars securior est tenenda, dicimus, quod licet fratres non ad omnium quae verbis imperativi modi ponuntur in regula sicut ad praeceptorum seu praeceptis aequivalentium observantiam teneantur, expedit tamen ipsis fratribus ad observandam puritatem regulae et rigorem, quod ea sicut ad aequipollentia praeceptis se noverint obligatos, quae hic inferius notantur.* Hoc eodem innixi principio multas edidere definitiones alii summi Pontifices Clemens III. Innocentius III. Honorius III. de quibus vide Berti et Fagnanum.

Quid ad haec adversarii? Negabunt forte id quod probabile nobis est licere, dubium esse? sed immerito. Nam si illud est dubium de cujus veritate et falsitate non constat, dubium est plane omne tantum probabile, praesertim in alterius opinionis aeque probabilis concursu. Nam non solum dubii haeremus quando nullae suppetunt rationes, sed etiam quando rationes utrinque aequales apparent. Unde S. Thomas q. 14. de verit. a. 1. inquit: *Intellectus noster respectu partium contradictionis se habet diversimode. Quandoque enim non inclinatur magis ad unum quam ad aliud vel propter defectum moventium, sicut in illis problematibus de quibus rationes non habentur, vel propter aequalitatem eorum quae movent ad utramque partem; et ita est dubitantis dispositio, quia fluctuat inter duas partes contradictionis.* An ne, dicent, laudatum a summis Pontificibus axioma in dubiis tantum valere, non in opinionibus, ex quo quod qui dubius est neutri assentitur parti, qui vero opinatur alterutram partem admittit? Sed in idem recidit argumentum. Nam etiamsi qui opinatur uni velit adhaerere parti, non potest tamen id absque formidine facere, alioquin non probabilis, sed certa foret opinio cui adhaeret. Unde autem formido illa oritur? Ex parte proculdubio opposita, timet nempe ne opposita opinio sit vera. Nonne hoc verum est dubium? Dicent ne rursus regulam illam juris consilium continere, non praeceptum? Si hoc regerant, decipiuntur. S. quippe Pater Augustinus peccare affirmat qui *certis incerta praeponeret*. Deinde sacri canones regulam illam verbis referunt absolutis ac praeceptivis, unde eidem innixi regulae paenam infligunt iis qui in dubio partem non tenuere tutiorem, ut patet ex cap. *illud de clerico excom. ministrante*, ex cap. *sicut nobis de sent. excom.* et ex cap. *juvenis de spons.*

Prob. 4. ex S. Thoma qui quodl. 9. a. 15. quaestionem resoluturus in qua, ut ipse ait, theologi theologis, et juristae juristis inveniebantur contraria sentire, et circa quam proinde duae erant opiniones probabiles sibi contrariae, *utrum nimirum plures simul habere liceat praebendas*, hanc, inquam, resoluturus quaestionem sic dixerat quodl. 8. a. 3. *Duobus modis aliquis ad peccandum obligatur; uno modo faciendo contra legem; ut cum aliquis fornicatur: alio modo, faciendo contra conscientiam, etiamsi non sit contra legem; ut si conscientia dictet alicui quod levare festucam de terra sit peccare mortaliter; ex conscientia enim obligatur aliquis ad peccatum sive habeat certam fidem de contrario ejus quod agit, sive etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione. Illud autem quod agitur contra legem* (subaudi, non invincibiliter ignoratam) *semper est malum, nec excusatur per hoc quod fit secundum conscientiam*. En quam apertis verbis S. Thomas affirmat eum qui opinionem sequitur quae quidquam licere docet cum aliqua dubitatione ab opinativo judicio inseparabili peccare contra conscientiam, et illa ipsius opinio si veritati adversetur peccare etiam contra legem. Sed hoc clarius adhuc patet ex propositae quaestionis resolutione quam e vestigio subjungit. Applicans enim generalem doctrinam suae hypothesi, ita ibid. scribit: *Dicendum ergo quod quando sunt duae opiniones contrariae de eodem, oportet esse alteram veram, alteram falsam. Aut ergo qui agit contra opinionem magistrorum, utpote habendo plures praebendas, facit contra veram opinionem, et sic cum faciat contra legem Dei, non excusatur a peccato, licet non faciat contra conscientiam; sic enim contra legem Dei facit. Aut illa opinio non est vera, sed magis contraria quam iste sequitur, ita quod vere licet habere plures praebendas: et tunc distinguendum est, quia aut talis habet conscientiam de contrario* (idest omnino persuasum habet non licere quod facit), *et sic iterum peccat contra conscientiam faciens, quamvis non contra legem. Aut non habet conscientiam de contrario, sed certitudinem; sed tamen in quamdam dubitationem inducitur contrarietate opinionum* (quae nempe utramque probabilem judicant), *et si manente dubitatione plures praebendas habet, periculo se committit, et sic proculdubio peccat . . . Aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur* (quod evenit quando quis sequitur opinionem probabilem legi faventem in concursu aeque probabilis stantis pro libertate), *et sic nec committit se crimini nec peccat*. Haec S. Thomae verba adeo perspicua sunt ut Matthaeus Moja magnus benignae sententiae patronus in libro quem de opinione probabili edidit, sub ementito Amadei Guimenii nomine n. 4. scripserit: *Haec si vera sint, vae operantibus ex opinione probabili*.

CONCLUSIO IV.

Non licet homini sequi opinionem minus probabilem faventem libertati in concursu probabilioris stantis pro lege.

Prob. 1. sacris litteris. Eccli. cap. 19. haec occurrunt: *Qui credit*

cito, levis est corde. Psal. 118. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis*. Matth. cap. 7. *Quam angusta porta, et arcta via est quae ducit ad vitam*. Luc. cap. 22. *Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quae ventura sunt, et stare ante filium hominis*. Ad rem hanc faciunt omnia Scripturae testimonia superius allata. Ast homo qui opinionem sequitur minus probabilem faventem libertati in conflictu probabilioris stantis pro lege, levis est corde; credit namque doctoribus suae libertati blandientibus, mandata Dei custodire non satagit, illis siquidem minus verisimilem anteponit opinionem propriae libertati faventem, dilatat viam et portam aeternae salutis putans salutem consequi posse, etiam divina mandata transgrediendo, ut corruptae suae satisfaciat libertati, nec ullimode vigilat orando ne reus inveniatur in die judicii, quum quibuscumque credat doctoribus sibi placentia insinuantibus.

Prob. 2. ex censuris. Innocentius XI. hanc damnavit propositionem: *Generatim dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca quantumvis tenui, modo probabilitatis finibus non exeat, confisi, aliquid agimus, semper prudenter agimus*. Verum opinio probabilis in concursu probabilioris a probabilitatis finibus non egreditur, per adversarios, unde qui operatur secundum opinionem probabilem contra probabiliorem, juxta illos prudenter operatur. Hoc autem ab apostolica sede proscriptum est. Idem summus Pontifex has alias proscripsit propositiones: *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili*. Et, *probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem minus probabilem*. Verum adversariorum admissa sententia immerito sapientissimus Pontifex relatas damnasset propositiones. Praeterea principium istud: *licitum est sequi opinionem minus probabilem in concursu probabilioris*, damnavit Ludovicus de Gondrin archiepiscopus senonensis in synodo septingentorum virorum die 3. septembris an. 1658. Damnatum quoque fuit eodem anno die 29. octobris ab episcopis alectensi, apiamensi, convenarum, vasatarum, et conseranorum dum *apologiam* proscripserunt *casuistarum*. Anno sequenti 1659. eamdem casuistarum apologiam anathemate confixerunt episcopus lexoviensis, et archiepiscopus bituricensis quod viam aperiret laxitatibus ac omnibus erroribus, ex quo hoc principium assumat tamquam firmissimam regulam: *ex duabus probabilibus opinionibus, licitum est sequi minus probabilem*. Illud idem dogma censura notatum est iterum an. 1700 a clero gallicano ad comitia generalia. Vide alias censuras apud Merbesium 1. p. sum. christ. q. 36.

Prob. 3. ex absurdis quae ex illa laxa doctrina sequuntur. I. si licitum est opinionem sequi minus probabilem in concursu probabilioris in sensu exposito non est theologis ac jurisconsultis studio et orationi vacandum ut in rebus dubiis ac controversis investigent, ut inveniant veritatem, sed satis illis erit unicus auctor qui cathalogum contexuerit historicum probabilium opinionum. II. imo inventa contradictoriarum opinionum probabilitate studiose abstinendum est a veritatis investigatione.

Nam ea inventa, libertas auferretur utrumlibet libere et absque peccato sequendi, quae libertas integra habetur quando utrumque judicatur probabile. III. sequitur nec infideles nec haereticos ad amplectendam obligari veram fidem etiamsi probabilius ipsis sit solam catholicam fidem posse ad salutem perducere, sed absque culpa in sua infidelitate vel haeresi manere posse, modo infidelitatis aut sectae argumenta habeant probabilia quae deesse numquam ipsis poterunt, ut supra observavimus. Et ne has consecutiones invitis probabilistis ex ipsorum principiis deducere videamur en quorumdam probabilistarum hoc diserte confitentium verba: *Dum infidelis*, inquit Sanchez lib. 2. in decal. cap. 1. 6. *sibi persuasum habet suam sectam esse probabilem, quamvis vera et catholica fides ipsi videatur probabilior, extra articulum mortis non tenetur veram et catholicam amplecti*. Castropalaus autem cum Escobario addit: *Ne in mortis quidem articulo ad id tenetur* (*infidelis*), *sed etiam tunc opinionem minus probabilem sequi potest*. Enradii Billii verba idipsum demonstrantia in superioribus dedimus. IV. sequeretur item ullum vix esse peccatum, vix ullam actionem humanam inhonestam, quum vix in rebus moralibus casus detur in quo duae non occurrant probabiles contradictoriae opiniones. Quod si sequi liceat minus probabilem in conflictu probabilioris, admitti poterit pluralitas deorum, usura, simonia, homicidium, aliaque hujus generis infanda scelera, quoniam Caramuel docuit haec aliquibus in casibus esse licita, et ita erunt probabilia. De pluralitate namque deorum scribit Caramuel in theol. mor. lib. 4. n. 1559. *Deorum pluralitatem stando puris principiis naturalibus defendi et propugnari posse*. De usura lib. 2. n. 799. ait: *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuario exigere, et eo titulo ab usura excusari*. De simonia eod. lib. 2. n. 864. *Si* (scriptor) *sit audentior, ipsius simoniae conceptus erit idea platonica, ut dicitur, quae non reperitur in rebus*. De homicidio in theol. fundam. n. 1142. hanc refert patris Amici doctrinam: *Clerico vel religioso licet calumniatorem gravia crimina de se vel de sua religione spargere minantem occidere, quando alius defendendi modus non suppetat*: quam pulchram doctrinam his verbis bonus Caramuel approbat: *Doctrinam Amici solam esse veram, et oppositam improbabilem censemus omnes docti*. Alia hujus furfuris deploranda potius quam referenda habent in suis operibus probabilistae, quae quoniam a viris specie gravibus ac doctis approbantur extrinsecam saltem habent probabilitatem, atque ita fieri tuta conscientia poterunt etiamsi opposita sententia illa vetans multo probabilior animum pulset operantis. Nonne haec monstra sunt quae lacrymis magis quam argumentis ut refutentur indigent?

CONCLUSIO V.

Probabilitas reflexa quae docet judicium practicum moraliter certum stare posse cum dubitatione speculatrice merum est humanae mentis figmentum.

Prob. 1. Nequit intellectus formare judicium practicum nisi ductum sequendo judicii speculativi. Nam si quid esset quod determinare posset intellectum in formando judicio practico ad non sequendum judicium speculativum maxime esset tam saepe decantata a probabilistis *reflexio* in sensu capite superiori explicata. Ast reflexio illa probabilistarum talem non habet virtutem, et si judicium speculativum dubium sit circa aliquod objectum nulla reflexio movere potest intellectum ad contrarium formandum judicium practicum circa idem objectum moraliter certum. Et sane nonnisi duplex cogitari potest modus quo intellectus stante judicio speculativo dubio formare possit judicium practicum certum. 1. Ut intellectus in speculativo formando judicio circa aliquam actionem de qua inquiritur an licita sit vel illicita, ad examen utriusque partis rationes revocando definiat aeque probabile esse quod actio illa sit honesta et sit inhonesta; ita quippe in praxi utramlibet eligere poterit, ac judicium practicum erit certum. 2. Ut intellectus in duarum sibi contradicentium opinionum concursu judicium excludat vel suspendat circa actionis honestatem, nullamque de ea habeat sollicitudinem, acquiescat autem opinioni dictanti actionem honestam esse. Ast duplex ille modus facere non potest ut intellectus stante judicio speculativo dubio judicium formet practicum certum. Non primus, quoniam dum intellectus utramque opinionem judicat esse aeque probabilem, judicat etiam aequalia stare et pro honestate et pro inhonestate actionis momenta, adeoque dum vult judicium practicum formare anceps adhuc ac dubius debet haerere, nisi rationis ductu postposito formare velit judicium practicum certum quia vult, quod plane noxium est ac impium. Sed neque modus alter intellectum movere potest ad formandum judicium practicum certum judicio stante speculativo dubio. Nam si intellectus judicium de operis inhonestate suspendit, ut illico descendat ad judicandum practice de ejusdem operis bonitate facit id vel ob ignorantiam vel ob negligentiam. Si ob ignorantiam, peccat, quoniam ignorantia illa esset voluntaria imo affectata, parvipendens quippe contrarias rationes non vult intelligere ut bene agat. Si ob negligentiam, similiter peccat, quoniam contraria non vult expendere momenta, quinimmo maxima in eo esset malitia, sciret videlicet, opinionem quam vult in praxi eligere gravibus oppugnari rationibus, et nihilominus vult illam eligere ut in praxi sequatur. Nullum ergo judicium reflexum tantam vim habet ut inducere valeat intellectum ad practicum formandum judicium moraliter certum stante in eodem intellectu circa unum idemque objectum judicio speculativo.

Neque adversarii quidquam proficiunt dicentes judicium reflexum ra-

tum ac firmum quum sit tribuere intellectui in praxi moralem certitudinem. Nam judicium reflexum est ratum ac firmum comparate ad objecta, quatenus illud intellectus pronuntiat utramque opinionem esse probabilem. Non est autem firmum ac ratum comparate ad ipsum intellectum inter utramque opinionem anxium ac fluctnantem, iisdem persistentibus motivis ac rationibus ob quae de bonitate et malitia actionis dubius haeret. Certe si speculativa circa aliquod objectum dubitatione objecti mutetur circumstantia, et nova alicujus ponderis accedat ratio, tunc reflexio movere potest intellectum ad deponendam dubitationem certitudinemque induendam, v. g. si religiosus dubitet sibi licitum esse a choro recedere, et dubio adhuc perseverante accedit superioris praeceptum ut a choro discedat, potest religiosus dnbitationem exuere ac firmiter judicare sibi licitum esse a choro discedere ad superioris reflectendo praeceptum. Sed praeterquamquod tribuit ea reflexio certitudinem non modo judicio practico, sed etiam speculativo, unde falsum est adversariorum principium quod stante judicio speculativo dubio possit intellectus judicium formare practicum certum, praeter hoc, inquam, intellectus in proposito casu certitudinem inducit non vi merae reflexionis, sed vi novae rationis aut circumstantiae accedentis, atque idcirco judicium reflexum probabilistarum merum est humanae mentis figmentum.

Prob. 2. Si in praxi sit certo licitum quidquid speculative judicamus licitum probabiliter, consequens est principium illud non modo esse regulam morum, sed etiam esse unicam regulam morum. Nam allatum principium consistere nequit sine eversione legis aeternae ac conscientiae quae sunt, juxta omnes theologos, regulae morum. Et re quidem vera regula haec nova probabilistarum fatalis est in primis legi aeternae, quoniam etiamsi actio aliqua sit lege aeterna prohibita, licita tamen erit si probabile judicetur non esse prohibitam; atque in eo judicio aliud fundetur judicium quod tibi certo liceat; atque ita conformitas actionis cum lege aeterna non est amplius firmissima regula morum, etenim actio non conformitatem sed difformitatem habet cum lege aeterna, et nihilominus bona judicatur et licita. Deinde illud idem principium fatale quoque erit alteri regulae morum nempe conscientiae. Nam qui judicat actionem probabiliter dumtaxat esse licitam habet simul conscientiam probabilem malitiae ejusdem actionis, unde si illam exercet agit contra conscientiam, quia ut agat secundum conscientiam judicare firmiter debet in actione sua nihil esse malitiae, quod qui conscientiam habet probabilem malitiae absolute non potest. Et hoc modo conscientia non est amplius regula morum.

Ut se ab hoc argumento expediant adversarii ajunt probabilitatem reflexam non esse contra aeternam legem, quoniam haec dictat eum non peccare qui sententiam sequitur mere probabilem. Sed neque esse contra conscientiam, quia qui judicat actionem tantum probabiliter licere, habet quidem conscientiam probabilem malitiae actionis ex principiis directis nempe ob rationem et auctoritatem, sed habet certitudinem de ejusdem actionis bonitate ex principiis reflexis, reflectendo nimirum licitum esse opinionem sequi probabilem.

Sunt autem hae frigidae argntiunculae. Nam quoad primam responsionis partem non magis esse potest legi aeternae conforme ut agas contra legem aeternam quam quod possit esse conforme veritati ut scienter loquaris contra veritatem. Lex quippe aeterna non dictat ut quod malum est fiat opinione hominis bonum. Ad partem alteram dico ad malitiam actionis, satis esse ut quis conscientiam habeat probabilem ex principiis directis quia *malum est ex quocumque defectu*. Deinde si quod juxta conscientiae regulam non licet, ex principiis directis liceret, juxta eamdem regulam ex principiis reflexis sequeretur unam eamdemque actionem juxta unam eamdemque regulam certo licere et certo non licere, quod idem est ac si dicatur idem simul esse posse verum et falsum. Responsio haec valet etiam ad prioris difficultatis solutionem.

CAPUT VI.

Evertuntur argumenta probabilistarum.

Quae in propriae sententiae patrocinium adduci a probabilistis solent ex aequo pugnant contra singulas a nobis statutas propositiones, unde illorum argumenta promiscue recensebimus, meritaque rejiciemus confutatione. Itaque

Obj. I. Qui judicio se conformat prudenti proculdubio non peccat. Prudens est autem judicium quo judicamus sententiam illam esse vere probabilem quae quum nec Scripturae nec sit rationi contraria argumentis nititur quae hominem prudentem ad assensum merito movent, et oppugnatur rationibus quae solvi facile possunt, atque idcirco qui se in praxi sententiae vere probabili nititur non peccat. II. si viri pietate, doctrina ac prudentia spectabiles opinionem libertati faventem non solum judicarent probabilem sed etiam veram ac certam, atque illam in praxi sequerentur, ipsi sane non peccarent. Nec ergo peccat qui talium virorum se conformat in praxi judicio. III. certum ac lumine naturae notum videtur hoc principium: *Quisquis in praxi conformat se sententiae probabili prudenter agit*. Cujus rei certissimum argumentum est quod idem principium integro fere elapso proxime saeculo fuerit omnibus theologis ita indubitatum ut nequidem probandum putaverint, illud supponentes ut veritatem omnibus manifestissimam.

Resp. ad I. Aliud est judicare sententiam quae nec Scripturae nec traditioni neque rationi opponitur esse sententiam probabilem, aliud vero judicare talem sententiam in praxi tuto sequi posse, faciendo quod illa licere docet quando cum alia opposita concurrit quae non minus prudenter probabilis judicatur. Primum judicium prudens plane est quia firmum ac certum, vere enim talis sententia probabilis est, atque adeo non pecco me illi conformando ac judicando esse probabilem. Ast judicium alterum practicum valde imprudens est quoniam illi me conformando aut falsitatem sequor aut saltem cognito periculo illi me absque

necessitate expono, quum ab eo periculo procul essem si ab actione abstinerem.

Ad 2. Ii viri prudentia doctrina ac pietate praediti opinionem libertati faventem in concursu alterius opinionis aeque probabilis aut etiam probabilioris stantis pro lege vel judicarent veram atque certam judicio intrepido et firmo, vel illam veram judicarent judicio tantum formidoloso et opinativo. Si primum, firmiter judicando opinionem esse veram ac certam cujus contradictoriam cognoscerent aeque aut magis probabilem imprudentissime facerent obmultas in superioribus allatas rationes. Si secundum, ne tunc quidem prudenter se gererent, quum certissimum sit quod Patres ipsique philosophi affirmant, *opinari non esse sapientis*; peccarent videlicet non solum contra legem periculo saltem illius transgrediendae, absque necessitate, sese exponendo, sed etiam contra conscientiam operando absque certitudine cum sola opinione.

Ad 3. In primis si principium illud certum est, ut adversarii jactant, prudenter ergo fecerunt, qui ante damnationem 110. propositionum ab Alexandro VII. et Innocentio XI. factam propositiones illas in praxi secuti sunt, proindeque imprudenter nimis a laudatis summis Pontificibus fuere damnatae. Deinde non magis certum est prudenter agere eum qui se in praxi conformat sententiae probabili libertati faventi in conflictu aeque aut magis probabilis stantis pro lege quam quod prudenter agat medicus pharmacum praescribendo infirmo probabiliter quidem salutare, sed etiam probabiliter vel forte probabilius lethiferum alio relicto certo salutari. Vel quam quod prudenter agat viator viam a latronibus tutam relinquendo, et aliam ingrediendo probabiliter vel probabilius infestam latronibus. Sicut hi omnium judicio certo imprudentissime agunt, ita et illi. Atque hoc tanto-magis quod hi salutem aeternam, illi autem aliquid dumtaxat temporale periculo exponunt. Judicio vero theologorum postremi saeculi qui principium illud ut certum supposuerunt, judicium opponimus omnium Patrum ac theologorum sexdecim priorum saeculorum pluriumque theologorum qui eodem probabilismi saeculo scripserunt. Atque ab illo demum appellamus ad judicium vulgi ex lumine naturae ac ex sensu communi longe sanius judicantis unoque pronunciantis ore quod in rebus dubiis, ut prudenter agamus tutiorem semper amplecti debeamus partem. Neque dicant habere theologos probabilitatem reflexam quae licet locum non habeat in rebus ad temporalem vitam spectantibus, locum tamen habet in moralibus. Non hoc, inquam, regerant, quoniam probabilitas reflexa rerum mutare non potest naturas, multoque minus legem aeternam, unde nequit illa quidquid lege aeterna vetitum est, licitum reddere.

Obj. 2. *In dubiis*, juxta axioma juris, *melior est conditio possidentis*. Quandiu vero certum non est aliquid esse lege prohibitum vel praeceptum semper hominis libertas est in possessione illud agendi vel omittendi quod a lege praeceptum vel prohibitum existimatur; contra quam possessionem nihil lex obtinere debet. II. simile huic est et aliud juris proloquium: *Favores sunt ampliandi et odia restringenda*. Cumque opi-

nio libertati favens sit benignior minusque odiosa quam opinio quae stat pro lege, conseqnitur posse quemlibet juxta opinionem libertati faventem posse semper operari.

Resp. ad 1. Ut allata juris regula possit hic applicari necesse est a probabilistis concedi omne probabile dubium esse. In dubiis autem tutiorem eligendam esse partem jam demonstravimus. Sed hoc omisso si allata regula posset hic applicari, potius ostenderet minime licitum esse sequi opinionem probabilem faventem libertati relicta ea quae favet legi. Longe enim major est ratio dicendi possessionem stare pro lege quam pro libertate, quum lex multo antiquior sit humana libertate, lex quippe aeterna est ipsa divina mens. Et aliunde impius est qui adversus Deum titulum objicit possessionis. Hinc vel ipse Vasquesius celebris inter probabilistas in 1. 2. disp. 65. cap. 3. inquit: *Non potest quis contra Deum opponere quod melior sit conditio possidentis. Et sanè quis imaginari umquam poterit Deum litigare et contendere nobiscum de anterioritate et prioritate possessionis, quinimmo et succumbere in caussa si nostra possessio anterior sit?* Praeterea regula illa de possessione intelligenda est certa et indubitata, non de dubia et controversa. Certum autem non est, imo est valde dubium ac controversum an humana libertas in proposito casu sit in possessione. A nobis quippe omnino negatur; probandum id igitur est ab adversariis, quia in judicio illi probanda possessio est qui se possidere affirmat. Ceterum nullibi in toto jure regula extat his verbis expressa: *in dubiis melior est conditio possidentis*. Sed sequens habetur num. 65. in sexto decretalium: *in pari delicto vel causa potior est conditio possidentis*, quae longe aliud significat quam quod adversarii contendunt. Manifestum nempe omnibus est regulam hanc pro externi fori judicibus esse scriptam, ut sciant quod in causis ad externum forum deductis ubi de temporalibus rebus disceptatur, et conlitigantium par fuerit caussa aut par debitum, judicare potius debeant in favorem bonae fidei quam petitoris. Sed regulam hanc in favorem trahere velle libertatis humanae quasi titulo suae possessionis contra divinam legem praescribere tentantis ridiculum est. Quasi vero legum humanarum conditores quibus solius justitiae in foro exteriori administrandae cura fuit cogitaverint de praescribendis regulis secundum quas licitum sit sequi opinionem probabilem. Diversimode plane se res habet in foro interiori ubi est peccandi periculum. Hinc in cap. *illud*, *de cler. excom. min.* episcopus quamvis in possessione esset suae libertatis communicandi cum fidelibus, nihilominus deponitur quoniam in caussa dubia tutiorem non elegerat partem. In cap. *inquisit. de sent. excom.* mulier dubitans de impedimento matrimonii dirimente, licet in possessione esset petendi debitum; prohibetur tamen permanente dubio. Innumera generis hujus in jure canonico occurrunt.

Ad 2. respondeo verbis S. Thomae 2. 2. q. 147. a. 2. ad 3. *Praecepta divina non sunt contra libertatem populi fidelis, sed magis sunt utilia ad impediendam servitutem peccati quae repugnat libertati spi-*

rituali, *de qua dicitur ad Gal.* 5. *Vos enim fratres vocati estis in libertatem, tamen ne libertatem detis in occasionem carnis*. Et revera opiniones faventes legi in spirituale cedunt lucrum animarum, unde nonnisi per summum nefas dici possunt odiosae. Praeterea regula illa juris locum non habet ubi de licito et illicito sermo instituitur, quoniam ea regula loquitur de poenis. Praescribitur nimirum judicibus norma ut si aliquem delictum patrasse non constet, poena delicto debita non infligatur. Si vero dubium sit illum esse reum, minor ei assignetur poena.

Obj. 3. Alexander Papa III. in lib. 4. decretal. tit. 11. *de cognat. spirit.* c. 2. interrogatus, *si vir vel mulier scienter vel ignoranter filium suum de sacro fonte susceperit*, *an propter hoc debeant separari*, respondit: *Quamvis generaliter sit constitutum ut debeant separari*, *quidam tamen humanius sentientes aliter statuerunt: ideoque nobis videtur*, *quod sive ex ignorantia sive ex malitia id fecerint non sunt ab invicem separandi*. Hic jam duas habemus probabiles opiniones quarum una rigida est ac probabilior conjuges videlicet illos esse separandos, ait enim Alexander sic esse generaliter constitutum; altera benignior ac minus probabilis non esse scilicet conjuges separandos, quum de illa Alexander dicat: *quidam tamen humanius sentientes*. Nihilominus summus Pontifex rigida probabiliorique relicta opinione benigniorem elegit ac minus probabilem: *nobis videtur ... quod non sunt ab invicem separandi*. Licitum itaque est opinionem sequi mere probabilem in concursu probabilioris. II. in cap. *litteras* de *rest. spol.* habetur quod Innocentius III. a Gerardo bituricensi antistite consultus quid faciendum esset de muliere quae non expectato Ecclesiae judicio a marito recesserat, impedimentum obtendens consanguinitatis, summus Pontifex, inquam, duas recitat oppositas sententias quarum altera tenet ut illa mulier marito reddatur antequam judicialis controversia instituatur, altera vero quae oppositum tenet, et subinde concludit: *Nos autem ad praesens nullam de praedictis sententiis reprobamus*; *nec cuiquam earum aliquod praejudicium ex nostra responsione volumus generari*. Juxta responsionem ergo Innocentii III. ex duabus oppositis opinionibus quarum una libertati, altera legi faveat, liberum est utramlibet amplecti; et in materia quidem gravi in qua non absque certa animae pernicie una ex illis sententiis ad praxim reduceretur nisi sequi liceret utramlibet. III. una ex iis opinionibus cui praejudicium offerre noluit Innocentius erat Lucii item III. qui reprehenderat judices quod virum ab uxore separatum ex quo impedimentum canonicum consanguinitatis inter ipsum et conjugem intercedere assereret, ad matrimonii invaliditatis probationem prius admisissent quam maritum suum mulieri restituissent spoliatae: ipsisque judicibus mandat ut mulieri virum ante omnia restitui faciant, et postea de matrimonii cognoscant validitate. Eo in casu probabile tantum erat validum esse matrimonium. Et nihilominus jubet Pontifex uxori virum restitui, utique ad debitum conjugale, prius quam de valore cognosceretur matrimonii. Licitum itaque est sequi opinionem mere probabilem non obstante periculo legem infringendi na-

turae . IV. idem Innocentius III. cap. *tuae extra de sent. excom.* consultus an conjux cui certum non sit suum subsistere matrimonium petere possit ac reddere debitum, respondit: *Distinguimus utrum habeat conscientiam hujusmodi ex credulitate levi et temeraria , an probabili et discreta . Et quidem ad sui pastoris consilium (conscientia levi et temerariae credulitatis explosa) licite potest non solum reddere , sed exigere debitum conjugale . Verum cum conscientia pulsat animum ex credulitate probabili et discreta quamvis non evidenti et manifesta debitum quidem reddere potest , sed postulare non debet , ne in alterutrum vel contra legem conjugii vel contra judicium conscientiae committat offensam* . Ex quibus manifestum est licere in praxi quod speculative tantum licere probabile est . Nam in allato casu conjugi ad summum erat dumtaxat probabile matrimonium suum validum esse , atque adeo speculative tantum probabile quod liceret reddere debitum . Et tamen Innocentio III. decernente certum est tali conjugi in praxi licitum esse reddere debitum . V. etiam Coelestinus III. in cap. *fraternitatis* excusat episcopum antisiodorensem quod separaverit Odoardem mulierem a viro suo, per errorem probabilem . Ait namque : *Sententiam divortii per errorem licet probabilem , novimus esse prolatam* . Si quis igitur opinioni probabili innixus errat non peccat .

Resp. ad 1. Falsum est minus probabilem benigni oremque , ut ajunt, esse opinionem illorum qui *humanius* sentientes statuerunt conjuges illos non esse separandos, imo vero opinio haec rigidior est et altera probabilior , utpote quae legi favet matrimonii cujus indissolubilitas est de jure tum naturae tum positivo divino . Quare quum hanc Alexander III. elegerit, rigidiorem proculdubio probabilioremque sequutus est, et ut talem illam se eligere arbitratus est , ut patet ex firmissima quam affert ratione cur opinionem illam elegerit , ait enim : *Quia si ex ignorantia id factum est ignorantia eos excusare videtur ; si ex malitia eis sua fraus non debet patrocinari vel dolus* . Nec quidquam adversariorum juvat sententiam quod ibi Pontifex dicat esse *generaliter constitutum , ut debeant seperari* ; per haec enim verba digitum intendit ad Papae Deusdedit definitionem qua sanciverat ut mulieres quae proprios filios ex sacro fonte levaverant a maritis separarentur et post annum alio nuberent viro . Haec est illa constitutio quae canonistarum ingenia tantopere torquet . Ut ut sit Nicolaus I. in suo rescripto quod habetur cap. *de his* , decernit non esse separandos . Hinc ea de re consultus etiam Alexander III. merito inquit : *Quamvis sit generaliter constitutum ut debeant separari* , per constitutionem Papae Deusdedit; quidam tamen rescripto innixi Nicolai I. *humanius sentientes aliter statuerunt* . Nullam ergo vim adversarii invenire in clausula illa possunt . Sed nec quidquam proficiunt addentes dixisse Alexandrum , *quidam humanius sentientes*, quasi horum opinio benignior esset minusque probabilis . Nam 1. horum opinio favet juri tum naturae tum positivo divino , fert enim conjuges non esse separandos ; proindeque rigidior est altera quae legi favet dumtaxat ecclesiasticae de

nullitate matrimonii inter cognatos ac consanguineos. 2. Afferuntur ab Alexandro verba illa tamquam ratio suae responsionis, adeoque denotant opinionem illorum qui humanius sentiebant fuisse probabiliorem; alioquin suae resolutionis sensus esset: *opinio docens conjuges illos non esse separandos est minus probabilis illa qua generaliter constitutum est ut separentur; atque idcirco minus probabilis eligenda est*: quod quam a recta sit alienum ratiocinatione nemo non videt. 3. Quid ergo phrasis illa, *quidam humanius sentientes*, significat? Nempe, juxta Ostrensem aliosque canonistas, *quidam aequius*, *rationabilius sentientes*: et phrasi huic italae respondet, *alcuni pensando più da uomo*. Italice enim qui sapiens vere est dicitur simpliciter et absque ullo addito homo.

Ad 2. Argumentum adversariorum laborat, ut inquiunt, in falso supposito. Falso enim supponit unam ex iis opinionibus quibus Innocentius praejudicare noluit stare pro libertate, alteram vero pro lege. Nam utraque opinio revera stat pro praecepto. Opinio scilicet affirmans mulierem reddendam esse marito ante ecclesiasticum judicium stat pro lege matrimonii, *quod Deus conjunxit, homo non separet*. Altera autem affirmans prius cognoscendam esse consanguinitatis causam, deinde mulierem restituendam stat pro lege ecclesiastica connubia inter consangnineos vetante. Innocentius ergo dicens neutram se improbare sententiam facultatem facit sequendi utramlibet opinionem faventem legi, non ut adversarii falso supponunt sequendi vel illam quae legi favet, vel illam quae stat pro libertate. Deinde ex quo Innocentius neutram improbaverit opinionem non sequitur licitum esse utramlibet in praxi amplecti, quia aliud est non improbare, et aliud aliquam approbare opinionem; alioquin immerito haec damnata fuisset propositio: *Si liber sit alicujus junioris, debet opinio censeri probabilis dummodo non constet rejectam esse a Sede apostolica tamquam improbabilem*.

Ad 3. Lucius III. jussit ut mulier restitueretur marito cum ea tamen conditione ut reddere posset, non petere conjugale debitum. Atque in hoc summus Pontifex sententiam amplexus est matrimonii legi faventem; unde rationem afferens inquit teneri illam reddere debitum ne peccet contra legem conjugii, atque ut obediat Ecclesiae cujus judicio facta est restitutio. Nihil ergo ex eo colligi potest rescripto.

Ad 4. Eodem modo solvitur et illud aliud quod ex Innocentio III. objectum est. Nam inquit ipse: *Cum conscientia pulsat animum ex credulitate probabili et discreta, quamvis non evidenti et manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet, ne in alterutro vel contra legem conjugii vel contra judicium conscientiae committat offensam*. Imo responsio Innocentii nostrae favet non adversariorum sententiae. Nam si licitum foret opinionem sequi probabilem libertati faventem in concursu aeque aut magis probabilis stantis pro lege, praecepisset summus Pontifex mulieri non solum ut redderet sed etiam ut debitum postularet. Debiti namque petitio favebat mulieris libertati. Ast negat hoc Innocentius mulieri.

Ad 5. Error per quem antisiodorensis episcopus Odoardis divortium

cum viro suo celebraverat appellatur probabilis non quod ex episcopi opinativa conscientia ortus esset, sed quod erraverit ex ignorantia invincibili. Omnia episcopus adhibuit consueta media ut agnosceret an Odoardes matrimonio esset idonea, cumque relatum illi fuisset non posse mulierem illam esse matrem, vinculum solvit matrimonii. Non multo autem post factum est ut impedimentum illud evanuerit. Causa delata est ad summum Pontificem qui declaravit errasse episcopum, sed absque culpa, quoniam error ille fuit error probabilis, unde ait: *sententiam divortii per errorem licet probabilem, novimus esse prolatam, cum pateat ex post facto quod ipsa cognoscibilis erat*. In vanum ergo ad jus canonicum et rescripta Pontificum provocant probabilistae.

Obj. 4. multa sanctorum dicta. I. S. P. Augustinus saepe in suis operibus a culpa excusat S. Cyprianum qui contendens ab haeresi venientes esse rebaptizandos sententiam proculdubio sequutus est minus probabilem in concursu oppositae probabilioris, quam Stephanus R. P. tuebatur. Idem S. doctor in lib. 1. de *coujugiis adulterinis* cap. 26. affirmat baptizandum esse catechumenum qui in mortis articulo constitutus dubium est an sacramentum desideret, probabiliori repudiata opinione quae tenet non esse tali catechumeno conferenda sacramenta, quum Evangelium dicat: *Nolite sanctum dare canibus*. Rursus in ep. 82. alias 19. cap. 1. ad Hieronymum agens de legalium usu per Apostolos, inquit: *Solis eis Scripturarum libris qui jam canonici appellantur didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam ... Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant non ideo verum putem quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos auctores canonicos vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt*. Ex quibus apparet solam Augustino satis fuisse ad judicandum probabilitatem. II. S. Leo M. in ep. ad Rusticum narbon. *In his*, inquit, *quae dubia sunt vel obscura id noverimus sequendum quod nec praeceptis evangelicis nec decretis sanctorum Patrum inveniatur adversum*. En in terminis probabilistarum systema. III. S. Thomas quodl. 8. a. 13. scribit: *Si ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, sic nec committit se crimini, nec peccat*. Qui autem opinionem sequitur minus probabilem in nullam adducitur dubitationem. IV. S. Antoninus 1. p. tit. 3. . 10. haec habet: *Qui agit scienter id de quo dubitat esse mortale permanente dubitatione peccat mortaliter. Sed si dubitet leviter quis per modum scrupuli agendo contra tale dubium non peccat dum adhaeret opinioni alicujus doctoris, et habet rationes probabiles pro ipsa magis quam pro opposita opinione: etiamsi ipsa opinio quam tenet non esset vera. Et hoc nisi opinio sumpta esset contra manifestum testimonium Scripturae vel determinationis Ecclesiae*. Et cuidam a quo consultus fuerat respondisse fertur: *Ex responsis quae videntur data ab Alberto magno habetur quod frater simplex vel quilibet homo cum salute potest sequi in consilio quamcumque opinionem voluerit, dummodo alicujus doctoris ma-*

gni opinionem sequatur. En ex Antonino integrum probabilistarum systema.

Resp. ad 1. Falsum est Cyprianum ab Augustino excusari ea praecise de caussa quod opinionem sequutus sit minus probabilem. Nam quamvis multas adducat excusationis caussas, nullam tamen desumit ex probabilismo, bene vero vel ex numero antistitum qui illius sententiae suffragabantur vel ex africanis conciliis quae contrafaciebant consuetudini ceterarum ecclesiarum, vel ex quo ejusmodi consuetudo non esset admodum longa antiquitate firmata, vel ex quo et praecipue non esset adhuc hac super re aliquod plenarium celebratum concilium. *Has rationes arripuit*, inquit objecto loco, *quas modo nos antiquitate ipsius consuetudinis, et plenarii postea concilii auctoritate firmati diligentius considerantes, verisimiles potius quam veras esse invenimus*. Addit quod si culpam aliquam in controversia contraxit abstersit illam proprio sanguine. Videsis lib. 4. cont. Donatistas, et lib. 2. cont. Crescon. Nec a culpa liberari per probabilismum potuisset. Nam quamvis Cyprianus minus probabilem amplexus fuerit in caussa rebaptizantium opinionem, in illius tamen mente opinio illa probabilior erat opposita, utpote quae in consuetudine totius fere Africae aliarumque finitimarum ecclesiarum fundaretur, et in ea ratione quod *in ecclesia haereticorum ut fides ita aqua fit mendax*. E contra traditionem quam Stephanus summus Pontifex urgebat putabat esse traditionem solius Ecclesiae Romanae. Quare in facto Cypriani nullum invenire possunt probabilistae patrocinium. Falsum est quoque Augustinum in lib. 1. de conjug. adulterinis capite citato minus probabilem secutum fuisse opinionem probabiliori rejecta. Imo docet ibi catechumenum in mortis periculo constitutum baptizandum esse etiamsi petere sacramentum nequeat, quoniam qui adhuc sanus baptismum desideraverat praesumendum est multo magis optare in periculo mortis, et huic innixus rationi probabiliorem censuit, uti reapse erat, propriam sententiam. Erroris tamen non damnat oppositam sententiam quoniam innititur Christi verbis licet male intellectis, *nolite sanctum dare canibus*. In ep. ad Hieronymum *per probabilem rationem* intelligit S. Pater opinionem quae a vero non abhorreat, quaeque a contraria sive aeque sive magis probabili non labefactetur, et cujus veritatem ac certitudinem assequi non potuerit qui sic opinatur. Patet id ex ipsa Augustini verborum lectione. Ceterum non video qua fronte ad hunc S. doctoris locum provocent adversarii. Nam ibi docet scriptores non canonicos ita esse legendos ut quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant, non ideo verum putandum sit quia ipsi ita senserunt, sed quia vel per auctores canonicos vel probabili ratione persuadere potuerunt quod a vero non abhorreat. Probabilistae autem affirmant licitum esse opinionem rejicere probabiliorem ut minus probabilem sequamur. Docet Augustinus non ita Hieronymi libros legendos quasi errare ille non potuerit. Et probabilistae contendunt tuta conscientia amplecti posse quidquid Caramuel, Diana, Tamburinus, Escobarius, Bussembaum, aliique hujus generis tradiderunt. En quomodo probabilistis favet Augustinus.

Ad 2. Bene habet S. Leo quod in rebus dubiis opinionem eligere debeamus Scripturis ac Patribus non adversam. Sed jam sapientissimus ille Pontifex supponit omne nos impendisse studium in veritate invenienda, eamque assequi non potuisse. Cumque in agendo sit conscientiae firmitas ac certitudo necessaria ad eam in proposito casu induendam, eligere debemus quod nec Scripturis nec sanctis Patribus est adversum. Ast ubi duae oppositae opiniones animum pulsant potest ne per illud principium a probabilistis assumptum, dubium amitti, praesertim si una probabilis appareat, altera probabilior? Sed videamus quam impense adversariis S. Leo faveat. Serm. 11. de quadr. scribit: *Quis conscientiae suae aut tam gratiosus aut tam imperitus est arbiter qui ignoret quid a se auferri aut quid in se oporteat augeri? Non ergo per omnia sibi placeat, nec se secundum carnis oblectamenta dijudicet, sed omnem consuetudinem suam in divinorum praeceptorum lance constituat, ubi cum alia jubeantur ut fiant, alia interdicantur ut non fiant, justo se trutinabit examine qui vitae suae mores ex utriusque ponderis comparatione pensaverit*. Quam belle S. Leo probabilistis consentit!

Ad 3. Fieri nequaquam potest, ut saepe diximus, hominem de uno eodemque actu duas habentem contrarias opiniones in dubitationem non induci. S. autem Thomas recte ait quod si quis de eodem duas habeat contrarias opiniones, et unam ex illis quae tamen vera sit absque ulla dubitatione eligat non committit se crimini nec peccat nec se contra legem peccandi exponit periculo. Si in nullam dubitationem inducitur jam habet conscientiam certam; et ita contra conscientiam non peccat. Hanc vero esse S. Thomae mentem ex iis patet quae superiori capite attulimus.

Ad 4. Adversariorum miramur confidentiam in auctoritate producenda S. Antonini. Nam is loco citato modum describens quem tenere fidelis debet ubi animus illius inter duas contrarias haereat opiniones vult *ut quis se ad gratiam praepararet quantum potest, ut sapientiam invocet per orationem, ut Scripturas diligenter investiget, ut quaerat eam quasi pecuniam, ut adhibeat diligentiam in inquirendo ... Sic agendo contra tale dubium non peccat, dum adhaeret opinioni alicujus doctoris et habet rationes probabiles pro ipsa magis quam pro opposita opinione*. Similia habet eodem in loco docetque non peccare hominem si *ex contrarietate talium opinionum non inducatur ad dubitandum, sed bonam sibi conscientiam et credulitatem formet de eo quod credit tamquam de probabiliori parte*. Possunt ne haec cum principiis convenire probabilistarum? In verbis itaque ab adversariis allatis loquitur Antoninus de eo qui conscientiam habet scrupulosam quae ad magni alicujus doctoris consilium deponenda est. Idipsum de responso sive Antonini sive Alberti magni dicendum est. Ex ipsis quippe verbis patet fieri ibi sermonem de conscientia scrupulosa. Solent a probabilistis et alia objici argumenta ex S. Scriptura desumpta de facilitate legis et jugi Domini suavitate etc. quae facilem habent solutionem, et explicata videri possunt apud l' Hermenier, Berti, Vendrochium, aliosque probatos auctores. De tota

hac controversia legant tyrones Fagnanum, Merbesium ac prae ceteris Gasparem Juvenin tom. 4. instit. qui admodum perspicue et enucleate pro more suo rem totam versat.

CAPUT VII.

De opinione probabiliori in concursu minus probabilis.

Hujus controversiae status est an in praxi licitum sit sequi opinionem probabilem faventem libertati relicta minus probabili quae stat pro lege. Ad quod recte assequendum animadverte quod in materia morum ex duabus oppositis sententiis una ut plurimum favet legi, altera libertati. Puta si quaeratur an contractus sit nec ne usurarius adeoque licitus, opinio affirmans contractum esse illicitum favet legi usuras prohibenti; opinio vero tenens esse licitum stat pro humana libertate cujus arbitrio illum celebrare relinquitur. Prior dicitur tuta quoniam in tuto ponit hominem a periculo peccandi, posterior autem non tuta quoniam etsi probabilissima sit, hominem a peccandi periculo tutum non reddit. Dixi opinionem faventem libertati hominem non reddere a culpa tutum *licet probabilissima sit*, etenim sola manifesta veritas, non probabilitas seu verisimilitudo hominem a culpa tuto immunem reddere potest. Dixi etiam ex duabus oppositis sententiis unam legi, alteram favere libertati, *ut plurimum*, quia non raro accidit utramque oppositam sententiam stare pro lege. Ita sententia quae affirmat teneri judicem damnare innocentem si secundum acta et probata reus appareat, favet legi quae administrationem justitiae jubet in republica. Sententia autem opposita et ipsa legi favet quae prohibet homicidium.

Animadvertendum praeterea est aliquam sententiam esse posse tutam licet minus probabilis sit opposita: tuta quia favet legi, minus vero probabilis quia minora pro se habet momenta quam opposita quae stat pro libertate. Ita opinio affirmans teneri hominem statim post mortale admissum peccatum elicere actum contritionis est tutior opposita, sed minus probabilis.

Joannes Sinnichius, Guilelmus Vendrokius, Van-Roy, Elbecque, Genettus, aliique perpauci tenent numquam licitum esse sententiam sequi libertati faventem nisi vera sit, quamvis probabilissima ac probabilior sit sententia opposita stante pro lege. Atque ita insignes hi theologi probabilismum confutando in oppositum scopulum impegerunt. Nos mediam viam tenentes, adversus probabilistas licitum esse negamus sequi opinionem probabilem libertati faventem in conflictu opinionis vel aeque vel magis probabilis stantis pro lege. Contra hos autem rigidos theologos quos tutioristas appellant affirmamus licitum esse homini sententiam amplecti faventem libertati etiamsi evidens ac manifesta non sit, dummodo sit probabilior opposita quae stat pro praecepto. Unde sit

CONCLUSIO

Licitum est in praxi sequi opinionem probabiliorem faventem libertati, relicta minus probabili licet tuta quae stat pro lege.

Prob. 1. Dari directe nequit obligatio sententiam amplectendi minus probabilem, sed ad summum tantum indirecte, ut in materia accidit sacramentorum in quibus administrandis sententiam etsi minus probabilem, tutam tamen sequi tenemur ob rationes inferius adducendas. Et patet ex ipsa probabilis ac probabilioris opinionis notione. Illa quippe sententia dicitur probabilior quam ad veritatem magis dignoscimus accedere magisque recedere a falsitate. E contra ea sententia minus probabilis appellatur quam magis a veritate abesse cognoscimus magisque accedere ad falsitatem. Porro dari nequit directa obligatio recedendi a veritate magisque ad falsitatem accedendi, intellectus enim habet pro objecto verum, adeoque obligari nequit ut id quod falsitati magis quam veritati propinquum est affirmet. Et voluntas habet pro objecto bonum, unde sequi partem illam non potest ubi malum experitur falsitatis, partemque relinquere illam in qua bonum situm est veritatis. Atque hoc sensu ni fallor Apostolus ad Rom. cap. 12. jubet ut rationabile sit obsequium nostrum. Deus siquidem qui obsequium a nobis ac obedientiam exigit vult ut fiat modo rationabili, ut videlicet veritatem in omnibus inquiramus, et ubi homo illam invenire nequeat id amplectatur quod ad veritatem magis accedit; atque ita repugnat ut ad illam sequendam sententiam velit nos obligare quae est minus probabilis, et per consequens licitum est homini opinionem amplecti faventem libertati dummodo probabilior sit opposita quae favet legi. Quod argumenti genus illustratur adhuc 1. ex quo contracta per originale peccatum ignorantia, ubi veritas nequeat inveniri nemo certitudinem metaphysicam in suis quaerit actionibus, alioquin nemo propriam habitabit domum, nemo mari se committet, nemo sumet cibum, potest quippe ruere domus, potest esse in mari naufragium, potest in cibo latere venenum. 2. Ex communi hominum operandi modo qui prudenter agere existimantur etiamsi sola ducantur probabilitate quae certitudinem pariat moralem. Hinc prudenter agere censetur mercator qui probabili dumtaxat spe lucri pecuniam impendit in mercibus, prudenter censetur agere amicus qui probabili tantum spe restitutionis mutuo dat pecuniam amico, et ita in reliquis. 3. In quibus aliisque exemplis quae afferri possent innumeris aperte observamus tunc hominem prudenter operari quando majorem sequitur probabilitatem. Cur ergo dicendum non est prudenter agere hominem qui in duarum opinionum concursu quarum una libertati favens probabilior est altera stante pro lege, amplectitur illam quae favet libertati?

Prob. 2. ratione S. Thomae. Si licitum non esset sequi opinionem probabiliorem faventem libertati in concursu minus probabilis stantis pro lege, necesse foret ut homo in singulis actionibus suis firmam absolutam-

que haberet certitudinem, quod tamen necessarium non esse demonstrat S. Thomas qui in 2. 2. q. 709. a. 2. inquit: *Certitudo non est quaerenda in omni materia; in actibus enim humanis super quibus constituuntur judicia, et exiguntur testimonia non potest haberi certitudo demonstrativa, eo quod sunt circa contingentia et variabilia: et ideo sufficit probabilis certitudo quae in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus a veritate deficiat. Est autem probabile quod magis veritatem contineat dictum multorum, quam dictum unius.* Cui principio innixus quodl. 8. a. 13. statuit, quod *si aliquis adhibens diligentiam inquirens an habere plures praebendas sit licitum, nec invenit aliquid quod ipsum moveat ad hoc quod sit illicitum, videtur quod sine peccato plures possit habere praebendas*. Et tamen magis tutum erit unicam tantum habere praebendam. Similia tradit S. Antoninus 1. p. sum. tit. 3. cap. 10.

Prob. 3. ex Eccl. definitione. Alexander VIII. an. 1690. hanc proscripsit propositionem: *Non licet sequi opinionem probabilem, vel inter probabiles probabilissimam*. Nec reponere juvat non exprimi in ea propositione concursum cum opinione quae legi favet. Nam primo accipi ea debet propositio in sensu obvio ac naturali. Porro obvius ac naturalis sensus indicat in singulis humanis actibus certitudinem requiri et evidentiam physicam et mathematicam de honestate actionis, quae quum in opinione probabiliori favente libertati in concursu minus probabilis stantis pro lege non inveniatur, sequitur sensum propositionis esse, licitum non esse opinionem sequi probabiliorem stantem pro libertate in concursu minus probabilis legi faventis, proindeque hoc sensu proscripta videtur. Deinde quid opus erat ut summus Pontifex explicaret licitum esse sequi opinionem probabilissimam dummodo contra legem non pugnet? Nemo enim umquam in dubium id revocavit.

Respondetur adversariis.

Obj. 1. Qui opinionem sequitur faventem libertati etiam probabiliorem relicta minus probabili stante pro lege adeoque tuta, periculo se exponit peccandi. Nam opinio probabilis quantumvis probabilissima dici nequit vera, quum nil aliud sit probabilitas quam verisimilitudo. Hinc si certum non sit probabiliorem sententiam esse veram fieri potest ut sit falsa. Et pluries quidem accidit ut sententiae quae habitae sunt a multis tamquam probabilissimae, ab aliis vel etiam ab iisdem, rebus maturius excussis, agnitae sint revera falsae, atque idcirco qui hujusmodi sententias amplectuntur semper errare timent, eoque modo peccandi periculo se exponunt. II. et revera qui secundum opinionem etiam probabiliorem agit semper in agendo timorem retinet errandi, quod manifestum fit ex ipsa opinionis natura. Nam dari nequit opinio intra limites probabilitatis sine formidine de opposito. Puta si quis judicet licitum esse contractum quando lex clara non est et innuere videtur esse illicitum, non potest aliquam

non habere suspicionem contractum illum esse illicitum. Atque hinc est quod S. P. Augustinus lib. de utilit. cred. cap. 11. posteaquam distinxisset inter intelligere, credere, opinari, ait, *tertium numquam sine vitio esse.*

Resp. ad 1. Si illud adversariorum valeret principium deberent homines ab omni abstinere actione. Quoties enim mercatoribus accidit ut eventus spem eorum fefellerit? Abjicienda ergo erit omnino mercatura. Non raro amicos amici deceperunt. Ab humana itaque societate omnem abjiciamus amicitiam. Et ita per alias excurrendo humanas actiones. Has non admittunt adversarii illationes nec imprudentiae arguere audent eos qui mercaturam exercent, qui mari se committunt, qui fovent et colunt amicitias. Quare? quia etsi pericula isthaec acciderint aliquando atque evenire deinceps possint, probabilius tamen est ut non eveniant. Similiter ergo etsi major probabilitas non omnem auferat errandi timorem etsi opiniones probabilissimae agnitae sint aliquando a nonnullis progressu temporis falsae, nihilominus qui opinionem amplectitur probabiliorem libertati faventem prudenter operatur quia juxta rationalis creaturae conditionem agendo proxime accedit ad veritatem. Praeterea falsum est eum qui opinionem sequitur probabiliorem faventem libertati retinere in agendo timorem errandi. Timor quippe est animi passio quae in nobis ex apprehensione mali proximi ac imminentis excitatur, quod si malum a nobis procul apprehendatur nullus in nobis timor est. Ita sanus ac robustus adolescens quamvis sciat se moriturum, quoniam tamen mortem procul a se concipit, mortem non timet. Novit plane posse repentina se morte abripi, quum videat non paucis id quotidie accidere, sed quia plerisque non evenit a se procul illam abesse existimat, proindeque non turbatur. Extimesceret tamen si incideret in morbum, mortemque sibi imminere conciperet. Ita in casu nostro latet in opinione probabiliori timor errandi peccandique periculum, sed remotus ille est, non proximus, quoniam licet aliquando evenerit ut probabilissima opinio maturius excussa inventa sit falsa, raro tamen id accidit, atque idcirco absque ullo errandi timore sententiam probabiliorem amplectimur. Atque haec est moralis illa certitudo quam antiprobabilistae in rebus moralibus necessariam esse contendunt ut prudenter quis operetur, neque enim certitudo mathematica exigenda ab hominibus est in suis actionibus.

Ad 2. Opinio quae opposita probabilior est, ut in casu nostro, nullam secum fert dubitationem. Dubitatio siquidem judicii importat suspensionem quae locum in animo probabiliorem eligente opinionem non habet. Omnis quidem opinio adnexam habet formidinem de opposito. Sed si illa probabilior sit opinione contraria, formido erit remota atque excludet certitudinem mathematicam, non certitudinem moralem qualis in actibus eligendis humanis requiritur. Hinc falsum est eum qui probabilius existimat talem contractum esse licitum, ab opposita pulsari opinione stante pro lege, cogique dicere, forsitan contractus erit illicitus. Si enim id esset, probabilius non judicaret contractum esse licitum. Augustinus autem non ea de caussa quam adversarii praetexunt, affirmat, numquam opi-

nionem esse sine vitio, sed quia opinio nascitur ex ignorantia quae utpote poena peccati mala est. Et etiam quia loquitur ibi contra manichaeos qui *terribili auctoritate separata* jactant superba praesumptione *ineffabilia penetralia veritatis rectissime se metiri*, suosque auditores *mera et simplici ratione introducturos ad Deum, et errore omni liberaturos*: quorum opinio certe est damnanda. Audias ad rem sic exordientem: *Tria sunt*, inquit, *hominum genera, profecto improbanda ac detestanda. Unum est opinantium, idest, eorum qui se arbitrantur scire quod nesciunt*. Ceterum si quis juxta Augustini principia invincibili ignorantia laborans, Spiritus sancti implorando adjutorium opinatur, id vitio verti illi non potest, atque adeo loco in argumento laudato consulto addit: *quae si per se ipsa considerentur ... tertium* etc.

Obj. 2. Innocentius XI. hanc damnavit propositionem: *Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiori*, jussitque opinioni adhaerendum esse tutae etiam minus probabili, opposita relicta probabiliori. Cur id nisi ut periculum vitetur nullitatis? Similiter ergo ubi de moralibus sermo fit actionibus sequenda est opinio tuta favens legi etiam minus probabilis, relicta probabiliori quae stat pro libertate; utrobique enim par ratio; alioquin in periculum peccandi impingemus. II. patet hoc vel ex ipso communi operandi modo. Ita si quis aliqua probabilitate cognosceret cibum esse veneno infectum, etsi validissimae offerrentur ei rationes quae contrarium ostenderent numquid de cibo illo sumeret? Nemo iter per viam arriperet probabilissime a latronibus immunem, relicta illa quae certo ac tuto ab omnibus libera est insidiis. A pari ergo nonnisi impudentissimus erit homo qui opinionem sequitur etiam probabilissimam quae favet libertati, relicta tuta quae stat pro praecepto.

Resp. ad 1. Latissimum esse inter utrumque discrimen. Honestas enim humanarum actionum prout sunt ad ultimum finem dirigendae dependet ex nostra conscientia, atque adeo ad bene operandum opus est actiones nostras conformare rationi quae dictat ut ad veritatem quantum fieri potest accedamus. E contra validitas sacramentorum non a nostra conscientia, sed a Christi dependet institutione, ac proinde necesse est ut sacramentorum confectio et administratio Christi institutioni quantum fieri potest conformetur. Homo bene operatur ut ultimum consequatur finem. Ad illum autem obtinendum opus est ut actiones suas legi aeternae conformet non qualis in se est, sed prout a nobis dignoscitur; alioquin qui per invincibilem ignorantiam peccando se bene operari putaret, jam reus esset criminis et ab ultimo fine deflecteret; quod ab Ecclesia damnatum est. E contra qui per errorem se peccatum patrare censeret in eo quod non est contra legem aeternam, recte operaretur, quia etsi non ageret juxta conscientiam, ageret tamen juxta legem; quod pariter falsum est. Quare in dubium verti nequit quin homo ad recte operandum actiones suas conformare teneatur aeternae legi non prout est in se, sed prout a nobis dignoscitur. Quoad valorem autem sacramentorum qui illa re-

cipiunt vel administrant tamquam finem sibi proponunt recipere ac dare gratiam sanctificantem; ob hanc quippe instituta sunt sacramenta. Ad eum autem consequendum finem necesse est ut conformetur homo Christi institutioni, non prout a ratione nostra dignoscitur, sed qualis in se revera est. Hinc si quis ob invincibilem ignorantiam vel ob inculpabilem inadvertentiam aliquid substantiale in iis conficiendis mutaret, suum non consequerctur finem, hoc est sacramentum non conficeret. Ex quibus clarum fit ad valorem sacramentorum teneri hominem opinionem sequi tutam quamvis minus probabilis sit opposita; non teneri autem tutam amplecti opinionem relicta probabiliori ubi sermo fit de honestate actuum humanorum.

Ad 2. Nulla est inter allata exempla ac nostram thesim instituta comparatio. Et quoad primum, ideo imprudenter se gereret qui cibum manducaret de quo aliquam licet levissimam haberet conjecturam quod veneno fuerit contaminatus propterea quod mors quae timetur non a ratione dependet humana quae dictare ac definire debeat esse vel non esse veneno infectum cibum, sed dependet a cibo ipso a parte rei. Si namque sit veneno commixtus, innumerae sive rationes sive auctoritates quae in contrarium afferri possent hominem vescentem a morte non liberarent. E contra actuum humanorum honestas dependet, ut supra diximus, a conscientia nostra, hoc est a lumine rationis. Cumque nobis ratio dictet ut quod magis ad veritatem accedit amplectamur, illudque abjiciamus quod a veritate magis recedit, imprudenter plane se gereret qui probabiliori relicta sententia quae favet libertati minus probabilem amplecteretur quae stat pro praecepto. Quod ad alterum spectat exemplum et alia quae afferri possent facilis est responsio, nempe ubi de rebus agitur facti idem est tutum ac verum. Hinc via tuta idem significat ac viam de qua verum est ab omnibus immunem esse insidiis. Si quis ergo peregrinus viam tutam invenerit, veritatem invenerit viae; ac proinde ratio dictat ut per illam iter aggrediatur. Ast non ita se res habet in casu nostro. Ille cujus animo obversatur sententia quae legi favet minus probabilis, non modo veritatem non invenit sed magis ad veritatem accedit opinionem sequendo quae favet libertati, proindeque hanc, non illam sequi tenetur. Atque pauca haec de actibus humanis pro instituti nostri ratione dicta sufficiant.

INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

LIBER XXXII.

DE LEGIBUS.

Praecedenti libro cap. 4. diximus non solum conscientiam ac voluntatem divinam, sed leges quoque tum Dei tum hominum regulam esse morum, hoc est esse normam quamdam ad quam actus humani exigi debent. Quoniam ergo de divina voluntate tomo harum institutionum secundo, de conscientia vero superiori libro pertractavimus, par est ut modo de legibus quantum instituti nostri ratio patitur breviter disseramus. Quae cum multae sint, alia est quippe lex aeterna, alia naturalis, positiva divina alia, et alia humana, idcirco de singulis erit hoc in libro disputandum. Atque tractatio haec infelicissimis nostris temporibus praesertim necessaria est in quibus impiorum hominum turba ex orco caput efferens sub specioso philosophiae nomine exleges ipsi universum fere orbem terrarum exlegem fecerunt, omnium omnino excusso legum jugo non modo humanarum atque divinarum, sed etiam naturae. Atque lacrymabilis haec philosophandi ratio tam multas occupavit mundi partes, ut verificari incipiat quod Christus Dominus apud Lucam aliquando futurum praedixit: *Putasne Filius hominis veniens inveniet fidem in terra?* Innumeri quippe ubique sunt qui non solum de christiano nomine erubescunt et evangelicam legem ejurant ac derident, sed pulidissimo etiam atque sacrilego ore divinum nostrum legislatorem appellare non dubitant impostorem. Sed quis tot tantaque narrare aut deplorare potest mala? Nec Jeremiae lacrymae sufficerent. Pro bonis ergo christianae religionis assertoribus ad rem descendamus.

CAPUT I.

De nomine, definitione, ac divisione legis pertractatur, nonnullaeque solvuntur quaestiones ad legem in genere pertinentes.



Legis nomen a *ligando* nonnulli derivarunt ad legis munus attendentes quod est subditos veluti ligare et obstringere ad eorum quae praecipiuntur observantiam. Alii autem habentes etymologiae rationem, nomen legis repetunt a *legendo*, sicuti regis nomen a *regendo*, nomen ducis a *ducendo*. Quoniam verbum, lego, duplicem habet significationem, sumitur quippe pro volutare, ac lectionem ad librum adhibere, et sumitur etiam pro eligere, hinc aliqui legem a legendo priori sensu dictam arbitrantur, alii posteriori. Priori sensu sic dictam censuit Isidorus lib. 11. etymol. cap. 10. *Dicitur lex, quoniam scribitur et legenda proponitur*. Posteriori autem sensu dictam affirmat S. P. Augustinus q. 20. in Levit. *Legem a legendo, idest ab eligendo latini auctores appellatam esse dixerunt*. Viderat enim id S. doctor apud principem latinitatis Tullium qui lib. 1. de leg. ait: *Legem illi graeco putant nomine*, νόμον, *a suum cuique tribuendo appellatam, ego nostro a legendo; nam ut illi aequitatis, sic nos delectus vim in lege ponimus, et pro-*

prium tamen utrumque legis est. Lex autem muneris sui considerata ratione appellatur etiam *pactum*. Per legem siquidem legislator veluti cum subditis paciscitur de rependenda poena transgressoribus ac de proemio observantibus illam conferendo. Dicitur quoque *mandatum* quia mandat ac imperat subditis quid faciendum sit quid vitandum. Ac denique nuncupatur etiam *jus* quatenus supremam supponit in legislatore potestatem.

Lex autem tribus spectari potest modis, scilicet in se, comparate ad legislatorem, et respectu subditorum. Lex in se considerata optime definitur a Cicerone lib. 1. de leg. *Recta ratio imperandi et prohibendi*. Neque enim legem appellamus quae non imperat aut prohibet cum recta ratione, quid autem recta haec ratio importet ex infra dicendis apparebit. Eadem lex spectata respectu legislatoris definiri solet hoc modo: *Lex est praescriptum aliquod ab eo qui communitatis curam habet, et ad commune bonum directum et subditis intimatum*. Dicitur praescriptum aliquod, quoniam fieri debet imperando vel prohibendo. Additur praescriptum hoc fieri debere ab eo qui curam communitatis habet, hoc est a superiore qui perfectae praesit communitati nempe communitati quae sibi ad artes ad judicia ad bellum sufficit. Quare si communitas perfecta non sit, superioris praescripta dicuntur potius statuta et mandata quam leges. Rursus additur quod praescriptum dirigi ad commune bonum debeat, videlicet ad pacem tranquillitatem concordiamque reipublicae. Ac denique requiritur etiam ut praescriptum illud sit subditis intimatum, quoniam non possent populi legem observare nisi ipsis per promulgationem innotesceret. Lex demum comparate ad subditos hac concluditur definitione: *Lex est mensura actuum humanorum per quam ad id quod rectum est agendum et ad id quod pravum est omittendum, diriguntur*; unde qui legem frangit, nisi eam invincibiliter ignoret, peccat quia contra actuum humanorum mensuram operatur. Sed definitio haec ex iis quae superiori libro diximus facile intelligitur.

Lex universim accepta dividitur in *divinam* et *humanam*. Illa immediate a Deo, haec immediate ab homine, potestate autem a Deo accepta (quia *omnis potestas a Deo est*) vim suam habet. Lex divina rursus subdivitur in *æternam*, *naturalem*, et *divinam positivam*. Lex aeterna est suprema quaedam ac aeterna ratio praescribens ut omnia sint ordinatissima. Lex naturalis dicitur quaedam naturae vis, *non scripta, sed nata, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus*, inquit Cicero lib. 1. de leg. Lex positiva divina est explicatio quaedam et additio legis naturalis quam Deus tradidit hominibus, et duplex est, *vetus* et *nova*. Illa mosaicis continetur voluminibus, haec habetur in libris novi Testamenti ac praesertim Evangeliorum. Lex humana quae et ipsa positiva appellatur quatenus hominibus posita, non nata est ad observandum, dividitur in *ecclesiasticam* et *civilem*. Ecclesiastica definitiones et canones complectitur conciliorum,

decreta pontificum ac sanctorum patrum sententias. Haec appellatur etiam *canonica* quoniam regulas continet rerum ecclesiasticarum. Civilis autem constat statutis imperatorum, regum, rerumpublicarum ac populorum, et civilis nuncupatur quia homines respicit prout cives sunt, eoque tendit ut instituat cives.

Est apud juris peritos et alia legum generalis partitio. Ulpianus enim lib. 1. H. de insti et jure legem generatim dividit in jus *publicum* et *privatum*. Illud respicere autumat statum rerum romanarum, hoc autem jus *naturale*, *gentium*, et *civile*. Quae partitio non satis apta videtur, quum legi naturae quae magis late patet atque nobilior est inferiorem assignet locum. Melius ergo alii dividunt jus in *primaevum, secundarium*, ac *personale seu locale*. Primaevum homines respicit in statu naturae innocentis, eaque continet praecepta quae servari debuissent ab homine si non peccasset, suntque mutua dilectio, cura filiorum, cultus parentum ac hujus generis alia. Secundarium spectat homines in statu naturae per peccatum corruptae, peccatum quippe in caussa fuit cur inducta rerum divisio fuerit, qua posita divisione, multa necessaria fuere praecepta quae superflua fuissent in statu naturae innocentis. Inde principum constitutiones, jura belli, pacis, legatorum, aliique contractus ortum habuerunt. Jus hoc secundarium appellatur a Justiniano *jus gentium* quia illius praescripta gentibus omnibus communia sunt. Singula enim regna singulae provinciae et civitates praeter juris gentium praescripta quaedam habent peculiaria statuta quibus reguntur, eaque statuta jus personale seu locale constituunt.

Nunc quaedam solvendae sunt quaestiones quae circa legem in communi moveri a theologis solent. Et primo inquirunt an *lex ad intellectum vel ad voluntatem pertineat*, aliis esse actum intellectus, aliis autem voluntatis definientibus. Parvi momenti quaestio est, ac dissentientes opiniones facile conciliantur si legem sub diverso respectu consideremus. Si legem spectamus absque ulla ad subditos relatione ante promulgationem, et prout in animo legislatoris est, puto legem pertinere ad solum intellectum; quum enim lex in se spectata sit *recta ratio imperandi ac prohibendi*, ut cum Tullio paullo ante monuimus, debet legislator in lege condenda sibi publicum proponere bonum, adeoque multa perpendere, personas nempe, temporum ac locorum circumstantias ad trutinam revocare ut inde deducat an expediat praecogitatam condere legem. Hoc autem est opus intellectus, non voluntatis. Quod si legem spectemus prout relationem habet ad subditos, eosque ad observantiam obligat, nemini dubium quin lex pertineat ad legislatoris voluntatem. Nam quid aliud sibi legislator in lege exponenda subditis proponit nisi ut illi obtemperando ad bonum communitatis dirigantur? Vult ergo ut subditi obediant, et ita pertinet ad legislatoris voluntatem. Hinc in sacris litteris divina lex divinae voluntatis nomine designatur. Puta psal. 111. *Notas fecit filiis Israel voluntates suas*, hoc est legem suam. Sed noverat id etiam Tullius qui lib. 1. de leg. scripsit: *Cum legem dico, nil aliud intelligi volo*

quam imperium, citra quod nec domus ulla nec civitas nec gens nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis nec ipse mundus potest. Imperare autem pertinet àd voluntatem. Rationes hinc inde afferri solitas omitto quoniam quaestio haec nullam habere mihi videtur utilitatem.

Altera multo utilior quae a theologis proponitur quaestio est, *an lex referri ad commune bonum debeat?* omnes unanimi consensu affirmant. Nam qua alia de caussa publicam Deus instituit potestatem nisi ut publico consuleretur bono? In hoc enim a privata differt publica potestas, quod illa privatum, haec publicum quaerat bonum. Quod si ad eum obtinendum finem necesse est aliquando ut damnum alicui privato inferatur, siuit id publica potestas ut bono communi consulatur. Atque in hoc humani legislatores imitari debent Deum legislatorem supremum qui leges omnes ad hominum commune bonum ordinavit. Merito ergo inquit Isidorus lib. 5. etymol. *Lex est nullo privato commodo, sed pro communi utilitate civium conscripta*. Sed veritatem hanc vel ipsi ethnici scriptores agnoverunt, unde Cicero lib. 1. de leg. scribit, leges statuendas esse publicae utilitatis caussa, et ante illum jam dixerat Aristoteles in 8. eth. cap. 10. *lex subditorum spectat utilitatem*.

Hinc infero leges illas quae injusta aut inhonesta praescribunt, ut lex erat a Pharaone de omnibus interficiendis hebraeorum masculis lata, lex Juliani apostatae contra christianos, aliaeque consimiles quae tantum abest ut ad commune bonum dirigerent homines ut potius ab illo directe retraherent, honorificum legis nomen non merentur; unde bene Augustinus lib. 1. de lib. arb. cap. 5. inquit: *lex esse non videtur quae justa non fuerit*.

Sed adversus dicta quis objicere posset I. plures sunt veri nominis leges quae privatum dumtaxat respiciunt bonum, puta leges de propria conservanda vita, de corripiendo fratre errante, de stipe pauperi elargienda. II. pertinent nonnullae ad particulare principis commodum, ut lex de vectigalibus solvendis quae tantum abest ut ad publicum referantur bonum quin potius maximo subditorum incommodo cedit. III. etiam privilegia sunt verae leges, et nihilominus consulunt tantum nonnullorum utilitati privatorum. Quare necesse non est ut lex ad commune bonum semper referatur.

Resp. ad 1. Nonnullae leges quae spectare privatum bonum videntur spectant revera bonum communitatis, hoc est proxime et immediate referuntur ad alicujus privati utilitatem, ultimo autem vergunt in bonum commune. Quod patet ex allatis in argumento exemplis. Lex quae cuique jubet ut propriam tueatur vitam, ultimo ad totius reipublicae refertur incolumitatem. Si enim posset quis vel seipsum interimere vel propriam non defendere vitam cum necessitas urget, nonne respublica periret? Idem dicendum de duobus aliis exemplis atque aliis quae afferri possunt. Maxime quippe reipublicae interest bono ut in ea vel nulli vel saltem non publici sint peccatores cui utilitati per fraternam consulitur

correptionem. Multo magis publicum bonum relucet in lege de eroganda pauperibus eleemosyna. Nam hoc sibi superior in ea condenda lege proposuit ut in societate non sint qui fame interire cogantur vel qui necessitate ducti ad famem pellendam flagitiis aut facinoribus publicam turbent tranquillitatem.

Ad 2. idem habeto responsum. Nam etsi lex de vectigalibus principis commodum proxime respiciat, ultimo tamen ad bonum refertur communitatis. Vectigalibus quippe consulitur principis majestati et honori, viresque illi tribuunt ut bella adversus subditorum suorum hostes gerere possit, quae duo pro reipublicae tum dignitate tum securitate faciunt. Quod si vectigalia ac portoria ita augeantur ut princeps publicae utilitatis sublata caussa ostendat se pro sola habendi libidine velle a subditis pecuniam exigere, tunc lex reputatur injusta, adeoque irrita ac nulla.

Ad 3. Privilegium lex proprie dici non debet, sed potius a lege exemptio; unde etiamsi non referretur ad publicum bonum, non proinde minus vera nostra esset sententia. Sed et privilegium ad publicum bonum ultimate tendit. Hujusmodi siquidem exemptionibus strenui cives allecti animos ad egregia facinora sumunt quae in communem vergant utilitatem perpetranda.

Proxima quaestio est, *an qui supremam non habet regiminis potestatem possit condere leges?* Hanc omnes negative resolvunt hac ducti ratione. Praecipuus legis actus est subditis imperare ut quod praecipitur executioni mandetur. Qui vero publicam non habet regiminis potestatem quomodo potest imperare? Deinde si cuique privato homini fas esset condere leges quae confusio et inordinatio non esset in republica? Hinc collige quod regulae quas paterfamilias vel regularium ordinum praepositi inferioribus suis praescribunt non sunt veri nominis leges, sed sunt potius statuta ac praecepta, deest enim illis suprema regiminis potestas.

Sed posset quis opponere I. testimonium Apostoli ad Rom. cap. 7. dicentis: *Gentes quae legem non habent, naturaliter ea quae legis sunt faciunt: ipsi sibi sunt lex*. II. responsa prudentum quandoque leges dicuntur, ut praescripta Solonis, Lycurgi, Platonis, Zeleuci et aliorum. III. celeberrimae Justiniani leges non ab ipso imperatore, sed a doctissimis privatis viris fuerunt exaratae.

Verum haec nullius sunt ponderis. Nam Apostolus de lege loquitur naturali per legis mosaicae exclusionem, ut alibi diximus. Nos autem loquimur de lege positiva, et hanc dicimus condi non posse nisi a viro supremam habente potestatem, quemadmodum lex naturae a Deo condita est supremo domino ac legislatore. Quae a doctis viris in argumento laudatis praescripta fuerunt tunc legum nomine insigniri meruerunt quando admissae approbatae et tamquam verae leges promulgatae fuerunt a suprema potestate.

Inquirunt postremo theologi, *an lex debitum inducere possit ob-*

temperandi nisi promulgetur. Quidquid de illorum sententia sit qui affirmant promulgationem necessariam non esse ut lex in suo esse constituatur, fidenter pronuntio legem non obligare nisi sit promulgata. Et sane potest ne lex eos obligare qui illam penitus ignorant? Non potest, secus nec ignorantia invincibilis a culpa excusaret. Non innotescit autem subditis lex nisi promulgetur. Deinde lex comparate ad subditos est regula actuum humanorum, ut supra observavimus. Quomodo autem ex ea regula actus suos dimetiri poterit homo nisi per promulgationem regula innotescat? Ut enim homo mensurae illi actus suos conformet debet id positive velle. Nil autem volitum quin praecognitum, ut habet vulgare proloquium. Ac denique nulla umquam extitit vera lex subditos obligans quae publicata non fuerit, ut ex singularum patet enumeratione. Hinc optime Gratianus: *Leges instituuntur cum promulgantur*. Et S. Thomas: *Promulgatio ipsa necessaria est ad hoc quod lex habeat suam virtutem*. Quod si quis dixerit legem tum aeternam tum naturalem obligare omnes, nec tamen esse promulgatam, respondere poteris nos promulgationem in legibus tantum positivis exigere non in legibus aeterna ac naturali; nisi mavis promulgationem per metaphoram appellare impressionem illam, ut ita dicam, per quam inditae nobis a Deo sunt ambae illae leges.

CAPUT II.

De lege aeterna.

Lex aeterna quae a theologis dicitur summa ratio directrix omnium actuum et motionum, ab Augustino nostro lib. 22. adv. Faust. cap. 27. his verbis definitur: *Lex aeterna est ratio divina vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans*. Et lib. 1. de lib. arb. cap. 6. *Ea qua justum est ut omnia sint ordinatissima*. Ex his definitionibus quae in idem recidunt colligo 1. dari revera in Deo legem aeternam. Nam Deus in convenientem sibi finem reapse dirigit omnem actionem et motum, et vult ut naturalis servetur, non perturbetur ordo. Est itaque in eo suprema quaedam regula, divina ratio seu idea ad quam rerum omnium exigit ordinem, sicque in ipso est aeterna lex. 2. Legem illam omnes respicere creaturas non rationales modo sed et ratione destitutas, quum servari jubeat, vetet perturbari ordinem naturalem qui inveniri debet in creaturis quoque irrationabilibus quae et ipsae agunt et moventur. Unde Manlius lib. 1. de astron. cecinit:

Hoc opus immensi constructum corpore mundi
Membraque naturae diversae condita formae,
Aeris, atque ignis, terrae, pelagique jacentis
Vis animae divina regit, sacroque meatu
Conspirat Deus, et tacita ratione gubernat.

Diverso autem modo aeternae legi rationales ac irrationales creaturae subsunt. Respectu namque rationalium aeterna illa ratio et regula dicitur lex

proprie dicta, quoniam quum hae creaturae voluntatem habeant et arbitrium possunt ac debent Dei jussioni et imperio parere. Ast quoad creaturas ratione et etiam sensu carentes divina illa ratio dicitur lex metaphorice, quemadmodum metaphorice obedire dicuntur hae creaturae mandatis supremi gubernatoris, neque enim voluntatem ac liberum habent arbitrium. 3. Legem aeternam non esse cum divina confundendam providentia. Nam haec circa res versatur singulares ut quamlibet in convenientem sibi finem dirigat, nec jubet aut vetat. Illa autem jubet ac vetat, bonumque commune respicit universi, imo ipsam dirigit providentiam. 4. Demum ex praemissis definitionibus colligitur legem aeternam a legibus tum naturali tum positiva divina differre, quoniam quum illa sit divina ratio concipitur existere tantum in mente Dei, naturalis vero in hominum cordibus insculpta est, et positiva divina sollemniter promulgata fuit in tempore. His ita perpensis nonnullae modo solvendae quaestiones.

Prima erit, an lex *aeterna sit aliquo modo omnibus hominibus nota?* Respondemus affirmative magni Augustini ducti ratione. Aeterna quippe lex, juxta S. Doctorem in lib. de vera relig. cap. 31. nil aliud denique est quam incommutabilis veritas, neque enim aeternae legi perfectissimus deberetur ordo nisi incommutabilis esset veritas. Veritas autem incommutabilis aliquo modo nota est secundum communissima morum principia omnibus hominibus. Hinc nemo est qui in communi non cognoscat justum esse ut omnia sint ordinatissima, alioquin quomodo aeterna lex pro certa morum regula statui a theologis posset?

Adversus dicta urgere quis posset Apostoli sententiam in 1. ad Cor. cap. 2. *Quae sunt Dei nemo novit nisi spiritus Dei.* Et illud aliud, quod multi dentur athei, praesertim hisce nostris temporibus, qnibus nullimode nota est lex aeterna, alioquin nota ipsis quoque foret Dei existentia. Ac demum quod non omnibus notum sit an omnia sint ordinatissima quemadmodum lex aeterna praecipit. *Quis enim novit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?*

Haec tamen facillimae sunt solutionis. Atque ad 1. recte ait Apostolus neminem quae Dei sunt cognoscere nisi spiritum Dei, quia loquitur ibi de cognitione comprehensiva quam certe homo de divinis rebus non habet. Non negat autem inesse homini cognitionem abstractivam, ut eam appellant, quum attributa cognoscat ex eorum effectibus. Hoc autem modo, non illo dicimus notam omnibus esse legem aeternam.

Ad 2. Ii qui dicuntur athei aeternam cognoscunt legem materialiter et in se, quatenus videlicet norunt justum esse ut omnia sint ordinatissima, non autem formaliter ac sub ratione legis aeternae, unde stare optime potest ut non cognoscant existentiam Dei, cognoscant vero legem aeternam.

Ad 3. Quando dicimus omnes ordinem cognoscere rerum, non loquimur de cognitione quadam speciali quasi omnes sciant in specie modum quo res quaelibet sint ordinatissimae. Ad hujusmodi enim habendam cognitionem necesse foret ut homo aeternam legem comprehenderet. Sed

de cognitione loquimur in communi quatenus quilibet in communi cognoscit justum esse ut omnia sint ordinatissima.

Quaestio altera est, *an aeterna lex sit fons et origo unde ceterae leges derivantur?* Ita esse demonstrant I. sacrae litterae. Nam Prov. cap. 8. legitur: *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt.* Et Apostolus ad Rom. cap. 13. *Non est*, inquit, *potestas nisi a Deo; et qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*. Quae verba significant tunc reges, legum conditores ac supremas potestates justas condere leges quando ea quae praescribunt conformia sunt aeternae legi, atque adeo qui leges etiam humanas transgreditur transgredi dicitur legem aeternam. II. veteres Patres. Tertullianus in apologet. ita gentiles alloquitur: *Sciatis ipsas quoque leges vestras quae videntur ad innocentiam pergere, de divina lege et antiquioris formae mutuatas*. Clarius adhuc S. P. Augustinus lib. 1. de lib. arb. cap. 6. *Simul etiam te videre arbitror in illa temporali* (lege) *nihil esse justum atque legitimum quod non ex hac aeterna sibi homines derivaverint*. Et lib. de vera relig. cap. 31. inquit: *Conditor legum temporalium, si vir bonus et sapiens illam ipsam consulit aeternam de qua nulli animae judicare datum est: ut secundum ejus incommutabiles regulas, quod sit pro tempore jubendum vetandumque discernat*. III. ratione. Quidquid in mundo est a prima caussa necesse est proficiscatur, ubi sermo instituitur de rebus quae mala non sunt, atque idcirco mundi hujus regimen quum bonum sit a Deo necesse est derivari. Porro mundi regimen a divinis humanisque pendet legibus, unde a Deo, hoc est ab illius aeterna lege divinae humanaeque leges omnes ducunt originem. Praeterea nulla vera lex est nisi sit justa. Justum autem est illud quod bonum praecipit, vetat malum. Ast hoc ipsum praestat aeterna lex. Ab illa ergo leges omnes proficiscuntur.

Sed adversus dicta objiciunt I. concupiscentia est vera lex, de illa quippe scribit Apostolus: *Sentio in membris meis legem repugnantem legi mentis meae*. Quis autem dixerit concupiscentiam originem ducere ab aeterna lege? II. humanae leges sunt mutabiles sibi invicem contrariae, et non raro etiam iniquae, lex autem aeterna immutabilis est semperque sibi constans atque justissima. III. aeterna lex quum sit ipsa Dei ratio est plane divina, unde si humanae leges ab illa dimanant obligare debent de jure divino sicuti et illa. IV. lex positiva divina et ipsa a Deo est. Quod si ab aeterna oriretur lege, una alteri subjiceretur, quod repugnat. V. denique necesse foret ut humani legislatores aeternam legem intuerentur si leges humanae ab ea ducant originem. Illam autem non intuentur neque in se neque in aliquo medio. Non in se, quia lex aeterna est ipse Deus, non in aliquo medio quia nullibi ejus forma relucet.

Resp. ad 1. Concupiscentia appellatur lex ab Apostolo improprie et per quamdam analogiam, quod nempe quemadmodum hunc habet lex characterem ut subditum ad bonum moveat et excitet, ita et concupiscentia hoc habet ut hominem moveat et excitet ad malum.

Ad 2. respondeo verbis S. P. Augustini lib. de vera relig. cap. 17.

Ut ars medicinae cum eadem maneat , neque ullo pacto ipsa mutetur , mutat tamen praecepta languentibus , quia mutabilis est nostra valetudo : ita divina providentia cum sit ipsa omnino incommutabilis , mutabili tamen creaturae varie subvenit , et pro diversitate morborum alias alia jubet aut vetat . Ex quibus apparet immutabilitatem aeternae legis exigere ut pro temporum , locorum , circumstantiarumque varietate humani legislatores mutabiles sibique contrarias ferant leges quibus ducantur homines ad rectissimum ordinem conservandum . Quod additum est de legibus iniquis non moror quoniam leges injustae nec nomen merentur legis .

Ad 3. Obligare dicuntur humanae leges de jure humano, non divino quia immediate feruntur ab hominibus . Sed quoniam humani legislatores leges potestate a Deo accepta condunt et ferunt, non est enim potestas nisi a Deo , dici merito potest illas obligare, quamvis mediate , de jure divino , *nam qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit* .

Ad 4. Lex aeterna atque divina si spectentur in ipso Deo non solum una alteri non subjicitur, sed nec inter se distinguuntur, quidquid enim in Deo est, Deus est . Ast si eaedem leges considerentur quatenus intimatae nobis seu communicatae sunt, lex positiva divina dici potest subjici legi aeternae quia nobis apparet praecepta legis divinae conformia esse aequitati legis aeternae .

Ad 5. Homines in humanis legibus efformandis intueri utique possunt tamquam normam legem aeternam non in Deo ipso, quod viatori impossibile est, sed in proprio naturali lumine ubi multa aeternae legis vestigia invenient impressa, eaque corrumpi numquam possunt etiamsi omnis intereat ratiocinatio aut apud carnales veterascat.

Ultima quaestio erit, *an omnia creata sive necessaria sint sive contingentia subsint aeternae legi* ? Id nemo sanae mentis negabit . Nam I. Prov. cap. 8. legitur*: Quando circumdabat mari terminum suum , et legem ponebat aquis ne transirent fines suos*, etc. Psal. 148. habetur : *Ignis , grando , nix , glacies, spiritus procellarum , quae faciunt verbum ejus* . Matth. cap. 6. *Respicite volatilia caeli, quoniam non serunt, neque metunt , neque congregant in horrea, et Pater vester caelestis pascit illa* . II. S. P. Augustinus lib. 19. de C. D. cap. 12. *Nullo modo inde aliquid legibus summi illius creatoris ordinatorisque subtrahitur , a quo pax universitatis administratur* . Et in sententiis a S. Prospero collectis subdit : *Nihil enim fit visibiliter et sensibiliter quod non de invisibili et intelligibili summi imperatoris aula aut jubeatur aut permittatur ; atque poenarum , gratiarum , et retributionum in ista totius creaturae amplissima quadam immensaque republica* . III. creaturae omnes vel necessariae sunt vel contingentes , istaeque vel naturales vel liberae . Omnes autem aeternae subsunt legi, quoniam non solum omnes a Deo reguntur et gubernantur quod proprium est providentiae, sed praeterea singulis instinctum quemdam impressit juxta uniuscujusque creaturae exigentiam, per quem ad proprium sibi finem diriguntur, ut ita pax et ordo universitatis hujus a Deo statutus conservetur .

Objiciunt tamen I. irrationales creaturae aeternae non videntur subdi legi, quoniam quum sint ratione destitutae legis cujuslibet sunt incapaces, et legis incapaces appellantur etiam a S. P. Augustino q. 74. in Lev. II. non est vera lex ubi legis non est promulgatio. Quomodo autem creaturis ratione carentibus promulgari potest lex? III. hinc hac craturae operantur quandoque contra aeternae legis praescriptum, quum gravia aliquando sursum levia deorsum ferantur.

Resp. ad 1. irrationales creaturas incapaces esse legis praeceptivae, non incapaces legis directivae. Ad praeceptum audiendum ac exequendum intelligentia et ratione opus est, qua irrationales creaturae quum careant legis incapaces dicuntur, atque hoc sensu intelligendus est Augustinus laudato in argumento loco. Incapaces autem eaedem creaturae non sunt legis directivae, quoniam recipere a Deo potuerunt, uti revera acceperunt instinctum quemdam per quem ad proprium dirigantur finem ut ita harmonia et pax universi hujus servetur.

Ad 2. Illius instinctus impressio appellari modo quodam potest aeternae legis facta irrationalibus creaturis promulgatio. Nam ut cap. 1. monuimus, comparate ad entia ratione destituta lex dicitur per quamdam analogiam. Quare necessaria illis non est proprie dicta promulgatio. Ceterum et ipsae suo modo obediunt creatori, ut Hieronymus explicans illa Matth. cap. 8. verba scribit: *Venti et mare obediunt ei. Ex hoc loco intelligimus quod omnes creaturae sentiant creatorem. Quas increpavit, et quibus imperavit sentiunt imperantem, non errore haereticorum qui omnia putant animantia, sed majestate conditoris. Quae apud nos insensibilia, illi sensibilia sunt.*

Ad 3. Quod si irrationales creaturae contra sibi impressum principium moveri aliquando videntur, non praestant id contra aeternae legis praescriptum, sed quia ab extrinseca aliqua caussa impelluntur. Extrinseca autem illa caussa talem excitat motum ex praescripto aeternae legis, sicque nihil omnino est quod sanctissimae illi legi non subjiciatur. Fatendum tamen est aeternam hanc legem aliquod esse mentibus nostris impervium et ab ipsis valde remotum, est quippe res divina et ineffabilis, sed tamen existit, legibus cunctis initium dat et originem, et omnia sive necessaria sint sive contingentia illi subduntur.

CAPUT III.

De lege naturali.

De naturali lege disputaturi ab illius essentia incipiendum est, ut scilicet natura ejus assecuta, quae in controversiam trahi a theologis solent facilius intelligantur. Ut ergo dicam quod sentio, sic in nobis originem ducere arbitror legem naturae. Duplicem homo a Deo conditore suo vitam accepit, animalem videlicet ac rationalem. Quando autem sapientissimus architectus vitam ei tribuit animalem, non modo corpus aptissimis

formavit membris, sanguine ac nervis pulcherrime instructum in qua partium serie et compage vita residet animalis, sed etiam ut ordo quidam et armonia juxta aeternae legis praescriptum servaretur leges aliquas corpori dedit quae mechanicae dicuntur quarum ope omnis in animali vita ducenda confusio vitaretur et inordinatio. De legibus hisce mechanicis fuse pertractant philosophi ac juxta illas motus fieri omnes in corpore experientia compertum est. Similiter quando Deus condidit animam non solum spiritualibus potentiis intellectu scilicet ac voluntate illam ornavit, sed moralem insuper quamdam legem ipsi communicavit per quam finem ad quem fuit ordinata consequi posset. Et en quomodo rem se habuisse puto. Deus omnis bonitatis ac justitiae fons constituit ab initio hominem, pulcherrimum manuum suarum opus, felicem condere vereque beatum. Beatitudinem autem non in alio quam in fruitione boni, malique carentia consistere norunt omnes. Hinc humanae voluntati appetitum erga bonum sic indidit sapientissimus auctor ut unusquisque quamvis sylvestris ac barbarus naturalem in se experiatur ad bonum amorem, odium ad malum, nec umquam quiescat donec bono in quod tendit tandem fruatur. Sed quibus mediis uti poterat homo ad assequendum bonum, malumque vitandum? Omnipotens scilicet conditor regulam communicavit intellectui quae aeternae suae legis quaedam participatio esset, quaeque voluntati uti splendendissima fax viam demonstraret per quam relicto a quo refugit malo ad bonum quod appetit possit accedere. Quum autem regula illa exhibita ac intimata fuerit voluntati tenetur haec proprias ei conformare actiones, atque ita regula eadem evadit *lex* quoniam jubet ac vetat, et dicitur *naturalis* quia una cum natura homo illam a Deo accepit. Hoc sensu ni fallor, inquit Tullius lib. 1. de leg. *Eadem ratio cum est in hominis mente confirmata et confecta, lex est*. Ex his intelligimus cur regula eadem dicitur *lumen rationis*, *dictamen rationis*, *jus naturale*, *regula incommutabilis*. Dicitur nempe lumen quia voluntas quum sit potentia caeca, ut inquiunt scholastici, in suis eliciendis actibus ab ea regula illuminatur ut malum vitet et faciat bonum. Dicitur etiam dictamen quoniam regula illa voluntati dictat quid faciendum sit, quid vitandum. Appellatur deinde jus quoniam non habet regula illa vim dumtaxat dirigendi, sed praecipiendi etiam atque vetandi. Ac denique nuncupatur regula incommutabilis quod una semper sit in omnibus quamvis genere educatione ac loco distantibus. Qua de re inquit S. P. Augustinus lib. 2. de lib. arb. cap. 12. *Quapropter nullo modo negaveris esse incommutabilem veritatem, haec omnia quae incommutabiliter vera sunt continentem, quam non possis dicere tuam vel meam vel cujusquam hominis, sed omnibus incommutabilia vera cernentibus, tamquam miris modis secretum et publicum lumen praesto esse ac se praebere communiter. Hinc est*, subdit S. doctor lib. 14. de Trin. cap. 15. *quod etiam impii cogitant aeternitatem, et multa recte reprehendunt, recteque laudant in hominum moribus. Quibus ea tandem regulis judicant nisi in quibus vident quemadmodum quisque vivere debeat, etiamsi nec ipsi*

eodem modo vivant? Ubi eas vident? Neque enim in sua natura, cum proculdubio mente ista videantur, eorumque mentes constet esse mutabiles, has vero regulas immutabiles videat quisquis in eis et hoc videre potuerit; nec in habitu suae mentis, cum illae regulae sint justitiae, mentes vero eorum constet esse injustas. Ubinam sunt istae regulae scriptae, ubi quid sit justum et injustum agnoscit, ubi cernit habendum esse quod ipse non habet? Ubi ergo scriptae sunt nisi in libro lucis illius quae veritas dicitur? Unde omnis lex justa describitur, et in cor hominis qui operatur justitiam, non migrando sed tamquam imprimendo transfertur; sicut imago ex annulo et in ceram transit, et annulum non relinquit. Haec Augustini sententia totam naturalis legis essentiam mirifice explicat.

His ita delibatis optima mihi videtur naturalis legis definitio ab Hugone Grotio in lib. de jure belli et pacis tradita: *Lex naturalis est dictamen rectae rationis indicans actui alicui ex ejus convenientia vel disconvenientia cum ipsa natura rationali inesse moralem turpitudinem, aut necessitatem moralem, ac consequenter ab auctore naturae Deo talem actum aut vetari aut praecipi.* Ex praemissis explicata remanet allata definitio, satisque per illam tam veteres quam recentiores quidam revincuntur philosophi, verius dicam sanae philosophiae corruptores affirmantes nihil esse natura sua justum vel injustum, bonum vel malum, sed omnia dimetienda esse ex legibus positivis.

Nec est quod quis cum Barbeyracho objiciat bonitatem ac malitiam actionum originem ducere a convenientia vel disconvenientia cum lege, proindeque nullum justum vel injustum existere natura sua ante legem. Non est, inquam, ut aliquis id objiciat. Nam id nos ultro concedimus, sed justi ac injusti mensura quaenam alia lex est nisi naturalis? Quod hoc vel illud cum rationis dictamine conveniat, bonum est atque justum. Iniquum autem ac malum quod rectae rationi repugnat. Neque lex positiva absolute loquendo mensura dici potest aequitatis vel iniquitatis actionum. Nam ea etiam non existente actiones humanae bonae essent vel malae vi legis naturalis. Nec alia de caussa positiva lex est instituta nisi ut homo qui ob originale peccatum in deterius abire caepit, rediret ad cor, legisque naturae per carnis voluptates obscuratae reminisceretur.

Multominus ad rem facit quod Puffendorfius addit, Deum nimirum aliam assignare homini potuisse naturam, quo in casu humanae actiones legi naturae tunc non subjicerentur, sed indifferentes essent, non in se bonae vel malae. Id, inquam, non officit quia etsi concedamus Deum liberrimum rerum omnium dominum potuisse alterius naturae hominem condere, statim ac tamen condere hujus naturae statuit tenebatur pro sapientia sua lumen ei communicare rationis per quod bonum dignosceret et malum; ac rursus per modum praecepti illi imponere ut hoc tamquam bonum sequeretur, illud tamquam malum vitaret; atque ita posito semel quod Deus hominem ratione praeditum creaverit, non amplius remanent illi actiones indifferentes, ut putat Puffendorfius.

Sed de legis naturalis essentia pro instituti ratione satis. Pauca nunc de ejusdem legis existentia dicamus. Nam non defuerunt antiquitus nec desunt nunc male feriati multi philosophi qui naturalis legis negarunt et adhuc negant existentiam. Tales fuerunt ex veteribus, Callides Aristippus cirenaicus, Democritus, Epicurus, et qui horum placita sectati sunt. Ex recentioribus vero Thomas Hobbesius, Benedictus Spinosa, et nostris hisce diebus innumeri philosophantes galli quos non pauci ex aliis europae partibus imitantur. Contra ergo hujus furfuris homines duo hoc in capite breviter praestabimus; primo ostendemus legem naturae revera existere, deinde prima illius praecepta conabimur explicare. Sit ergo

CONCLUSIO I.

Lex naturalis existit.

Prob. 1. Scripturis. Thomas enim Hobbesius ac Benedictus Spinosa aliique hujus generis philosophi etsi Scripturae auctoritatem in re forte non admittant, verbis tamen in Scripturis Dei verbum se agnoscere simulant. Apostolus ergo ad Rom. cap. 11. v. 14. et 15. inquit: *Cum enim gentes quae legem* (mosaicam) *non habent, naturaliter ea quae legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex. Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem accusantibus aut etiam defendentibus.* Et ante Apostolum jam dixerat Psalmista: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Et Deus per Isaiam cap. 46. *Redite praevaricatores ad cor.* Jam vero adversarii nostri divinam Scripturae auctoritatem vel admittunt vel negant. Si primum, caussa jam ceciderunt, adeo quippe clare Scripturae allata verba naturalem legem admittunt ut luculentioribus verbis sacri scriptores uti non possent ad illius asserendam existentiam. Si secundum, saltem verum est antiquitus semper et in V. et in N. Testamento cordatiores homines credidisse existere legem naturae. An affirmare audebunt tantos viros fuisse deceptos, et nonnullos dumtaxat philosophos veritatem fuisse assecutos?

Justinus in apol. pro christianis affirmat insita cuique esse virtutum semina. Origenes cum acutissimo disputans philosopho Celso lib. 5. fidenter pronunciat duas esse leges in genere, alteram legem naturae cujus lator est Deus per creationem, alteram scriptam valentem in civitatibus. Chrysostomus hom. 12. ad popul. antioch. ad rem nostram ita scribit: *Quid tandem est lex naturalis? Conscia nobis expressit, et per se discibilem constituit bonorum et contrariorum scientiam; non enim opus habemus discere quod malum est fornicatio, et bonum continentia, sed ab initio haec scimus: et ut dicas quod ab initio scimus, legislator leges postea ferens, et dicens: Non occides, non intulit malum, non caedes; sed simpliciter, Non occides, inquit, prohibuit enim malum dumtaxat, non docuit. Quare igitur qui dicit, Non occides, non addidit quod*

malum caedes? quoniam praeveniens conscientia nos edocuit, et tamquam scientibus et intelligentibus ita loquitur. Ambrosius ep. 41. *Ea igitur lex*, inquit, *non scribitur, sed innascitur; nec aliqua praecipitur lectione, sed profluo quodam naturae fonte in singulis exprimitur, et humanis ingeniis hauritur, et simplex, et sine fuco est*. S. P. Augustinus innumeris in locis naturalis legis existentiam innumeris demonstrat argumentis, et in psal. 57. scribit: *Cui enim iniquo non facile est loqui justitiam? Aut quis de justitia interrogatus, quando non habet causam, non facile respondeat quid sit justum? Quandoquidem manu formatoris nostri in ipsis cordibus nostris veritas scripsit, quod tibi non vis fieri, ne facias alteri? Hoc et antequam lex* (mosaica) *daretur nemo ignorare permissus est, ut esset unde judicarentur et quibus lex non esset data*. Quare si sanctissimorum aeque ac doctissimorum hominum suffragia attendi debent, nulli dubium quin naturalis lex existat.

Prob. 3. ratione. I. quum Deus O. M. quem modo existere et esse hominis conditorem supponimus, divina sua providentia hominem ipsum regere debeat et gubernare, non potuit non tradere illi legem juxta humanae naturae exigentiam. Quod si exlegem illum condidisset, ad eum non posset pervenire finem ad quem creatus est, quod sapientiae ac justitiae divinae repugnat. Ast exigit humana natura legem quae dicitur naturalis. Nam quum homo sit rationalis, debet ratio instrui, formari, dirigi, quae munera ad legem pertinent naturalem; alioquin proprium consequi nequiret finem, nempe suam felicitatem; nesciret quippe bonum amplecti, vitare malum, quia nec bonum cognosceret neque malum. II. hominem a natura impressum habere ordinem atque decorem, seu quamdam in agendo pulchritudinem, adeoque ideam honestatis, nemo inficias ire poterit quum unusquisque in se id experiatur. Quare una cum indito hoc ordine atque decore accipere a Deo debuit etiam legem. Quod si conditum exlegem fuisse supponamus, jam cogeretur vitam ducere incultam absque ordine et honestate contra naturalem illius inclinationem. III. viget in homine ingens passionum tumultus, ut experientia compertum est, habendi nempe cupido, memoria injuriarum, libido ulciscendi, immodica gloria aliaque innumera mala. Si quis modo effraenibus hisce passionibus adhaereat, poenas easque gravissimas vi legum positivarum dat criminis sui. Neque is poenarum timor sat est ut quae justa sunt homo sequatur. Quid esset ergo si absque omni lege et naturali et divina et humana homo conditus esset? Deterior vita brutorum foret hominum vita, quod humanae institutioni repugnat.

CONCLUSIO II.

Primum juris naturae mandatum a quo cetera derivantur, est amor boni.

Prob. simul et explicatur propositio. Divina voluntas quae omnium rerum, adeoque et juris naturae fons est et origo hominem condere vo-

luit cum naturali ad felicitatem inclinatione, ut supra monuimus. Hominis autem felicitas consistit in fruitione boni, quod in seipso unusquisque experitur. Ut bono vero frueretur homo regulam accipere a Deo debuit ad media cognoscenda quae ad bonum conducunt. Sed initio bonum ipsum tamquam propriam debuit beatitudinem diligere actu suae voluntatis. En ergo primum naturalis legis praeceptum: *amor boni*. Ast nemo bonum diligere potest nisi oderit malum. Haec enim duo, amor boni, odium mali sejungi nullimode possunt. Atque ita praeceptum illud: *bonum est faciendum*, includit et illud: *malum est fugiendum*. Bonum praeterea quod a Deo per legem naturae amare jubemur in tribus praecipue reperitur, in Deo videlicet qui auctor et gubernator est, in nobismetipsis, et in ceteris hominibus. In Deo, inquam, maximum invenitur bonum quoniam ens est perfectionibus omnibus ornatissimum a quo quidquid boni in nobis est pro sua benignitate ac munificentia derivatur; unde diligendus est et cultu quidem perfectissimo, ex tota nempe anima, ex toto corde, ex tota mente. Etiam in nobis magnum adinvenitur bonum, inclinatio scilicet ac vehemens desiderium propriae comparandae nec umquam amittendae felicitatis, praeter mentem, voluntatem aliasque innumeras praerogativas. Quare vi naturalis legis tenemur nosmetipsos diligere ut felicitatem assequamur, nullumque praetermittere medium ad illam conservandam dummodo absque amoris Dei et proximi violatione fieri possit. Denique bonum quod in ceteris videmus hominibus consistit in multis sed praesertim in eo quod aequalem nobiscum acceperint naturam. Hinc diligere tenemur ceteros homines sicuti nosmetipsos diligimus, quod illud includit praeceptum: *quod tibi non vis, alteri ne feceris*, et illud aliud: *quod tibi vis fieri, alteri feceris*. De modo autem dirigendi amorem hunc non loquor; quoniam per se patet. Quum enim Deus cultu colendus sit perfectissimo, et Dei cultus non sit nisi amor, *nec enim colitur Deus nisi amando*, inquit Augustinus, manifestum est Deum amandum esse propter semetipsum, et hominem ad sui ac ceterorum hominum teneri dilectionem propter Deum. Praeterea nonne homo ad propriam felicitatem naturaliter tendit? Illam autem invenire non potest nisi in Deo, in se namque nonnisi inclinationem reperit ad felicitatem, et in proximo nonnisi aequalitatem cum natura sua. Quare omnis tandem amor, si fiat analysis, resolvitur in Deum totius felicitatis nostrae centrum et scaturiginem. Ex his apparet cur Christus qui in mundum venit ut naturae legem instauraret, legis doctori interroganti quodnam esset mandatum magnum in lege, Matth. cap. 22. v. 37. respondit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua, hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut teipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet, et prophetae.*

CAPUT IV.

An lex naturalis mutationem pati possit.

Lex quaelibet mutari potest vel per abrogationem vel per subtractionem vel per dispensationem. Legis mutatio fieri per abrogationem concipitur quando lex tota dissolvitur ac desinit omnino quoad omnes sui partes obligare. Mutatio autem legis per subtractionem fit quando obligare cessat quoad aliquam sui partem. Ac denique legis mutatio accidit per dispensationem quando lex quidem integra manet, sed aliqui ab illius eximuntur observatione.

Dispensatio autem duplex est, propria altera, et altera impropria: atque divisio haec est sedulo attendenda ne verborum fallamur similitudine. Dispensatio proprie dicta est quam mox definivimus, quando videlicet legislator aliquem ab alicujus precepti eximit observantia, integra remanente ejusdem praecepti seu legis materia. Ita si princeps hunc vel illum eximeret civem a tributis solvendis, ea exceptio dicitur dispensatio propria a lege solvendorum vectigalium, quia dum beneficio ac liberalitate principis aliqui ab illis solvendis redduntur immunes, integra legis illius materia remanet respectu aliorum. Dispensatio autem improprie et per quamdam analogiam sic nuncupata est quando subjecta legis materia non eadem permanet sed mutatur. Puta si quis judicis fretus auctoritate hominem sontem interficiat, ille improprie dispensatus dicitur a praecepto: *non occides*, quoniam istius praecepti materia est homicidium privata auctoritate patratum; ideoque hoc in casu praecepti illius materia mutaretur.

Inquirendum itaque hoc in capite est an lex naturalis aliquam pati possit mutationem vel per abrogationem vel per subtractionem vel per dispensationem sensu proxime explicato. Et quoad mutationem duobus prioribus modis consideratam omnes unanimi assensu fatentur locum non habere in lege naturae. Sed quoad legis mutationem per dispensationem dividuntur inter se theologi. Ochamus enim in 2. q. 19. cui Gersonius de vita spir. lect. 1. coroll. 10, et Almainus tract. 3. mor. 15. assentiuntur, existimat Deum in omnibus ac singulis juris naturae praeceptis dispensare posse dispensatione proprie dicta, ita ut valeat etiam praecipere odium sui. In hanc iverunt laudati scriptores opinionem quoniam arbitrati sunt, ea quae sunt contra legem naturae non esse peccata per se, sed peccata esse quia prohibita sunt. Scotus, Durandus, S. Bonaventura, et ipsi opinantur posse Deum in lege naturae proprie dispensare, sed in aliquibus tantum, non in omnibus praeceptis. In assignando autem naturalium praeceptorum numero in quibus Deum dispensare posse contendunt ad invicem non conveniunt. Reliqui autem theologi ad illam dispensationis divisionem a nobis nuper allatam animadvertentes absolute pronuntiant in nullo prorsus naturae praecepto Deum proprie dispensare posse. Itaque sit

CONCLUSIO I.

Lex naturalis mutari non potest per abrogationem vel subtractionem.

Prob. pars prior. Lex naturalis mutatur per abrogationem si obligare desinat quoad omnes sui partes, ut observavimus. Ast desinere nequit obligare quoad omnes sui partes I. quoniam naturae lex est legis aeternae in hominum cordibus facta transcriptio. Aeterna autem lex quae jubet ut omnia sint ordinatissima numquam obligare desinet quum sit natura sua invariabilis. II. lex naturae est ipsum lumen rationis quod semper obligat hominem ut juxta suum dictamen proprios dirigat mores, alioquin licitum foret contra lumen rationis operari. III. si naturalis lex desinere quandoque posset quoad omnes sui partes obligare, posset deleri ex hominum mentibus. Non potest autem, quia, ut Augustinus serm. 26. n. 4. in psal. 118. inquit: *Sine lege naturali essent, si praeter naturam humani generis esse potuissent.*

Prob. altera pars iisdem rationibus. Ex quo enim naturalis lex sit legis aeternae immediata partecipatio, sequitur aliquam legis partem desinere non posse obligare hominem, alioquin induceretur in aliquo inordinatio, quod est contra legem aeternam. Item ex quo naturalis lex ipsa sit humana ratio, consequens fit nullum esse naturalis legis praeceptum quod desinere aliquando possit obligare quia liceret quandoque contra rectam agere rationem. Consequeretur denique quod aliqua naturalis legis pars deleri ex hominum mente posset; quod est absurdum.

CONCLUSIO II.

Lex naturalis nullam admittit proprie dictam dispensationem.

Prob. 1. Lex naturalis est, ut saepe cum Augustino diximus, legis aeternae in hominum mente facta transcriptio. Aeterna porro lex nullam proprie dictam admittit dispensationem. Nam si quis in aeterna lege dispensare posset, is maxime esset Deus supremus rerum omnium dominus ac legislator. Deus autem non potest, quia lex aeterna cūjus transcriptio est lex naturalis, ipsa immutabilis Dei sapientia est; nec Deus facere potest ut omnia non sint ordinatissima, alioquin seipsum negaret. Praeterea hoc est inter legem positivam ac naturalem discrimen, quod illius praecepta suam mutuentur a libera Dei voluntate bonitatem, hujus autem ab ipsa natura rerum. Jam vero quae ex natura prodeunt necessaria sunt et immutabilia, adeo ut nec ab ipso Deo postquam naturam juxta archetypas ideas suas condidit mutari valeant. Deinde quae naturali lege jubentur, intrinsece et ex natura sua bona sunt, sicuti quae vetantur, intrinsece et ex natura sua sunt mala. Quod si in lege naturali Deus dispensare posset, jam praecipere posset quae sunt intrinsece mala et quae natura sua bona sunt vetare, quod cum sua sum-

ma aequitate ac sapientia consistere nequit. Demum nequit Deus proprie dispensare aut in affirmativis aut in negativis praeceptis. Non in affirmativis quibus justum et aequum praecipitur, secus quod justum et aequum est vetare posset, quod contrarium est aeternae legi jubenti ut omnia sint ordinatissima. Sed neque in praeceptis negativis mala et iniqua vetantibus, alioquin praecipere posset quae mala sunt ac perversa, quod et aeternae legi ac suae sanctitati repugnat.

Prob. 2. Multi ex adversariis fatentur praeceptum de non mentiendo nullam admittere dispensationem, quae vel a Deo concedatur, quoniam mendacium est intrinsece malum. Ast ratio eadem militat pro aliis quoque juris naturae praeceptis, puta: *non furtum facies*, *non moechaberis*, *non pejerabis etc.* adeoque etc.

Adversariorum argumenta solvuntur.

Obj. 1. cont. 2. prop. Vel ipsi homines aliqua freti auctoritate possunt in jure naturae dispensare. Nam I. lex de sabbati sanctificatione lex naturalis est, et nihilominus in ea licite dispensatum est ab hominibus. Sic enim legitur in lib. 2. Mach. cap. 2. *Omnis homo qui venerit ad nos in bello die sabbatorum, pugnemus adversus eum.* Et in ecclesia christianorum dies sabbati in dominicum mutatus est. II. de jure naturae quoque est personalis episcoporum in propria dioecesi residentia. In illa autem passim dispensat romanus Pontifex, ut omnes norunt. III. idem summus Pontifex dispensat super vota sollemnia, ut appellantur, ac juramenta, quae tamen obligant de lege naturae. IV. neque mirum esse debet, quia Papa, ut jurisperitorum proloquium habet, *tenet omnia jura in scrinio pectoris sui*. V. quid quod etiam lex civilis a legis naturalis dispensat observatione? Lex quippe naturae est ut res aliena invito domino non retineatur. Si autem quis supra rem alienam legitime praescripserit, vi legis civilis potest tuta conscientia rem alienam etiam invito domino retinere.

Resp. in allatis singulis casibus dispensationem dumtaxat inveniri improprie dictam. Et sane quoad 1. sanctificatio sabbati est utique de lege naturae, sed praeceptum illud non frangit qui opera exercet servilia ad propriae vitae conservationem omnino necessaria, ut Christus docet Matth. cap. 12. Quod ergo factum esse narratur in lib. 2. Mach. est declaratio, non dispensatio in lege naturae. Quod ad commutationem spectat diei sabbat in dominicum, facile solvitur si animadvertamus praeceptum de sanctificando sabbato partim naturale esse partim caeremoniale; nempe quatenus praescribit aliquo tempore speciali cultu adorandum esse Deum est de jure naturae, quod vero sit Deo exhibendus cultus certa hebdomadae die, vel hoc potius quam illo ritu in hoc praeceptum est mere caeremoniale. Unde animadvertens Ecclesia quod in dominico die praeclariora in lege nova acceperimus beneficia hunc diei sabbati substituit.

Ad 2. Episcoporum in propria dioecesi residentia est de lege naturae nisi alio illos aut communis necessitas aut utilitas publica vocet. Hinc non solet nec potest episcopis a proprio grege absentia permitti nisi allatis de caussis.

Ad 3. Summus Pontifex dispensat impropric, hoc est declarat in his vel illis casibus juramenta ac vota sollemnia non esse vera juramenta nec vera vota.

Ad 4. Atque hoc sensu omnia jura habet in pectore suo, ut jurisperiti loquuntur, quoniam ad ipsum maxime spectat interpretari ac declarare omnia jura ubi lex dubia fuerit.

Ad 5. Praescriptio quae fit a lege civili non est contra sed juxta legem naturae. Quando enim quis legitime praescribit supponitur jam per diutinam possessionem dominium in rem illam habere quae olim erat aliena, neque enim natura cuique proprium assignat. Quare ad inordinationem vitandam civilis potestas recte legem praescriptionis instituit.

Obj. 2. cont. eamd. 2. thes. Nulla assignari repugnantia potest quin possit Deus odium sui praecipere, unde dispensare potest in maximo juris naturae praecepto, adeoque in tota lege naturae. II. potest Deus, inquit Durandus, hominem dispensare ab observatione praeceptorum secundae tabulae, quoniam actus humani qui sunt horum praeceptorum materia fundantur in unius creaturae ab alia dependentia quam auferre potest Deus. Puta honor quem filii debent parentibus fundatur in eo quod filii fuerint a parentibus procreati. Ast potest dependentiam hanc auferre Deus qui potuit Adamum absque parentibus producere, et ita dispensare potest filios ab eo adimplendo praecepto, *honora patrem tuum* etc. et quod de hoc praecepto dicitur de reliquis secundae tabulae dici potest mandatis. III. ratio, subdit Scotus, cur Deus in praeceptis secundae tabulae nequeat dispensare est quia horum transgressio praeceptorum hominis opponitur beatitudini. Verum nullus actus qui ad creaturas refertur necessariam habet cum hominis beatitudine connexionem; unde potest Deus ab illis exercendis actibus hominem dispensare. Alias hujus theologi scholasticas ratiocinationes brevitatis caussa praetermitto.

Resp. ad 1. Quum odium Dei per se malum sit et iniquum, repugnat eidem Deo sancto ac justo per essentiam ut quod malum et iniquum est praecipiat, alioquin totus perverteretur aeternae legis ordo.

Ad 2. Potest Deus absolute loquendo auferre ab homine rationem dependentiae ab alio homine quoniam potest homines de novo producere quomodo olim condidit Adam; quo in casu non tenerentur homines honorare parentes quos non haberent, uti factum est in Adamo. Ast supposito quod homines a propriis gignantur parentibus facere nequit Deus quin filii sint filii, ac proinde facere nequit ut filii parentes non colant.

Ad 3. Ut beatitudinem consequamur aeternam ordo aeternae ac naturalis legis postulat ut bene utamur creaturis, ait Augustinus. Porro bene non utitur creaturis qui secundae tabulae praecepta non observat. An ne Deus suam concederet intuitivam visionem illi qui male utitur vel potius fruitur creaturis? Aut facere poterit ut homo utatur Deo et fruatur creaturis? Haec enim duo connexa inter se sunt.

Obj. 3. Non semel Deus dispensavit in lege naturae. Et I. de jure naturae est ut inter fratres ac sorores contrahi nequeat matrimonium. Et

nihilominus Deus in mundi exordiis in hoc praecepto dispensavit. Quum enim unum virum unamque foeminam condiderit ab initio, intercedere necessario debuerunt connubia inter fratres ac sorores ad generis humani propagationem. II. etiam polygamia vetita est lege naturae, et tamen impune eam exercuerunt patriarchae sanctissimi. Undenam illa impunitas nisi ex Dei dispensatione? III. ex Dei dispensatione quoque Abraham contra legem naturae saeviit in filium et quidem innocentem. IV. quare filii Israel non peccarunt quando aurea vasa et argentea aegyptiis furto subripuerunt? Quia nimirum cum iis dispensavit Deus in praecepto, *non furaberis*. V. hoc idem dicendum de foenore quod filii Israel cum alienigenis non cum suis committebant. VI. indissolubilitas matrimonii est proculdubio de jure naturae; attamen in eo dispensatum fuit a Deo per Moysem dato libello repudii. VII. nec Oseas contra naturale praeceptum, *non moechaberis*, peccavit quando ad meretricem accessit, quoniam acceperat jam dispensationem a Deo. VIII. tandem dispensavit Deus circa mendacium cum obstetricibus aegyptiis quas mentiendo non peccasse patet ex quo Deus domos illis aedificaverit. Quis autem ignorat mendacium esse contra legem naturae?

Resp. ad 1. Sunt nonnulli qui docent matrimonium inter fratres ac sorores vetitum esse lege non naturae, sed positiva divina vel ecclesiastica, ita ut magna urgente necessitate praeceptum illud dispensationem admittat. Tenent alii tale matrimonium vetitum esse lege naturae quidem, sed pro certo quodam statu, non absolute. Quum enim unum tantum virum unamque mulierem ex quibus universa humana species debebat propagari initio Deus creaverit, ratio ipsa dictat ut donec sufficienter genus propagatum fuisset humanum iniri debuerint matrimonia inter fratres atque sorores. Multiplicatis deinde sufficienter hominibus subintravit jus naturale dictans fieri amplius non posse talia connubia.

Ad 2. Juxta plures theologos polygamia sola evangelica lege, non naturali vetita est, in quorum sententia nullam vim habet argumentum. Aliis autem placet duplici modo considerare polygamiam, videlicet in se, et relate ad circumstantias. Spectata, inquiunt, priori modo est contra legem naturae ob multas rationes quas theologi afferunt ubi pertractant de matrimonio. Considerata autem comparate ad circumstantias vetitam esse ajunt per legem positivam divinam. Gravis autem circumstantia quae veteres movit patriarchas ad polygamiam fuit ut propagaretur Dei populus non solum praedicatione veritatis, sed etiam carnali generatione. Hinc concludunt quod ea perdurante circumstantia non erat polygamia contra legem naturae.

Ad 3. In facto Abrahami nulla apparet proprie dicta dispensatio. Nam tunc homicidium est naturalis praecepti, *non occides*, materia, quando privata committitur auctoritate, non autem quando fit auctoritate publica; multoque minus si supremi fiat rectoris jussu in cujus potestate ratione supremi dominii est mors et vita hominis etiam innocentis. Hinc si Deus per seipsum interficere voluisset innocentem Isaacum numquid

fecisset aliquid contra legem naturae ? Minime, quoniam Deus supremus dominus est vitae hominis etiam innocentis. Itaque nec Abraham contra naturale jus egisset quia homicidium patrasset jussu Dei. Hinc S. P. Augustinus lib. 22. cont. Faust. cap. 73. scribit: *Quaedam enim facta, lex illa aeterna quae ordinem naturalem conservari jubet, perturbari vetat, ita medio quodam loco posuit hominibus, ut in eis usurpandis merito reprehendatur audacia, in exequendis autem obedientia jure laudetur. Tantum interest in ordine naturali, quid a quo agatur, et sub quo quisquam agat. Abraham si filium sponte immolaret, quid nisi horribilis et insanus? Deo autem jubente, quid nisi fidelis et devotus apparuit?*

Ad 4. Furtum est rei alienae, invito domino, subreptio. Ast filii Israel aegyptiorum vasa aurea et argentea retinendo, rem non subripuerunt alienam sed propriam acceperunt. 1. Quoniam quum auro et argento aegyptii in cultum abuterentur idolorum, Deus qui rerum omnium est supremus dominus in tanti sceleris poenam auri illius et argenti dominium ex aegyptiis transtulit in filios Israel. 2. Quoniam voluit Deus per justam compensationem ut in vasa aurea et argentea dominium acquirerent israelitae qui ingentium laborum mercedem nullam acceperant. Utramque causam affert S. P. Augustinus laudato superius lib. cap. 71. *Aegyptii vero* (erant) *sacrilegi et iniqui*; *nam ex auro illo, hoc est, Dei creatura male utentes ad creatoris injuriam suis idolis serviebant, et homines peregrinos labore gratuito injuste ac vehementer affligebant*. Quod si quis dicat in facto hoc Dei relucere dispensationem saltem in eo quod praeceperit filiis Israel ut postulando ab aegyptiis vasa aurea et argentea cum animo ea non restituendi, mentirentur, respondere poteris Deum filiis Israel non praecepisse ut aegyptios deciperent, sed tantum *ut postularet vir ab amico suo, et mulier a vicina sua vasa aurea et argentea*. Si autem israelitae mutuo ea postularunt cum animo non restituendi, mendacium non Deo nisi permittenti, sed illorum adscribendum est malitiae.

Ad 5. duplici occurro responsione. I. Deus non jussit israelitis ut cum alienigenis foenerarentur, sed permisit dumtaxat. Quum enim judaei rerum temporalium cupidissimi essent, ne anatocismos committerent cum propriis fratribus toleravit ut usuram exigerent a finitimis populis. Sive autem foenus illud approbatio sive Dei permissio fuerit, foenus non erat re sed nomine tantum. Nam filiis Israel repromissa in Abraham erat universa terra Chanaan et Amorrhaeorum. Cumque terram illam injuste chananaei possiderent, licitum ac justum erat bellum inter illos et israelitas. Ubi autem jus belli est ibi etiam est jus usurae, ut observat S. Ambrosius in lib. de Tobia dicens: *Ab illo exige usuram, cui merito nocere desideras: cui jure inferuntur arma, huic legitime auferuntur usurae, quem bello vincere non potes. Ab hoc usuram exige, quem non sit crimen occidere: sine ferro dimicat qui usuras flagitat: sine gladio de hoste ulciscitur qui fuerit usurarius exactor inimici; ergo ubi jus est belli, jus est usurae*.

Ad 6. In repudio de quo Deut. cap. 24. duo consideranda veniunt, scriptio nempe libelli repudii, et uxoris dimissio. Scriptio libelli praecepta fuit a Deo, dimissio autem uxoris fuit a Deo tantum permissa. Neque ex quo Deus repudii libellum scribere praeceperit, sequitur dispensasse in lege naturae. Nam statim ac maritus uxorem suam decreverat repudiare, quid aequius quam ut repudii caussas in libello descriptas judici exhiberet? Ex ea enim scriptione multa eveniebant bona, I. scilicet non poterat maritus temere et absque justa caussa uxorem dimittere. II. uxori dimissae commisceri amplius non poterat. III. quum in libelli scriptione ejusque examine exequendis non parvum insumi deberet tempus, caussae quippe adducendae erant eaeque per testium exhibitionem verificandae, intra illud temporis spatium resipiscere poterat uxor, vel maritus consilium mutare, sicque abstinere a repudio. Unde non repugnat Deum scriptionem praecipisse libelli repudii. Quod vero dimissio uxoris mera esset Dei permissio non jussio, patet tum ex Christi verbis Matth. cap. 19. *Ad duritiam cordis vestri permisit vobis Moyses dare libellum repudii*, tum ex quo si dimissae uxores voluissent subinde ad proprios redire maritos, poterant id absque novo contractu, tum denique quia si dimissae uxores aliis nupsissent, abominabiles coram Deo fiebant, dicente Deuteronomii lege: *Cumque egresssa alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit eam, et dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta est, et abominabilis facta est coram Deo*. Ex quibus apparet repudium illud in re fuisse matrimonii solutionem quoad thorum tantum, non quoad vinculum.

Ad 7. Falsum est Deum cum Osea dispensasse in praecepto, *non moechaberis*, quando jussit illi ut ad mulierem accederet fornicariam. Praeceptum namque Dei fuit ut propheta fornicariam illam duceret in uxorem; dicente Augustino lib. 22. cont. Faust. cap. 80. *Quid inimicum fidei christianae, si meretrix relicta fornicatione, in castum conjugium commutetur?* Et Hieronymus comm. in hunc Osee locum inquit: *Tanto illa sordidior est, tanto sit propheta patientior qui talem uxorem duxit.* Nec obstat Dominum ad prophetam dixisse, *fac filios fornicationum.* Nam verbum, *fac*, eo loco significat, *adopta*; ut sensus sit: duc in uxorem meretricem illam, tibique filios ejus spurios adopta; *facere* enim in sacris litteris crebro sumitur pro, *lucrari, acquirere*; et *facere filium* latinissime significat, *filium adoptare*. Favet huic interpretationi hebraicus textus nec non versiones graeca syriaca et arabica in quibus comma illud hoc modo legitur: *Vade, accipe tibi uxorem fornicationum, et filios fornicationum*.

Ad 8. Falsum est quoque Deum obstetricum aegyptianorum approbasse mendacium etiamsi domos illis aedificaverit. Nam duo in eo facto sedulo sunt distinguenda, misericordia scilicet erga masculos hebraeorum, et medium quo usae sunt obstetrices ut misericordiam exercerent, nempe mendacium. Illarum pietati, non mendacio retribuit Deus mercedem; unde probe Augustinus q. 1. in Exod. scribit: *Aliud faciebant obstetrices vi-*

vificando infantes parvulos, *aliud Pharaoni mentiendo* : *nam in illis vivificandis opus misericordiae fuit ; mendacio vero illo pro se utebantur*, *ne noceret illis Pharao*, *quod potuit non ad laudem*, *sed ad veniam pertinere*.

Obj. ultimo S. Bernardi auctoritatem qui in lib. de praec. et dispens. apertissime favere videtur adversariorum sententiae. Nam cap. 11. dividit *necessarium* in *stabile*, *inviolabile*, *incommutabile*. Ad necessarium stabile refert constitutiones humanas, ut sunt ss. Basilii, Augustini, ac Benedicti regulae, nec non authentici canones etc. Ad necessarium inviolabile refert praecepta secundae tabulae, *non occides*, *non moechaberis*, *non furtum facies* etc. Ad necessarium denique incommutabile praecepta refert dominici sermonis in monte, et quidquid ad dilectionem mansuetudinem humilitatem, virtutesque pertinet reliquas. Hac statuta divisione docet necessarium incommutabile nullam omnino admittere dispensationem, nec quae Dei potestate fiat: *Nulla ex caussa potest*, *vel ab ipso Deo*, *aliquatenus immutari*. Necessarium stabile dispensationem admittit etiam per praelatos Ecclesiae: *Justissimum esse liquet*, *ut quae pro caritate inventa fuerunt*, *pro caritate quoque*, *ubi expedire videbitur*, *vel omittantur vel intermittantur vel in aliud forte commodius demutentur*. Ast in iis quae ad necessarium inviolabile pertinent, in praeceptis videlicet secundae tabulae, negat quidem S. doctor locum habere dispensationem quae ab humana fiat potestate, verum affirmat Deum in praeceptis illis posse dispensare, ait enim: *Etsi nullam prorsus humanam dispensationem admittunt* .... *Dominus autem horum*, *quod voluit*, *et quando voluit*, *solvit*. Juxta Bernardum ergo lex naturalis in praeceptis secundae tabulae contentis proprie dictam admittit dispensationem.

Resp. S. Bernardi doctrina a nostra sententia in nullo recedit. Illius namque systema laudato in argumento libro expositum est quod humanae leges justis de caussis proprie dictam admittunt dispensationem quae concedatur non solum a Deo, sed a legitima quoque humana potestate: lex naturalis primae tabulae contenta praeceptis nullam prorsus neque proprie neque improprie dictam dispensationem patiatur, neque a Deo: lex autem naturalis in iis quae ad praecepta spectant secundae tabulae, admittat dispensationem improprie, quae scilicet fit per materiae commutationem, illaque dispensatio a solo concedi possit Deo. Hanc esse s. Patris mentem patet ab exemplis quae ibidem affert, ubi affirmat necessarium inviolabile admittere dispensationem; ait siquidem Deum dispensasse cum hebraeis quando hi spoliaverunt aegyptios, et cum propheta quando ad mulierem accessit fornicariam. Ast jam paullo ante observavimus, divinam illam cum filiis Israel et cum Osea dispensationem fuisse improprie dictam dispensationem, proindeque nullum ex Bernardo mutuare possunt adversarii argumentum.

CAPUT V.

De lege veteri.

Lex positiva divina quam initio libri hujus explicationem et additionem quamdam diximus legi naturali a Deo factam, dividitur in veterem quae antiqui Testamenti libris continetur, et in novam quam expressam habemus in Testamento novo. Nunc de lege veteri, in sequentibus de lege nova disseremus. Circa veterem legem multa inquirere solent theologi, nempe I. an data sit a Deo. II. an bona sit. III. an tradita mediantibus angelis fuerit Moysi. IV. demum an omnes obligaret homines.

Et quoad primam quaestionem, cerdoniani, marcionitae, manichaei quum duo admitterent summa principia bonum unum, alterum malum, atque in veteri lege multa quae carnalia sunt observassent, non intelligentes ibi latentia mysteria, eo dementiae devenerunt ut crederent integrum vetus Testamentum auctorem habuisse Deum malum. Post hos Ptolomaeus quidam apud Epiphanium lib. 11. quamvis multa fateretur in V. T. vera et recta, multa alia nihilominus ei videbantur rectae rationi contraria, ut divortium et lex talionis, atque haec adscripsit Moysi tamquam auctori primario, alia vero parum Deo digna, ut traditiones de quibus in Evangelio, placuit adscribere senioribus. Iidem haeretici ex consequenti peccarunt etiam in eo quod affirmarent legem veterem malam in se esse, pravisque constitutam praeceptis.

Quoad tertiam quaestionem Justinus, Irenaeus, Athanasius, nonnullique alii veteres existimarunt legem traditam a Deo fuisse Moysi per Verbum in assumpta specie humana. S. P. Augustinus autem quem postea latini Patres secuti sunt demonstravit legem traditam fuisse Moysi per manus angelorum.

Ut demum quartae quaestionis status intelligatur animadvertere juvat triplicis generis praecepta veterem legem continere, moralia nimirum, caeremonialia, atque judicialia, juxta illud Deut. cap. 5. *Loquar tibi omnia mandata mea, et caeremonias, atque judicia.* Praecepta ergo moralia quum nonnisi legis naturae praecepta sint obligabant omnes ac singulos homines sive judaeos sive gentiles. Ast quoad praecepta caeremonialia ac judicialia non obligabat nisi judaeos quibus dumtaxat promulgata fuit. His breviter adnotatis, contra veteres heterodoxos sit

CONCLUSIO I.

Lex vetus ita Deum auctorem habet ut nec Moyses nec seniores aliquid de suo illi addiderint.

Prob. 1. pars. I. novi Testamenti Scripturis quibus divinam non denegant manichaei auctoritatem. Christus Matth. cap. 15. alloquens phariseos qui mul-

tas in religionem invexerant futiles humanas traditiones, sic inquit: *Vos irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras*. Lucae cap. 1. ita loquitur Zacharias: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suae . . . sicut locutus est per os sanctorum, qui a saeculo sunt prophetarum ejus*. Actor. cap. 3. Petrus ait: *Deus autem, quae praenuntiavit per os sanctorum, pati Christum suum, sic implevit*. Paulus ad Hebr. cap. 1. *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis etc.* II. ex SS. PP. a quorum recitandis sententiis abstineo ne in re tam manifesta tempus terere videar. Id unum animadverto quod stultam hanc haereticorum opinionem praeclare refutarunt Tertullianus in libro adv. Marcion. Irenaeus lib. 4. adv. haer. Hieronymus comm. in ep. ad Tit. et S. Augustinus in lib. contra Faust. et contra adversar. legis et prophetarum. III. ex ecclesiasticis definitionibus: nam Toletani concilii Patres quum animadvertissent serpere adhuc antiquum illud manichaeorum virus, in fidei confesssione sic inquiunt: *Si quis dixerit, aut crediderit, alterum esse Deum priscae legis, alterum evangeliorum, anathema sit*. Plures alias Ecclesiae definitiones adversus manichaeos brevitati consulens omitto. IV. ex theol. ratione. Lex vetus homines ordinabat ad Christum, et in illa tota praenunciata est Christi vita, unde Christus Lucae cap. ult. ajebat: *Oportet impleri omnia quae scripta sunt in lege, et psalmis, et in prophetis de me*. Quis autem dixerit Deum malum legem instituere voluisse per quam homines ad Christum ordinarentur? Nonne Christus omnia debebat principii mali opera dissolvere?

Prob. pars. altera, quod nempe nihil Moyses vel seniores de suo divinae legi addiderint. Et quoad Moysem, Exod. cap. 24. legitur: *Moyses narravit plebi omnia verba Domini, atque judicia; responditque populus viva voce: Omnia verba Domini, quae locutus est, faciemus*. Et paullo infra: *Assumensque* (Moyses) *volumen foederis, legit, audiente populo, qui dixerunt: Omnia quae locutus est Dominus, faciemus*. Lex itaque tradita populo a Moyse quoad omnia ac singula praecepta etiam caeremonialia et judicialia, erat verbum Domini. Deinde quodnam est in lege sive morale sive caeremoniale sive judiciale praeceptum, quod latum ac promulgatum non sit nomine Dei? Ubique enim inquit Moyses: *Haec dicit Dominus*: *Dominus locutus est*: *Haec sunt verba Domini etc.* An ne putandum est Moysem fuisse mentitum ut Deo quae sua erant adscriberet? Quoad traditiones seniorum breviter dico illas de quibus sermo fit in volumine Isaiae et in evangelio Matthaei ad legem veterem non pertinere, sed fuisse aut superstitiosa aut vana hominum inventa divinae legi contraria. Idque ex illarum enumeratione quae in Evangelio recensetur, facile persuadetur.

CONCLUSIO II.

Lex vetus bona est.

Prob. 1. Apostolus in ep. ad Rom. cap. 7. ait: *Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum*. Et in 1. ad Tim. cap. 1. *Bona est lex, si quis ea legitime utatur*.

Prob. 2. ex communi PP. sensu. Nam praeter Justinum, Tertullianum, Irenaeum, Hieronymum, et Augustinum supra laudatos, veterem legem bonam esse ex professo demonstrarunt Origenes cont. Cels. Clemens alex. lib. 1. paedag. Gregorius nazianz. orat. 42. aliique plures.

Prob. 3. ratione. I. lex vetus Deum O. M. auctorem habuit, ut dictum est, unde bona est. II. vetus lex in omnibus partibus suis praefigurabat Christum Dominum, dicente Apostolo: *Omnia in figura contingebant illis*. III. patriarchae et prophetae primitus qui erant sanctissimi viri, tum B. Maria Virgo, et Apostoli, imo et ipse Christus legem veterem observarunt, unde Matth. 5. Christus ait: *Non veni legem solvere, sed adimplere*. IV. vetus lex homines ad veri Dei cultum excitabat, revocabat illos a falsis numinibus, reprimere concupiscentiam docebat, ejusque cultoribus omnia praecipiebat genera virtutum. Nonne haec bona sunt?

SCHOLION

Quum vetus lex bona esset erat quoque perfecta. Sed perfecta dici poterat in suo genere, quia hominibus quibus data fuit erat satis accommodata. Verum si illam comparemus cum evangelio merito dici potest imperfecta, quoniam lata fuit ut per eam disponerentur homines ad evangelium. Atque hoc sensu scribebat Apostolus ad Rom. cap. 4. *Quia ex operibus legis non justificabitur homo*. Et ad Hebr. *Reprobatio quidem fit praecedentis mandati propter infirmitates ejus, et inutilitatem; nihil enim ad perfectum adduxit lex*. Haec adnotare volui ut recte intelligatur Apostolus ubi de veteri lege loquitur ad Rom. ad Gal. ad Hebr. et alibi saepe. Comparat quippe tunc veterem cum nova lege quae est illius complementum.

CONCLUSIO III.

Vetus lex data a Deo fuit Moysi per angelos.

Prob. 1. ex cap. 7. Actor. Apost. ubi Stephanus inquit: *Accepistis legem in dispositione angelorum*, quibus in verbis observat S. P. Augustinus lib. 3. de Trin. cap. 11. haberi *angelos* in numero multitudinis, non *angelum* in singulari, neque per hos factum quemlibet sermonem, bene vero legem datam esse: ac propterea concludit: *Quid hoc evidentius, quid tanta auctoritate robustius? In edictis quidem angelorum lex illi populo data est.*

Prob. 2. ex cap. 3. ep. ad Gal. ubi sic Apostolus loquitur: *Quid igitur lex? Propter transgressiones posita est, donec veniret semen cui promiserat, ordinata per angelos in manu mediatoris*. In quem locum scribit Hieronymus: *Quod ait Apostolus, lex per angelos, hoc vult intelligi, quod in omni veteri Testamento, ubi angelus primum visus refertur, et postea quasi Deus loquens inducitur, angelus quidem vere ex ministris pluribus, quicumque sit visus; sed in illo loquatur mediator qui dicit: Ego sum Deus Isaac, Deus Jacob*.

Prob. 3. ex ep. ad Hebr. cap. 2. ubi sic ratiocinatur Apostolus: *Si enim qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus, et omnis praevaricatio, et inobedientia accepit justam mercedis retributionem; quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem?* Hanc sententiam sic explanat Augustinus loco nuperrime citato: *Apertissime quippe scriptum est in epistola ad Hebraeos, cum dispensatio N. Testamenti a dispensatione veteris Testamenti ... distingueretur, non tantum illa visibilia, sed ipsum etiam sermonem per angelos factum. Sic enim dicit: Ad quem autem angelorum dixit aliquando etc. ... Sed propter eos, qui cum scriptura illic angelum nominat, ipsum per seipsum filium Dei volunt intelligi, quia propter annuntiationem paternae, ac suae voluntatis a propheta dictus est angelus: propterea voluit ex hac epistola manifestius testimonium dare, ubi non dictum est, per angelum, sed, per angelos*.

CONCLUSIO IV.

Lex vetus quoad moralia praecepta homines omnes obligabat, quoad praecepta vero caeremonialia et judicialia solos judaeos.

Prob. pars 1. thes. ex eo quod praecepta moralia praecepta sint juris naturae, ut ex decalogi patet lectione. Juris autem naturae praecepta obligant omnes ac singulos homines qui facere tenentur quae recta ratio praescribit.

Prob. pars altera. Vetus lex quoad caeremonialia ac judicialia praecepta lata et promulgata fuit solis judaeis, non reliquis hominibus. Nam Deut. cap. 4. legitur de israelitis: *Quae est alia gens tam inclyta quae habeat caeremonias et judicia justa?* Psal. 147. *Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis*. Apostolus ad Rom. cap. 3. discrimen assignans judaeos inter ac gentiles inquit: *Quid ergo amplius judaeo est? Multum per omnem modum: primum quidem, quia credita sunt eis eloquia Dei*. Itaque veteri lege pro caeremoniis ac judiciis sumpta soli tenebantur judaei, quum positiva lex illos dumtaxat obliget quibus promulgatur.

SCHOLION

Etsi reliqui a judaeis homines veterem non acceperint a Deo legem, consequi tamen poterant aeternam salutem; idque duplici modo, nempe

vel fidem in mediatorem habendo observare omnia praecepta juris naturae, vel per circumcisionem ad judaeorum ecclesiam accedendo juxta praeceptum Exod. cap. 12. v. 48. *Quod si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, et facere phase Domini, circumcidetur prius omne masculinum ejus, et tunc rite celebrabit*; *eritque sicut indigena terrae*.

Brevis difficultatum enodatio.

Obj. I. adv. I. thes. Deut. cap. 32. legitur: *Dei perfecta sunt opera*. Cumque fuerit vetus lex imperfecta Deum non habuit auctorem. II. auctor Eccl. cap. 3. inquit: *Didici quod omnia opera quae fecit Deus perseverent in perpetuum*. Vetus ergo lex quae jam cessavit non est opus Dei. III. sacrae litterae sanctique Patres passim appellant Moysem judaeorum legislatorem. Ita Christus Matth. cap. 19. de lege loquens repudii inquit: *Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras*. Et Joan. cap. I. *Lex per Moysen data est*. Moyses itaque vel totius veteris legis vel saltem caeremonialium ac judicialium praeceptorum fuit auctor.

Resp. ad I. veterem legem in genere suo fuisse perfectam quum homines ad novum disponeret ac dirigeret Testamentum. Dicitur autem imperfecta comparate ad novam legem, ut paullo supra monuimus.

Ad 2. dico I. sententiam Ecclesiastis intelligendam esse de rerum corporearum complexione, quamquam enim res corporeae formam continuo mutent, illarum tamen materia in aeternum perseverat. 2. Vox illa, *perpetuum*, non semper in rigoroso sensu accipitur, sed aliquando significat dumtaxat tempus diuturnum, ut pluribus demonstrari posset exemplis, et hoc sensu vetus lex aeterna dicitur in Scripturis, quum a Moyse ad Christum diuturnum intercesserit tempus. 3. Deus aliqua efficit opera quae ad tempus, non in aeternum sint duratura, atque hujus generis fuit vetus lex de qua Deus ipse saepe dicit in Scripturis ad Christum usque fuisse duraturam.

Ad 3. Sacrae litterae ac sancti Patres passim appellant Moysem judaeorum legislatorem quatenus legem a Deo sancitam ipse tradidit promulgavitque judaeis, non quod ipse primarius fuerit illius legis institutor. Nam sicuti legitur: *Moyses ad duritiam cordis vestri* etc. ita legitur Marci cap. 7. *Moyses enim dixit*: *honora patrem et matrem*, et nihilominus per adversarios praecepti hujus moralis non fuit Moyses nisi praeco et promulgator. Quare etsi Moysi omnia tribuantur praecepta legis, non consequitur fuisse totius legis primarium auctorem.

Obj. 2. adv. 2. thes. Antiqua lex continet praecepta mala; nam I. Ezech. cap. 20. ita Deus inquit: *Dedi eis praecepta non bona*. II. Apostolus in 2. ad Cor. cap. 3. scribit: *Littera occidit*, *spiritus autem vivificat*. III. in ep. ad Rom. cap. 5. ait: *Lex subintravit*, *ut abundaret delictum*. Et cap. 7. subdit: *Sine lege peccatum mortuum erat*, *Ego autem vivebam sine lege aliquando*. *Sed cum venisset mandatum*.

peccatum revixit. Ego autem mortuus sum. IV. ad Hebr. scribens cap. 8. inquit: *Si illud prius* (Testamentum) *culpa vacasset, non utique secundi locus inquireretur*. Jam vero lex quae occidit, quae abundare facit ac reviviscere peccatum, et culpa non vacat potest ne aliquo sensu dici bona?

Resp. ad 1. cum S. Hieronymo in hunc locum, Deum per os prophetae loqui non de lege sua quam filiis Israel tradidit, sed de legibus iniquis ethnicorum quas israelitae observabant, verbumque, *dedi*, idem esse ac, *permisi*. Solutio haec Hieronymi confirmatur ex iis quae eodem in capite prophetae occurrunt: *Dedi eis* (inquit Dominus) *praecepta mea, et judicia mea ostendi eis, quae faciens homo vivet in eis*. 2. Responderi quoque potest cum S. P. Augustino qui in ep. 82. cap. 2. n. 14. ad Hieron. affirmat vetera praecepta dici non bona comparate ad legem novam, non quod illius praecepta rectae rationi adversentur. *Forte*, inquit, *propterea non dixit mala, sed tantum non bona, idest non talia ut illis homines boni fiant, aut sine illis boni non fiant*. Placuit explicatio haec Gregorio etiam M. ut videre est in lib. 28. moral. cap. 7. et S. Thomae.

Ad 2. Dicitur lex occidere, per illam abundare delictum, reviviscere peccatum, non vacare culpa, sed haec vetus lex praestat per accidens et occasionaliter, non directe ac per se, hoc est homines legis non obtemperando praeceptis rei efficiebantur. Sed aliquid dicamus de singulis. Atque ad 1. Apostolus in 2. ad Cor. discrimen statuit inter veterem novamque legem, et ait illam occidere, hanc vivificare, quoniam haec jubendo atque vetando, gratiam Spiritus sancti per quam homo praecepta adimplendo vivificatur subministrat, illa autem quum homines salvi non fierent nisi in spe futuri mediatoris, gratiam et caritatem non subministrabat.

Ad 3. Quae Paulus habet in ep. ad Rom. sic explicantur ab Augustino lib. 22. adv. Faust. cap. 11. *Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum et justum et bonum. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem. Neque enim lex jubebat delictum, ut illa subintrante abundaret delictum; sed superbos multum sibi tribuentes, mandati sancti et justi et boni adjectio reos jam praevaricationis effecerat: ut eo modo humiliati discerent* etc. Eadem jam scripserat lib. 15. adv. eumdem Faust. cap. 8. ubi haec notata digna adjecerat: *Lex semper est bona, sive obsit inanibus gratia, sive prosit plenis gratia, semper est bona: sicut sol semper est bonus ... sive dolentibus oculis noceat, sive sanos mulceat*. Peccatum ergo per legem abundavit ac revixit quatenus per legem homines agnoverunt peccatum, juxta illud ejusdem Pauli ad Rom. cap. 3. *per legem cognitio peccati*.

Ad 4. In ep. denique ad Hebr. inquit Apostolus, legem culpa non vacasse, quia israelitae sub lege illam non observantes neglecti sunt a Deo; non enim poterat absque Christi gratia justificare. Deinde culpa non vacabat, quoniam occasionem praebebat licet per accidens divina transgrediendi mandata, nec gratiam suppeditabat. Unde idem Paulus ad Rom.

cap. 7. scribit: *Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam*, quia nitimur semper in vetita.

Obj. 3. item cont. eamd. prop. I. lex vetus stulta praecipit et absurda, jubet quippe ut offerantur Deo cruenta sacrificia quasi fumo delectetur holocaustorum. II. est etiam in Deum injuriosa quum abstinentiam praecipiat a pluribus quae a Deo conditore fuerunt benedicta. III. contraria est pietati ubi immundos declarat illos qui cadavera tetigissent mortuorum. IV. destruit legem naturae quoad illa praecepta, *non occides*, *non moechaberis*, *non pejerabis*, *non concupisces*. Praecipit enim ut judaei judaeos diligant, alios autem odio habeant, vetat externam dumtaxat fornicationem, omnia juramentorum approbat genera illo excepto quod Dei fit invocatione, ac denique solas temporales divitias promittit suis cultoribus. V. admittit poenam talionis quae merito proscribitur a Christo Matth. cap. 5. *Audistis quia dictum est antiquis, dentem pro dente, oculum pro oculo: ego autem dico vobis, non resistere malo*. VI. crudelitatem redolet atque tyrannidem. Nam jussit aliquando ut chananaei omnes et amalecitae non exceptis lactentibus pueris interficerentur. VII. unde merito Petrus Actor. cap. 15. dixit jugum legis asperum fuisse et importabile: *Quid tentatis imponere jugum super cervicem discipulorum quod neque nos neque patres nostri portare potuerunt?*

Resp. ad 1. Veteres offerebant Deo juxta mosaicam legem cruenta sacrificia tum ut Christum praefigurarent in cruce immolandum, tum ut Deo supremo rerum omnium domino obsequium exhiberent, tum demum ut longe ab idolorum cultu abessent, non quod putarent delectari Deum nidore holocaustomatum.

Ad 2. Respondet Tertullianus lib. 2. cont. Marcion. cap. 18. legem ciborum praecepisse delectum, ut judaeorum edacitas comprimeretur, atque ut abstinerent a quibusdam vitiis quae aliquibus cibis adumbrantur.

Ad 3. Falsum est legem immundos declarasse illos qui mortuorum cadavera sepeliebant, quod pietati certe repugnaret. Nam inter Tobiae laudes et hoc recensetur quod *mortuis atque occisis sepulturam solicitus exhibebat*. Interdicitur ergo mortuorum contactus extra necessitatem pietatis exercendae, et hoc mysterio non vacabat, per hoc quippe significabatur immundos dignos non esse ut sacrificia offerrent.

Ad 4. Falsum est quoque veterem legem praeceptis adversari juris naturae, neque contrarium allata exempla demonstrant. Ubi namque praecipit lex ut judaei odio habeant alienigenas intelligenda est de idololatris quorum sacrilegia scandalum afferre poterant populo Dei, vel cum S. P. Augustino lib. 19. cont. Faust. cap. 24. hoc sensu, *quod unusquisque iniquus homo, in quantum iniquus est, odio habendus est, in quantum autem homo est, diligendus est*. Sive quod idem recidit: odio habeamus iniquitatem, diligamus autem socialem rationalemque creaturam; verba sunt pariter S. P. Augustini in eodem loco occurrentia. Externam autem vetando fornicationem, non permittit interiorem moechiam. Quod ad libellum pertinet repudii, jam in superioribus diximus meram fuisse toleran-

tiam. Ubinam vero lex antiqua tradit non tenere juramenta absque divini nominis obtestatione facta? Confundunt manichaei falsas pharisaeorum consuetudines cum praeceptis veteris legis. Ac denique praeter temporalia bona vetus lex spondebat etiam bona supernaturalia observantibus eam. Nam etiam hebraei credebant legis observatione assequi vitam aeternam, ac tamquam haereticos habuere sadducaeos carnis resurrectionem denegantes.

Ad 5. Ait Augustinus lib. 19. cont. Faust. cap. 26. quod oculum pro oculo et dentem pro dente non fomes sed limes furoris est, nempe quum ille qui injuriam accepit majorem repetere de inimico vellet vindictam, provisum fuit per legem, ut tantum pendat ille supplicii quantum injuriae intulit. Ideo autem illam de medio sustulit Christus legem quoniam in N. Testamento in statu sumus perfectionis.

Ad 6. Lex de chananaeis et amalecitis interficiendis aequissima fuit. Chananaei siquidem idololatrae erant eorumque sacrilegia mensuram jam expleverant. Amalecitae vero contra jus ac Dei voluntatem populo Israel in terram promissam proficiscenti inique restiterant; merito igitur divina justitia vindictam de illorum sceleribus per israelitarum manus accepit. Mors autem lactentibus pueris inflicta est ut magis parentum dolor adaugeretur, nec innocentes erant qui culpam habebant originalem.

Ad 7. Vetus denique lex dicitur in Act. Ap. importabile jugum quia jubebat et vetabat, nec caritatem ad observanda praecepta conferebat. Gratia enim ad implenda praecepta necessaria conferebatur antiquis intuitu meritorum Christi venturi. Nonnulla hujus furfuris alia soluta vide apud Augustinum lib. 22. cont. Faust.

Obj. 4. cont. 3. prop. Verbum divinum in assumpta specie legem tradidit Moysi. I. quum magnum redemptionis mysterium ab ipso foret perficiendum, congruum videbatur ut homines ad illud paullatim disponeret. II. nec obstat quod in Act. Ap. lex data dicatur per angelum. Nam etiam Verbum ratione assumptae naturae qua Patri ministrabat dici poterat angelus, et magni consilii angelus appellatur ab Isaia. III. hinc est quod ille qui Moysi apparebat seipsum dicit Deum: *Ego sum Dominus Deus tuus*. IV. hinc etiam in Scriptura legitur Moysem ore ad os allocutum fuisse Deum.

Resp. ad 1. Ad homines disponendos ad magnum divinae dispensationis mysterium satis erat angelorum, ac prophetarum ministerium; quum e contra conveniens non videatur ut lex vetus quae minus nova perfecta erat, administraretur immediate per Verbum divinum sicuti nova.

Ad 2. Jam supra cum Augustino nostro animadvertimus in Act. Ap. haberi angelos in numero plurali, non angelum in numero singulari, ut apud Isaiam.

Ad 3. respondeo cum Augustino lib. 3. de Trin. cap. 1. *Cum verba judicis praeco pronuntiat, non scribitur in gestis, ille praeco dixit; sed, ille judex: sic etiam loquente propheta sancto, etsi dicamus, propheta dixit, nihil aliud quam Dominum dixisse intelligi volumus. Et si dicamus, Dominus dixit, prophetam non subtrahimus, sed quid per eum dixerit admonemus.*

Ad 4. prosequitur idem S. doctor in serm. ad catechum. cap. 3. *Quia lux illa perpetua, quae Deus est, plus eum quam ceteros illustraverat, ideo dictum est, Os ad os loquebatur illi: ac si diceretur, Plus omnibus manifestatus est illi*. Et lib. 12. de Gen. ad litt. cap. 26. *Non os corporis, sed mentis, sicut intelligendum arbitror quod de Moyse scriptum est*. Velim insuper animadvertas eo loci non legi, *os ad os* locutum Dominum Moysi in monte Sina dum dabat illi legem; quod objectatio supponit.

Obj. ultimo adv. 4. thes. Non judaei solum sed singuli homines subditi sunt supremo Dei dominio, unde omnes homines veteri lege tenebantur; alioquin felicioris prae judaeis conditionis fuissent gentiles qui nonnisi legem naturalem servare debuissent.

Resp. Quamvis etiam gentiles Dei supremi legislatoris subditi essent, vetus nihilominus lex eos non obligabat quoniam solis judaeis non gentibus lex illa promulgata fuit. Nec proinde seqnitur felicioris fuisse gentiles prae judaeis conditionis, quum infelicitas hominum non a legum multitudine pendeat, sed a majori ab aeterna salute distantia. Hinc facilius prae reliquis judaei salvabantur.

CAPUT VI.

De veteris legis abrogatione.

Ut quae de veteris legis abrogatione disputare solent theologi probe intelligantur observandum est considerari posse veterem legem in triplici statu, et prout *viva* fuit, et prout *mortua*, et prout *mortifera*. Viva fuit quandiu illius praecepta homines quibus fuerant promulgata, obligarunt. Fuit autem mortua quando praecepta illa non amplius obligabant, sed si quis ea observasset non proinde peccabat. Evasit denique mortifera quando non solum non amplius obstringebat, sed illius observatio culpa non vacasset. Theologi ergo de veteris legis abrogatione disserentes inquirere solent quandiu lex illa viva fuerit seu obligaverit, quando caeperit esse mortua nec amplius obligare, et quando evaserit mortifera ita ut citra culpam servari non posset. Sed dum haec inquirunt loquuntur de veteri lege quoad praecepta legalia et judicialia, non quoad praecepta moralia, haec enim quum sint de jure naturae vivunt adhuc et vivent, hoc est obligant et obligabunt homines usque ad saeculi consummationem.

Theologi omnes, excepto Scoto, hoc circa legalia sentiunt, quod viva fuerint a Moyse eorum promulgatore usque ad Christi mortem, a Christi autem morte usque ad sufficientem Evangelii promulgationem fuerint mortua, et a sufficiente Evangelii promulgatione caeperint esse mortifera. Dixi, uno excepto Scoto, quoniam putans is sacramentum Baptismi institutum a Christo fuisse triennio ante mortem ita ut omnes obligaret, putavit ex consequenti circumcisionem tunc fuisse abrogatam, sacrificia autem ac reliquos ritus desiisse in Christi morte.

Materiam hanc de legalium abrogatione in clarissima luce posuit S. P. Augustinus in epistolis ea de re ad S. Hieronymum datis. Sciendum quippe est quod Hieronymus existimabat legalia praecepta post Christi mortem ac initio Evangelii non solum statim mortua fuisse, sed etiam illico evasisse mortifera. Animadvertens e contra Paulum circumcidisse Timotheum in Cenchris, aliaque juxta ritus fecisse judaicos in eam abiit opinionem ut crederet utilem aliquando esse, et in tempore assumendam simulationem. Hinc opinabatur Paulum simulate exercuisse legalia, simulate Petrum subduxisse se a mensa gentilium, eique Paulum in faciem restitisse simulate. Quum haec Augustinus in comm. Hieronymi ad cap. 2. ep. ad Gal. legisset, tres ad illum ab an. 395. usque ad an. 405. scripsit epistolas in quibus sanctum virum hortatur ut tam perniciosam abjiciat opinionem, eoque res devenit ut Hieronymus primus conticuerit, victoriae palmam in ea controversia relinquens Augustino. His breviter adnotatis nunc sit

CONCLUSIO I.

Lex vetus nonnisi in Christi morte fuit abrogata.

Prob. 1. Lex vetus quoad caeremonias et judicia fuit N. Testamenti figura: *Omnia in figura*, inquit Apostolus, *contingebant illis*. Figurae autem ac mysteria nonnisi in morte Christi fuere completa. Nam quod inquit Matth. cap. 27. *Et velum templi scissum est in duas partes*, et Christus Joan. cap. 19. *Consummatum est*, a sanctis Patribus de consummatione et complemento explicantur mysteriorum ac figurarum. Unde nonnisi in Christi morte legalia cessarunt.

Prob. 2. Vetus lex tunc abrogata fuit quando abolito levitico sacerdotio sacerdotium surrexit secundum ordinem Melchisedech. Scribit enim Apostolus ad Hebr. cap. 7. *Translato sacerdotio, necesse est, ut et legis translatio fiat*. Ast vero leviticum sacerdotium translatum non est, neque mechisedechicum introductum nisi quando Christus in cruce pependit. *Tunc scilicet preces supplicationesque cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro reverentia sua*, ut idem Apostolus ait ad Hebr. cap. 5. Tunc etiam sacramenta quae ex aperto illius latere fluxerunt instituit, ut docent sancti Patres.

Prob. 3. V. Testamentum tandiu in suo robore viguit donec Testamentum N. confirmaretur: *Hoc significante Spiritu sancto*, inquit Apostolus ad Hebr. cap. 9. v. 8. *nondum propalatam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum*. Porro N. Testamentum in Christi morte confirmatum est, dicente ibidem Apostolo v. 15. *Et ideo N. Testamenti mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earum praevaricationum, quae erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt aeternae haereditatis. Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est: alioquin nondum valet dum vivit qui testatus est.*

COROLLARIUM.

Quae hactenus allata sunt valent etiam ad refellendos cerinthianos, ebionitas aliosque veteres haereticos qui docebant ad aeternam salutem consequendam commiscenda esse legalia cum mysteriis N. Testamenti. Quibus addi possunt quae tradit Paulus in ep. ad Gal. qui consimilia effutiebant. Ajebat autem Paulus cap. 2. *Si per legem justitia; ergo gratis Christus mortuus est*. Legatur etiam caput 5.

CONCLUSIO II.

Quamvis legalia in Christi morte obligare desierint, non proinde tamen illico evaserunt mortifera.

Prob. 1. Apostoli diu post Christi mortem legalia usurparunt, nec nisi post plures annos non ultra imponenda esse decreverunt; quod certe non fecissent si statim post Christi mortem evasissent mortifera. Nam Actor. cap. 16. legitur Paulum circumcidisse Timotheum discipulum suum ex matre judaea natum. Ibid. cap. 18. narratur eumdem Paulum sese judaeorum more totondisse in Cenchris. Et cap. 21. idem Paulus, suadente Jacobo, *assumptis viris, postera die purificatus cum illis intravit in templum*. Petrus etiam ut Actor. cap. 10. legitur quando celebrem habuit visionem, decennio scilicet post Christi mortem, ajebat numquam se manducasse quidquam commune et immundum, hoc est legalem servasse ciborum delectum. Ac denique nonnisi anno 50. aerae vulg. et 17. post Christi mortem in primo generali concilio decreverunt Apostoli non esse veteris legis jugum deinceps imponendum fidelibus, notissimo illo decreto, *visum est Spiritui sancto et nobis, nihil ultra vobis imponere oneris, quam haec necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione*. Itaque ad usque illa tempora licitus fuit usus legalium.

Prob. 2. Quum vetera sacramenta Deum auctorem habuerint, in se adeo bona erant ac sancta ut pro illius aetatis conditione homines ad vitam ducerent aeternam, supposita spe in futurum mediatorem. Congruum itaque erat ut cum honore ac dignitate finem acciperent ne impii homines existimarent, ut revera manichaei fecerunt, a Deo malo fuisse instituta. Ita Augustinus in ep. 82. alias 19. ad Hieronymum cap. 2. n. 16. *Sicut defuncta corpora necessariorum officiis deducenda erant quodam modo ad sepulturam, nec simulate sed religiose, non autem deserenda continuo, vel inimicorum obtrectationibus, tamquam canum morsibus projicienda*. Sed quoniam Hieronymus primum a nobis allatum argumentum solvere se putabat dicendo, apostolos oeconomiae caussa non sincere, sed simulate legalia observasse, sit

CONCLUSIO III.

Apostoli sincere non simulate post Christi mortem legalia servarunt, et sincere pariter non simulate Paulus restitit in faciem Petri.

Prob. 1. pars. I. Actor. cap. 21. haec occurrunt: *Sequenti autem die introibat Paulus ... ad Jacobum, omnesque collecti sunt seniores ... At illi cum audissent, magnificabant Deum, dixeruntque ei: Vides, frater, quot millia sunt in judaeis qui crediderunt, et omnes aemulatores sunt legis. Audierunt autem de te, quia discessionem doceas a Moyse eorum, qui per gentes sunt judaeorum, dicens non debere eos circumcidere filios suos, neque secundum consuetudinem ingredi ... Hoc ergo fac quod tibi dicimus. Sunt nobis viri quatuor votum habentes super se. His assumptis sanctifica te cum illis, et impende in illis, ut radant capita; et scient omnes, quia quae de te audierunt falsa sunt, sed ambulas et ipse custodiens legem ... Tunc Paulus assumptis viris, postera die purificatus cum illis intravit in templum annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio.* Demonstrant haec apostolos sincere non simulate observasse legalia. 1. Enim illi qui scandalum de Paulo sumpserant putantes discessionem docere a Moyse, quum christiani essent qui ex judaismo venerant, sincere proculdubio non simulate legalia observabant. 2. De Paulo et quatuor ab eo assumptis viris narratur quod se sanctificaverint. Sanctificatio autem sic simpliciter prolata verum sincerumque Deo exhibitum cultum per purificationem significat. 3. Jacobus ac seniores consilium Paulo dantes ut se sanctificet absolute inquiunt, *fac quod dicimus, sanctifica te*, non ajunt *simula*. 4. Iidem Paulum alloquentes dicunt, *et scient omnes quia quae de te audierunt falsa sunt, sed ambulas et ipse custodiens legem*; non dicunt, putabunt omnes etc. unde S. P. Augustinus laudata in ep. 82. ad Hieron. cap. 2. n. 3. inquit: *Nam si revera sic ea reprobaret, quemadmodum de illo auditum erat; et ideo celebranda susciperet, ut actione simulata suam posset occultare sententiam; non ei diceret Jacobus (et scient omnes) sed diceret, et putabunt omnes, quoniam quae de te audierunt falsa sunt; praesertim quia in ipsis jerosolymis apostoli jam decreverant ne quisquam gentes cogeret judaizare: non autem decreverant ne quisquam tunc judaeos judaizare prohiberet, quamvis etiam ipsos jam doctrina christiana non cogeret.* II. si non sincere sed simulate apostoli post Christi mortem legalia exercuissent rei fuissent mendacii irreligionis et scandali. Rei fuissent mendacii, nam unum fecissent exterius, et aliud interius cum animo fallendi intendissent. Rei fuissent quoque irreligionis quoniam ad Deum colendum signa assumpsissent falsae religionis. Ac denique scandalum attulissent populo, fideles quippe induxissent ad rem malam atque mortiferam exercendam. III. ratio cur apostoli simulate servare debuissent legalia est quod quum jam essent mortifera, uti prudenti quadam oeconomia debe-

bant ut judaeos lucrifacerent. Ast ratio haec nulla est 1. quoniam falsum est legalia statim post Christi mortem evasisse mortifera, ut supra probatum est. 2. quia aliquid assumere mortiferum ad religionem propagandam superstitio est non prudens oeconomia, alioquin licitum esset ad lucrifaciendos gentiles, idolis simulate sacrificare, ac immerito damnati tamquam superstitiosi fuissent ritus sinenses. Unde optime Augustinus in ep. 40. alias 9. ad Hieron. cap. 4. n. 6. inquit: *Nam si propterea* (Paulus) *illa sacramenta celebravit, quia simulavit se judaeum ut illos lucrifaceret: cur non etiam sacrificavit cum gentibus, quia et iis qui sine lege erant, tamquam sine lege factus est, ut eos quoque lucrifaceret?*

Prob. alt. prop. pars factum narrando prout ab Apostolo describitur in ep. ad Gal. cap. 2. *Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Prius enim quam venirent quidam a Jacobo, cum gentibus edebat: cum autem venissent subtrahebat, et segregabat se, timens eos, qui ex circumcisione erant. Et simulationi ejus consenserunt ceteri judaei; ita ut et Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. Sed cum vidissem quod non recte ambularent ad veritatem evangelii, dixi Cephae coram omnibus: Si tu judaeus cum sis, gentiliter vivis et non judaice, quomodo gentes cogis judaizare?* Hactenus Paulus, quibus satis superque demonstratur Paulum sincere et ex animo non simulate Petrum reprehendisse. Nam 1. idem Paulus illius ep. cap. 1. jurejurando testatur se vera scribere et non mentiri: *Quae autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior*. Porro si ficte ac simulate Petrum reprehendisset, affirmando reprehensione fuisse dignum nonne mentitus fuisset? 2. Ait ibid. de Petro, *quia reprehensibilis erat;* et addit, *cum vidissem quod non recte ambularet ad veritatem evangelii;* et rursus, *cogebat judaizare*. Quare Petrus vel recte se gerebat vel non. Si primum, Paulus ergo mentitur scribens Petrum non recte ad veritatem evangelii ingressum fuisse. Si alterum, ergo reprehensione dignus erat Petrus, adeoque vere ac sincere fuit a Paulo reprehensus. Ita argumentatur Augustinus scribens ad Hieron. citata ep. 82. cap. 2. n. 7. *Si hoc fecit Petrus, quod facere debuit; mentitus est Paulus quod eum viderit non recte ingredientem ad veritatem evangelii. Quisquis enim hoc facit, quod facere debet, recte utique facit. Et ideo falsum de illo dicit, qui dicit eum non recte fecisse, quod eum novit facere debuisse. Si autem verum scripsit Paulus; verum est, quod Petrus non recte tunc ingrediebatur ad veritatem evangelii. Id ergo faciebat quod facere non debebat: et si tale aliquid Paulus ipse jam fecerat, correctum potius etiam ipsum credam coapostoli sui correptionem non potuisse negligere, quam mendaciter aliquid in sua epistola posuisse; et in epistola qualibet: quanto magis in illa in qua praelocutus ait* (*Quae autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior.*) In hujus rei confirmationem plures afferre possem sanctos Ecclesiae Patres, sed unus mihi sufficiet Hieronymus qui hortante ac sua-

dente Augustino palinodiam tandem in lib. 1. cont. Pelag. cap. 8. ceciuit scribens: *Si ipse Apostolus dicit de Petro, quod non recta fide incesserit in evangelii veritate, et in tantum reprehensibilis fuerit ut et Barnabas adductus fuerit in eamdem simulationem, quis indignabitur id sibi denegari quod princeps apostolorum non habuit?*

Solvuntur breviter objectiones.

Obj. 1. cont. 1. th. Vetus lex desinere debuit quando Christus evangelium caepit praedicare, triennio scilicet ante illius mortem. Nam Lucae cap. 16. legitur: *Lex et prophetae usque ad Joannem*. Et revera quando Christus a Joanne in jordane baptizatus est, tunc praecipuum institutum fuit christianae religionis mysterium, nempe baptismus. Tunc igitur obligare desiit saltem circumcisio. II. quae in corollario primae prop. dicta sunt falsa prorsus videntur. Nam legalia etiam in nova lege observanda sunt, ut contendebant ebionitae. In lib. enim Baruch cap. 4. lex dicitur aeterna: *Hic est liber mandatorum Dei, et lex quae est in aeternum*. III. apostoli in primo generali concilio congregati jusserunt fidelibus *ut abstinerent se ab immolatis simulacrorum, a sanguine, et suffocato, et fornicatione*, quorum nonnulla ad legalia pertinent. IV. et revera sub Victore papa asiatici pascha judaeorum more celebrabant luna 14. in quamcumque diem incideret. V. et saeculo 3. testatur Tertullianus a suffocatis ac morticinis fideles abstinuisse.

Resp. ad 1. Falsum est desinere debuisse lex quando Christus suum praedicare caepit evangelium. Neque contrarium probat allata Lucae sententia. Nam 1. deficere debuisset lex quoad vim obligandi in ipsius Joannis nativitate, quum tamen Christus legem servaverit: *Non veni solvere legem, sed adimplere*. 2. Illorum verborum sensus est quod Joannes postremus fuerit illorum qui Christum futurum praenuntiaverunt, quum ipse Christum digito indicaverit; unde illam eamdem sententiam sic refert Matthaeus cap. 11. *Omnes prophetae, et lex usque ad Joannem prophetaverunt*. 3. Vel sensus erit quod Joannes primus fuerit qui regnum caelorum nude annuntiare caepit hominibus ad caeterorum differentiam prophetarum qui temporalia bona in primis spondebant observantibus legem. Quod de baptismi dictum est institutione triennio ante Christi mortem, nullam vim habet, tum quia theologi de tempore quo sacramentum hoc fuit institutum non conveniunt, ut suo loco dicemus, tum etiam quoniam dato quod institutum fuerit quando Christus baptizari voluit a Joanne in jordane, non proinde tunc obligasset omnes. Nam ut lex obliget non sufficit institutio, sed praeterea requiritur promulgatio quae nonnisi post resurrectionem accidit quando ille dixit apostolis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos* etc.

Ad 2. Baruch appellat legem aeternam sumpta aeternitate pro diutino tempore, juxta morem Scripturae, ut in superioribus diximus, vel legem appellat aeternam ratione mysteriorum in illa contentorum quae in aeternum certe sunt duratura.

Ad 3. Quamvis complures theologi teneant apostolos in celebri illo decreto ad aliqua mosaica praescripta ob non spernendas rationes respexisse, alii tamen arbitrantur apostolorum mentem fuisse removere christianos a quibusdam superstitionibus vitiisque idolorum cultum comitantibus. Et sane priora illa verba, *ut abstineant ab immolatis simulacrorum*, nemo diffitetur abstinentiam significare a carnibus falsis numinibus immolatis. Secundo loco praecipitur abstinentia a sanguine, quod praeceptum licet consimile illi sit quod prostat Levit. cap. 5. nihilominus non praeceptum hoc sed usum potius sanguinis victimarum quas ethnici suis idolis mactabant respicere videtur, ut Tertullianus, Origenes, et Minutius Felix observarunt. Rursus vetarunt suffocatum, animal scilicet simulacris immolatum suffocatione, ut animadvertit etiam Alexander alensis. Ac demum ea lege cautum est ne fideles post fornicationem abirent, quoniam penes gentiles fornicatio vitio non vertebatur, unde lucos scortationi destinatos habebant prope delubra, ut patet ex Isaiae cap. 57.

Ad 4. Asiatici contendentes celebrandum esse pascha luna 14. in quamcumque hebdomadae incideret diem non id in gratiam faciebant mosaicae legis, sed quoniam existimabant institutionem esse evangelicam a Joanne etiam evangelista usurpatam, ut ex Polycratis ep. ad Victorem papam apud Eusebium lib. 5. H. E. cap. 23. apparet. Deinde nonne sententia illa asiaticorum proscripta tandem fuit in concilio 1. nicaeno?

Ad 5. Idem de consuetudine dicendum abstinendi a morticinis, sanguine, et suffocato quae tempore Tertulliani vigebat, non intendebant scilicet fideles se observare legalia, sed respuere potius adminicula illa idololatriae quae incautos decipere poterant.

Obj. 2. adv. 2. prop. Apostolus luculenter declarat antiquam legem ab ipsa Christi morte evasisse mortiferam. Nam 1. in ep. ad Gal. cap. 5. affirmat quod si *circumcidamini*, *Christus vobis nihil proderit*. Peccasset ergo qui statim post Christi mortem circumcisionem in corpore suo admisisset. II. et hoc exemplo suo confirmasse colligitur ex eadem ep. cap. 2. ubi narrat noluisse se permittere ut Titus circumcideretur dicens: *Sed neque Titus qui mecum erat, cum esset gentilis compulsus est circumcidi*. III. et jure quidem quoniam legalia signa erant et figurae Christi venturi. Nefas autem esse debebat post Christi mortem protestari adhuc ejusdem Christi adventum.

Resp. ad 1. Apostoli textum adversus nostram sententiam minime facere. Nam affirmat ibi peccare eos qui circumcisionem admittunt in corpore suo tamquam necessariam ad aeternam salutem. Galatae quippe a nonnullis pseudo-apostolis seducti putabant non potuisse hominem in solo justificari baptismate nisi admitteret etiam circumcisionem; unde sequitur Paulus dicens: *Testificor autem omni circumcidenti se, quoniam debitor est universae legis faciendae. Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini: excidistis a gratia*. Subdit Augustinus in ep. 82. saepe laudata ad Hieron. cap. 2. n. 19. *Illos itaque arguit qui se justificari in lege credebant, non qui legitima illa in ejus honorem a quo*

mandata sunt, observabant, intelligentes, et qua praenunciandae veritatis ratione mandata sint, et quousque debeant perdurare.

Ad 2. respondeo ejusd. S. Patris verbis in proxime recitata ep. eodemque cap. 2. n. 12. ep. 82. *Ergo et Timotheum circumcidit, ne judaeis, et maxime cognationi ejus maternae sic viderentur qui ex gentibus in Christum crediderant, detestari circumcisionem, sicut idololatria detestanda est: cum illam Deus fieri praeceperit, hanc satanas persuaserit. Et Titum propterea non circumcidit ne occasionem daret eis qui sine ulla circumcisione dicebant credentes salvos esse non posse, et ad deceptionem gentium hoc etiam Paulum sentire jactarent. Quod ipse satis significat ubi ait (sed neque Titus qui mecum erat, cum esset graecus compulsus est circumcidi: propter subintroductos autem falsos fratres qui subintroierant perscrutari libertatem nostram, ut nos in servitutem redigerent.)*

Ad 3. Apostoli statim post Christi mortem legalia usurparunt non tamquam signa et figuras Christi venturi, sed tamquam mortuae legis exuvias in Dei auctoris et institutoris honorem. Ita Augustinus in saepe citata ep. 82. cap. 2. n. 20. *Non ideo fuerant tamquam diabolica gentium sacrilegia fugienda, etiam cum ipsa gratia jam coeperat revelari, quae umbris talibus fuerat praenunciata; sed permittenda paululum eis maxime qui ex illo populo cui data sunt, venerant. Postea vero tamquam cum honore sepulta sunt, a christianis omnibus irreparabiliter deserenda.*

Obj. 3. adv. 3. th. Paulus in 1. ad Cor. cap. 9. scribit: *Factus sum judaeus ut judaeos lucrifacerem. Iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, cum ipse non essem sub lege, ut eos qui sub lege erant lucrifacerem.* Unde simulate non sincere legalia observavit. II. idem Paulus factum narrans quod inter se ac Petrum accidit in ep. ad Gal. cap. 2. inquit: *In faciem ei restiti*. Ast τὸ *in faciem*, significat simulate et apparenter. III. potissima a nobis allata ratio ad demonstrandum Paulum sincere reprehendisse Petrum corruit. Nam verba illa Pauli, *quia reprehensibilis erat*, in graeco textu sic habent, ὅτι κατεγνωσμένος ἦν, *quoniam reprehensus erat*, hoc est male de Petro judicabatur. IV. hinc Paulus ipse factum illud appellat simulationem, *et simulationi ejus consenserunt ceteri judaei, ita ut et Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem.*

Resp. ad 1. cum Augustino ep. 40. ad Hieron. cap. 4. haec dicta esse *compassione misericordiae, non simulatione fallaciae. Fit enim*, sequitur S. doctor, *tamquam aegrotus qui ministrat aegroto: non cum se febres habere mentitur, sed cum animo condolentis cogitat quemadmodum sibi serviri vellet, si ipse aegrotaret. Nam utique judaeus erat; christianus autem factus non judaeorum sacramenta reliquerat: quae convenienter ille populus et legitimo tempore quo oportebat, acceperat.*

Ad 2. Ea verba, *in faciem ei restiti*, significant palam et in ipsius aliorumque praesentia quod patet 1. ex caussa quam Paulus affert, nempe *quia reprehensibilis erat*, quum non recte ad veritatem ingrederetur e-

vangelii. 2. Ex quo v. 14. clarius se explicet dicens: *Dixi Petro coram omnibus*. 3. Ex versionibus syriaca et aethyopica in quibus legitur, *palam, coram omnibus, in faciem ipsius*.

Ad 3. Bene habet nostra latina vulgata, *quia reprehensibilis erat*, quum ita legant versiones quoque syriaca et arabica; praesertim quum caussa cur reprehensione dignus esset afferatur, videlicet quia non recte ambulabat ad veritatem evangelii. Qui autem ita se gerit non reprehensus sed reprehensibilis est, nisi cum auctore commentariorum qui tribuuntur Athanasio dicere velimus reprehensum fuisse Petrum *ab evangelica veritate, cui hoc factum adversabatur*. Ideo vero graece pro καταγνωστος habetur κατεγνωσμένος, quoniam Paulus hebraeus quum esset quamvis graece scriberet, hebraicam tamen retinebat quandoque phrasim quae participia pro verbalibus usurpat, unde psal. 11. pro argento *eximio* ac *aestimabili* legitur, *argentum igne examinatum*, et in 4. Reg. cap. 18. *in baculo arundineo atque confracto*, pro *frangibili*. Imo idem Paulus in ep. ad Hebr. cap. 12. scribit: *Monti contracto, ignique accenso*, quod latinus interpres optime vertit, *ad tractabilem montem, et accessibilem ignem*.

Ad 4. Factum S. Petri appellari aliquo pacto potest simulatio quoniam legalium observationem necessariam existimare videbatur, quae tamen legalia serio observare non intendebat. Et quoniam sua hac simulatione gentes judaizare ad sui exemplum cogebat, ideo reprehensibilis fuit, et sincere et ex animo fuit a Paulo reprehensus. Neque enim Paulus in faciem restitit Petri quod ciborum servaret discretionem, juxta mosaicam legem, nam et plures legis ritus observabat et ipse Paulus, ut diximus. Sed quoniam in iis circumstantiis legem servabat in quibus offendiculo esse poterat fidelibus ex gentilitate venientibus, quasi ad aeternam consequendam salutem necessaria adhuc foret legalium observatio.

Obj. ultimo auctoritatem Origenis, Didymi, Laodiceni, Alexandri, Eusebii Emisseni, Theodori, Heracleotis, et Joannis Chrysostomi, qui unanimi consensu docent legalia statim post Christi mortem evasisse mortifera, illa simulate observata fuisse ab apostolis, et simulate Paulum in Petri faciem restitisse.

Resp. verbis Augustini qui Hieronymo horum urgenti auctoritatem ita occurrit cap. 3. ejusdem ep. 82. *Cum sint ferme sex vel septem, horum quatuor auctoritatem tu quoque infringis. Nam laodicenum cujus nomen taces, de ecclesia dicis nuper egressum: Alexandrum autem veterem haereticum; Origenem vero ac Didymum reprehensos abs te lego, in recentioribus opusculis tuis, et non mediocriter nec de mediocribus quaestionibus, quamvis Origenem mirabiliter ante laudaveris. Cum iis ergo errare puto quia nec te ipse patieris; quamvis hoc perinde dicatur, ac si in hac sententia non erraverint. Nam quis est qui se velit cum quolibet errare? Tres igitur restant, Eusebius Emissenus, Theodorus, Heracleotes, et quem paullo post commemoras, Joannes qui dudum in pontificali gradu C-P. rexit ecclesiam. Porro si quaeras vel recolas quid hinc senserit noster Ambrosius, quid noster itidem Cyprianus, in-*

venies fortasse, nec nobis defuisse quos in eo quod asserimus sequeremur ... Verumtamen ipse mihi pro his omnibus, immo supra hos omnes apostolus Paulus occurrit. Ad ipsum confugio: ad ipsum ab omnibus qui aliud sentiunt, litterarum ejus tractatoribus provoco.

SCHOLION

Si modo quaeras quo praecise tempore et anno legalia caeperint esse mortifera, respondere possum non esse quaestionem hanc temere definiendam. Hoc unum certum esse videtur tunc legalia evasisse mortifera quando evangelium fuit sufficienter promulgatum. Cumque id accidisse videatur quando devastata omnino per romanorum arma urbe jerosolymorum non existebat amplius templum in quo sacrificia offerri possent et fieri oblationes, plerique theologorum concludunt tunc revera legalia evasisse mortifera; maxime cum in jerosolymitano excidio vaticinia sive prophetarum prolata de Christo, sive ejusdem Christi prolata de evangelio omnia fuerint adamussim completa.

CAPUT VII.

De lege nova.

Divina veteri abrogata positiva lege quae ad tempus data erat hominibus, alia subsecuta est divina lex; videlicet nova quae sic nuncupatur tum quia lata est novissimo loco veteremque antiquavit, tum quia per gratiam Spiritus sancti quam subministrat, veterem hominem mutat in novum. Proprie autem definitur: *Lex a Christo Domino instituta, et per apostolos promulgata, cui supernaturalis adnexa est gratia*. Quod fuerit a Christo instituta ac promulgata per apostolos differt a lege veteri quae data fuit a Deo et per Moysem promulgata. A veteri lege differt etiam ex quo adnexam habeat supernaturalem gratiam. Nam licet veteris etiam legis cultores supernaturalem haberent gratiam, nihilominus parce admodum ipsis donabatur, nec eam vi illius status, sed per merita futuri reparatoris consequebantur. In nova autem lege datur vi hujus status, juxta illud Apostoli ad Rom. cap. 1. *Virtus Dei est in salutem omni credenti, judaeo primum et graeco*. Et longe uberior est, ut idem Apostolus inquit ibidem: *Superabundavit gratia, et quidem per Christum*. Ut vero discrimen veterem inter novamque legem plenius intelligatur verbis utar S. Joannis Chrysostomi qui verba illa Marci cap. 4. *Ultro terra fructificat, primum herbam, deinde plenum frumentum in spica*, exponens scribit: *Primo herbam fructificat in lege naturae, postmodum spicam in lege Moysi, postea plenum frumentum in evangelio*. Unde theologi merito veterem legem comparant ad novam sicut umbram ad veritatem, sicut semen ad arborem, sicut spicam ad frumentum.

Insurgunt modo adversum nos Lutherus atque Calvinus superstitionis ac pharisaeismi nos traducentes, quod evangelium appellare audeamus le-

gem. Volunt quippe venisse in mundum Christum ad solvendos homines a captivitate mosaicae legis, eisque libertatem tribuendam per fidem. Sic enim inquit Calvinus explicans illa Pauli verba ad Gal. cap. 4. *Misit Deus filium suum ... factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, O prodigiosum errorem praedicantium Christum tamquam novum legislatorem, quasi veterem judaeorum legem abrogaverit ut novam christianis hominibus legem imponeret*. Nec mirum quod talia novatores tradiderint. Volunt enim justificationem ac vitam aeternam adnexas tantummodo esse evangelicae fidei, non legis praeceptorumque observationi ac exercitio virtutum, quum omnia bona opera juxta illorum principia inquinata sint *tamquam pannus menstruatae*. Hoc in capite ergo tam perniciosam opinionem refutare conabimur, tum quaestiones aliquot perutiles a theologis agitari solitas parco calamo resolvemus. Sit itaque

CONCLUSIO

Evangelium quod Christus dedit hominibus est vera ac propria lex.

Prob. 1. ex sacris litteris hoc modo: vera ac proprie dicta lex institui ab eo debet qui potestatem habet legislativam, debet praecipere et vetare, et subditos dirigere ad bonum. Sacrae porro litterae hos characteres adscribunt N. Testamento. Et 1. Christum N. Testamenti auctorem potestatem habere legislativam affirmat David psal. 2. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus*. Isaias cap. 33. de Messia praedixit quod futurus erat *dominus judex dominus legislator noster*. 2. N. Testamentum multa praecipit ac multa vetat quae debitum inducunt, quod aliquorum enumeratione praeceptorum fit manifestum. Joan. enim cap. 3. habetur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Ibidem cap. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Matth. cap. 5. *Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, ut sitis filii Patris vestri*. Ibidem: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno caelorum*. Et cap. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Hujus generis sexcenta occurrunt in evangeliis et in epistolis apostolorum. 3. Quod autem N. Testamentum fideles dirigat ad bonum et quidem supernaturale ac summum bonum demonstratione non indiget, et ex locis mox recitatis patet; et quoties Christus aliquid jubet aut vetat, semper gratiam ac vitam promittit aeternam, atque iis qui sua transgrediuntur praecepta mortem aeternam minatur.

Prob. 2. ex SS. PP. quorum unus sufficiat Augustinus qui in lib. 3. ad Bonif. cap. 4. n. 10. ita scribit: *Si Christus nobis abstulit illud gravissimum multarum observationum jugum ... numquid propterea dicturi sumus, non ad nos pertinere quod scriptum est, ut alienum quodcumque perditum quisquis invenerit reddat ei qui perdidit, et alia multa simi-*

lia, *quibus pie recteque vivere discitur*, *maximeque ipsum decalogum*, *qui duabus illis lapideis tabulis continetur*, *excepta sabbati observatione carnali*, *quae spiritalem sanctificationem quietemque significat? Quis enim dicat non debere observare christianos*, *ut uni Deo religionis obsequio serviatur*, *ut idolum non colatur etc. Quis est tam impius qui dicat ideo se ista legis non custodire praecepta*, *quia est ipse christianus*, *nec sub lege*, *sed sub gratia constitutus*? En novatorum portentum a magno Augustino tot ante saecula refutatum.

Prob. 3. ratione. Totius N. Testamenti cardo et summa in caritate erga Deum et proximum consistit juxta illud Christi, *Diliges Dominum Deum tuum etc. et proximum tuum sicut teipsum*: *in his duobus praeceptis universa lex pendet*, *et prophetae*. Nequit caritas erga Deum et proximum servari absque externorum observatione praeceptorum, ut agentes de caritate diximus. Nam si volumus Deum diligere nonne in ejus obsequium plura et quidem palam ac publice facere debemus? Diliget ne proximum ille qui indigenti negaverit stipem cum possit, *et clauserit ab eo viscera misericordiae suae*, ut inquit Joannes? Evangelium itaque multa praecipit, vetat multa quae obligationem inducunt, proindeque est vera ac proprie dicta lex.

Objiciunt tamen adversus dicta protestantes. I. Apostolus ad Rom. cap. 6. christianos alloquens ait: *Non estis sub lege*, *sed sub gratia*: Idem repetit ad Gal. cap. 5. *Quoniam si spiritu ducimini*, *non estis sub lege*. II. N. Testamentum appellatur absolute regnum spirituale, atque idcirco non praecipit nec vetat externa opera. Sic Luc. cap. 17. legitur; *Regnum Dei intra vos est*. Et ad Rom. cap. 14. *Regnum Dei est justitia*, *et pax*, *et gaudium in Spiritu sancto*. III. Appellatur denique evangelium lex spiritus ac libertatis: *Ubi Spiritus Domini*, *ibi libertas*: Non est autem spiritualitas ac libertas ubi externa praecipiuntur ac vetantur opera.

Resp. ad 1. Non ait Apostolus christianos absolute non esse sub lege, sed inquit non esse sub lege mosaica quae fuit *jugum quod neque nos neque patres nostri portare potuimus*, ut ait Petrus Actor. cap. 15. et revera lex erat cogens premens minitans, nec ratione sui largiens media ad observationem necessaria, nempe gratiam. Lex nova e contra plena gratiarum est lex caritatis et amoris cujus onus leve est et jugum suave. Ut itaque Apostolus galatas et romanos in spem erigat aeternae salutis facilius consequendae eisque ad bene operandum stimulos addat, gratulatur eis quod non amplius sub mosaica, sed sub lege Christi sint quae comparate ad illam gratia merito dici potest.

Ad 2. N. Testamentum jure regnum appellatur spirituale quoniam spiritualia promittit, ad veteris differentiam quod cultoribus suis temporalia ut plurimum exhibebat. At non proinde externa opera non requirit. Imo ex allato Apostoli textu colligitur regnum hoc suis constare praeceptis quae respiciunt actus externos. Si namque consistit in justitia pace et gaudio Spiritus sancti necesse plane est ut externi actus justitiae paci, et gau-

dio convenientes praecipiantur, inhibeantur autem actus justitiae paci et gaudio Spiritus sancti disconvenientes.

Ad 3. Appellatur evangelium lex spiritus et libertatis relate ad legem antiquam quae carnalis erat et vindicans, ut diximus. Ceterum falsum penitus est non posse simul consistere spiritualitatem ac libertatem cum praeceptis exteriores actus respicientibus, quum spiritualitas ac christiana libertas consistant in caritate quae interiores exterioresque actus debet dirigere, ut agentes de hac virtute diximus.

Inquirunt hoc in loco theologi quotuplicis generis praecepta lex nova contineat. Cui quaestioni ut satisfaciamus respondeo novam legem continere 1. Praecepta moralia et quidem illa eadem quae lege veteri continebantur. Quum enim ea praecepta sint de jure naturae quod certe immutabile est, ut diximus, necesse profecto est ut eadem sint in nova quae in veteri erant lege. Illud tantum inter utrumque statum est discrimen, quod moralia praecepta in nova lege clarius et enucleatius sint explicata relate praesertim ad actus internos, ut constat legenti evangelium Matthaei. Pharisaei siquidem innumeras in religionem invexerant falsas moralium praeceptorum interpretationes quas rejecit argumentisque confutavit Christus Dominus. 2. Continet nova lex nonnulla quoque praecepta fidei. Antiquitus enim mosaicae legis cultores credere non tenebantur nisi implicite in trinitatem, incarnationem, mortem, resurrectionem etc. Christi filii Dei. In nova autem lege praecipitur fidelibus ut haec eadem aliaque bene multa credantur explicite. Jussum est etiam initio ut quae temporis progressu ab Ecclesia apostolorum innixa traditioni erant evolvenda crederentur implicite, explicite vero post Ecclesiae definitionem seu declarationem. 3. *Sunt in nova lege etiam praecepta caeremonialia: illa nempe omnia quae ad externum religionis cultum pertinent, ut illud,* baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, *et illud*, hoc facite in meam commemorationem; *et sic porro de ceteris loquendo*. 4. Quoad praecepta autem judicialia data sunt haec in nova lege non in specie ut in lege mosaica sed generatim, facta videlicet Ecclesiae potestate leges seu statuta et canones quae formam judicii continent sanciendi juxta illud Christi, *si ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam ethnicus et publicanus*. 5. Praeter mandata habet nova lex etiam consilia ut est facultates omnes pauperibus erogare, perpetuam vovere virginitatem etc. Discrepant autem praecepta a consiliis, quod haec liberum sit homini amplecti, illa necessitatem sub poena transgressionis imponant.

Quaerunt deinde theologi quo sensu nova lex dicatur onus leve et jugum suave juxta illud Christi, *jugum meum suave est, et onus meum leve*, quum nonnullis constet praeceptis quae gravissima videntur, ut est praeceptum de auriculari, confessione, monogamia, inhibitio repudii etc. Sed respondendum multis de caussis primo dicitur levis et suavis comparate ad legem veterem in qua erant discretio ciborum, circumcisio carnalis, taurorum arietum avium innumera sacrificia, oblationes plurimae multaeque lustrationes, quum modo adoretur Deus in spiritu et veritate, unicum sit

illudque incruentum sacrificium, tot tantisque purificationibus septem dumtaxat suffecta sint sacramenta, eaque facillimae executionis. Deinde dicitur suavis ac levis quoniam lex est amoris et charitatis, tota quippe versatur in amore Dei et proximi. Cumque per se gratiam subministret Redemptoris ad quaecumque gravia et difficilia adimplenda, voluptate dulcescit quidquid in ea amarum videtur.

Hac de caussa sacramentalis confessio, monogamia ac connubii perpetuitas etiamsi essent gravia, dulcia evaderent gratiam et charitatem habentibus. Sed falsum est praecepta illa esse gravia et importabilia. Nam quoad sacramentalem confessionem illos dumtaxat obligat qui sponte peccarunt, non innocentes. Judex in eo tribunali est probus sacerdos, accusatio peccatorum est omnino secreta, satisfactio pro merita poena levissima. Monogamia etiam ipsa obligat tantum ducere volentes uxorem, non omnes, atque lex haec plena est dilectionis et charitatis. Si polygamus sis en jurgia inter uxores, en inter filios simultates ex quibus molestiam capias necesse est. Perpetuitate connubii multa mala caventur. Si uxorem repudies injuria afficis filios, consanguineos, amicos, tibique viam ad adulteria ac turpitudines paras. Nullum itaque est in nova lege praeceptum quod sit revera durum ac grave. Unde merito ajebat Joannes in 1. ep. cap. 5. *Mandata ejus gravia non sunt*, vel quia levia sunt quoad objectum, vel quia nihil est amanti grave, ut docet Augustinus innumeris in locis.

Inquirunt postremo an nova lex duratura sit usque ad saeculi consummationem, ac omnes unanimi consensione affirmativam tuentur sententiam. De hac enim vaticinium fundens regius psaltes psal. 100. *Redemptionem*, inquit, *misit populo suo*, *mandavit in aeternum testamentum suum*. Et Paulus ad Hebr. cap. 13. affirmat novam legem fundatam esse *in sanguine Testamenti aeterni*. Quod luculentius expressit Christus apud Matth. cap. 24. *Et praedicabitur hoc evangelium in universo orbe*, *in testimonium omnibus gentibus*, *et tunc veniet consummatio*. Demum numquid perfectior dari potest lex lege evangelica? Haec homines Deo conjungit per mediatorem qui Deus simul et homo est. Atque pauca haec de lege nova sufficiant.

CAPUT VIII.

Pertractatur de lege humana, ac primo inquiritur ad quos spectet homines jus condendi leges humanas.

Jam primo libri hujus capite diximus non pertinere jus leges condendi nisi ad illos qui suprema pollent regiminis potestate. Nunc luculenter exponendum est quinam sint homines qui suprema potiuntur regiminis potestate quae ad leges sufficiat sanciendas. Nam recentiores haeretici humanarum legum vim reformidantes omnia in hoc rerum genere mirifice permiscuerunt. Waldenses enim, wiclefistae quibus deinceps adhaeserunt lutherani et calvinistae ut immane odium quod contra Ecclesiae pa-

stores et episcopos conceperant patefacerent, negarunt tantam inesse illis jurisdictionem ut valeant veras condere leges, hoc est admiserunt quidem in ecclesiasticis potestatibus facultatem praescribendi subditis quae sunt legis divinae quoad doctrinam et mores, sed inficiati in illis sunt potestatem leges condendi circa ea quae praescripta non sunt per legem divinam. Audiatur Calvinus lib. 4. instit. cap. 10. n. 30. *Sed quia hic periculum est, ut ab una parte pseudo-episcopi praetextum inde captent ad impias suas et tyrannicas leges excusandas, ab altera sint quidam nimis meticulosi qui superioribus malis admoniti, nullum quemlibet sanctis legibus locum relinquant, hic testari operae pretium est, eas demum humanas constitutiones me probare quae et Dei auctoritate fundatae et ex Scriptura desumptae, adeoque prorsus divinae sunt*. Hactenus novatores facultatem ademerant sanciendi leges hominibus ecclesiasticis. Sed temporis progressu principum saecularium vindicem justitiam ob eorum in Ecclesiam perduellionem metuentes quod de episcopis ac potestatibus Ecclesiae affirmaverant, tradere caeperunt etiam de regibus ac principibus, unde Lutherus in lib. de capt. babylon. veritus non est scribere: *Clamo fidenter christianis nihil ullo jure posse imponi legum sive ab hominibus sive ab angelis, nisi quantum volunt; liberi enim sumus ab omnibus*.

Sed quoniam ea est mendacii natura, ut diu sibi constare non valeat, iidem protestantes non eamdem semper tenuere sententiam, omnemque adhibuerunt conatum ut sacra cum prophanis impie confunderent. Quapropter aliquando docuerunt principes saeculares, imperatores nimirum, reges ac magistratus auctoritatem habere in sacra, atque adeo leges condere posse ecclesiasticas, pastoribus autem Ecclesiae non aliud competere jus quam suadendi et declarandi. Quam profanam opinationem traditam olim a Marsilio de Padua et a Joanne Janduno meritoque proscriptam a Joanne XXII. avide arripuit M. Antonius de Dominis, et Hugo Grotius de imperio summarum potestatum. Ut ergo sua cuique stet legitima auctoritas, hos omnes nunc refellere oportet, unde sit

CONCLUSIO I.

Potestas ecclesiastica auctoritatem habet condendi leges ecclesiasticas et quidem de jure divino.

Prob. prior thes. pars. Apostoli quibus summus Pontifex et reliqui universi orbis legitimi episcopi ac pastores successerunt statim post Christi mortem auctoritatem exercuerunt condendi leges ecclesiasticas. Nam I. in Actib. Apost. cap. 15. legitur apostolos generale convocasse concilium jerosolymis in quo hanc edidere legem: *Visum est Spiritui sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam haec necessaria, ut abstineatis ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato:* II. Paulus in 1. ad Cor. inquit: *Laudo vos, quod praecepta mea tenetis*. Et in 1. ad Tim. cap 3. legem dedit ne bigami viri fierent episcopi: *Oportet*

episcopum esse unius uxoris virum. Et aliam ad Tit. cap. 1. dedit sanctionem ne ad episcopatum promoverentur neophiti. III. condiderunt apostoli etiam legem ne sumeretur eucharistia nisi a jejunis, ut demonstrat S. P. Augustinus in ep. ad Januarium. IV. Ecclesia quoquis saeculo condidit canones non modo circa mores sed etiam circa disciplinam qui habiti ac recepti sunt a patribus nostris tamquam justae ac legitimae leges. Dies me deficeret si sanctorum Patrum testimonia ad rem hanc facientia vellem in medium adducere. Satis sit gravissima S. Cypriani sententia qui in ep. ad Cornelium ita scribit: *Neque enim aliunde haeresis obortae sunt, aut nata sunt schismata, quam inde quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos et ad tempus judex, vices Christi cogitatur, cui si secundum magisteria divina obtemperaret fraternitas universa, nemo adversus sacerdotum collegium quidquam moveret; nemo post divinum judicium, post populi suffragium, post coepiscoporum consensum, judicem se jam non episcopi sed Dei faceret.*

Prob. alt. pars. Apostoli a Christo et ecclesiasticae potestates ab apostolis facultatem condendi in spiritualibus leges acceperunt. Nam I. hanc Christus Matth. cap. 16. tradidit Petro ac proinde suis successoribus potestatem: *Tibi dabo claves regni caelorum; et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in caelis: et quodcumque solveris super terram erit solutum et in caelis*. Quibus in verbis quum facultas contineatur ligandi atque solvendi, continetur proinde auctoritas ecclesiasticas ferendi leges. II. hanc facultatem concessit Dominus reliquis etiam apostolis, adeoque et episcopis apostolorum successoribus apud eumdem Matth. cap. 18. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus: Amen dico vobis: Quaecumque ligaveritis super terram erunt ligata et in caelis; et quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in caelis*. III. alibi nempe Lucae cap. 10. judiciariam hanc potestatem confirmat Christus apostolis suis dicens: *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit*. IV. hinc Paulus ad Thessal. cap. 4. scribens fidenter ait se potestatem leges praescribendi accepisse a Christo dicens: *Scitis enim quae praecepta dederim vobis per Dominum Jesum Christum*.

CONCLUSIO II.

Potestates terrenae et ipsae a Deo facultatem habent condendi leges civiles.

Prob. 1. ex sacris litteris. Christus Dominus Lucae cap. 20. tentatus a scribis et pharisaeis quid de saecularibus potestatibus sentiret, accepta pecunia imaginem Caesaris praeferente inquit: *Reddite ergo quae sunt Caesaris, Caesari; et quae sunt Dei, Deo*. Imo ipsemet quamvis rex regum esset et dominus dominantium, quoniam tamen exinaniverat semetipsum in ceterorum hominum similitudinem tributa solvere voluit principi, ut legitur in evangeliis. Eamdem imperandi legesque condendi au-

ctoritatem agnoverunt apostoli qui regibus ac principibus se submiserunt ut in actibus narratur apostolorum, cujus subjectionis hanc reddidit Paulus rationem in ep. ad Rom. cap. 13. *Non est enim potestas, nisi a Deo*. Et rursus: *Ideo et tributa praestatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes: reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui honorem, honorem*.

Prob. 2. ex PP. iis praesertim qui apologias pro christianis imperatoribus ac principibus ethnicis direxerunt in quibus diserte fatentur agnoscere se in regibus atque rectoribus jus condendi leges a Deo ipsis communicatum; indeque inferunt principes ethnicos per summam injuriam persecutiones excitare in christianos qui justis illorum legibus obtemperare parati sunt propter conscientiam. Legantur Tertullianus, Justinus, Athenagoras aliique apologistae quibus addi possunt Origenes lib. 1. et 4. adv. Celsum, Athanasius in apol. ad Constant. Optatus milevitanus lib. 3. Chrysostomus hom. 23. et S. P. Augustinus lib. 4. de C.D. cap. 33. Interim unum vel alterum juvandae tyronum memoriae caussa in medium profero Patrum testimonium rem nostram mirifice conficiens. S. Polycarpus ap. Eusebium H. E. lib. 4. cap. 15. ita alloquitur ethnicum praesidem: *Tibi quidem rationem reddere non me piget; praeceptum enim nobis est, ut magistratibus et potestatibus a Deo constitutis honorem debitum exhibeamus, qui nobis ipsis nihil nocent*. Justinus martyr in apol. ad Antoninum imp. *Vectigalia*, inquit, *sane, et collationes eis qui a vobis sunt ordinati exactoribus prae omnibus ubique conferre intendimus, quemadmodum a Deo sumus instituti*.

CONCLUSIO III.

Pastores ecclesiae non solum habent jus suadendi ac declarandi, sed in condendis legibus potestatem habent etiam coactivam.

Prob. 1. ex iis quae ad 1. prop. demonstrationem attulimus. Si enim pastores Ecclesiae facultatem a Deo acceperunt condendi leges, ad ipsos quoque pertinet non modo munus suadendi ac declarandi, sed vis quoque coactiva qua homines sibi subditos compellere ad observantiam possint, transgressoresque punire. Hinc inquit Christus: si peccator non audierit Ecclesiam, sit tibi sicut ethnicus et publicanus; et Paulus incestuosum corinthum excommunicavit tradens illum in interitum sathanae, eumdemque post resipiscentiam absolvens. Et adeo Paulo persuasum erat in Ecclesiae pastoribus vim residere coactivam, ut ad Tim. in 1. ep. cap. 5. scripserit: *Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus*.

Prob. 2. ex frequenti Ecclesiae praxi. Viguisse in Ecclesia potestatem insignes excomunicandi peccatores vel ab ipso apostolorum tempore patet ex facto Pauli nuper relato. De hac consuetudine pronunciandi anathema et per vim expellendi infideles ac nondum baptizatos a templis mentio-

nem facit auctor const. apost. lib. 2. cap. 57. et lib. 8. cap. 2. excomunicationis sententiam in famulum Stiliconis tulit S. Ambrosius, et in Eudoxiam imperatricem S. Joan. Chrysostomus. Et jure id a sanctis illis viris fuisse peractum comprobavit Deus celeberrimis miraculis quae in eccl. hist. leguntur. Mitto potestatem quam semper Ecclesia exercuit in conciliis generalibus vel particularibus congregata, quum haec obvia sint omnibus. Ex quibus conficitur ad ecclesiasticas potestates pertinere non solum munus suadendi et declarandi, sed jus etiam cogendi fideles ad propriarum legum observationem.

CONCLUSIO IV.

Potestates saeculares non habent jus condendi leges ecclesiasticas, possunt tamen ac debent curare ut leges ecclesiasticae executioni mandentur.

Prob. pars prior. I. in evangeliis legitur Petro ac successoribus ejus non saecularibus potestatibus dictum fuisse, *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Quodcumque solveris etc. Pasce oves meas: pasce agnos meos.* Legitur quoque apostolis atque in illis episcopis omnibus ac Ecclesiae pastoribus, non regibus atque principibus dictum esse, *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* Hi ergo non principes saeculares jus habent leges condendi ecclesiasticas. II. potestne princeps saecularis catholicae communioni restituere fideles quam ecclesiastica potestas extra ecclesiam ejecerit? Non potest, quoniam evangelium inquit: *Si te non audierit, dic Ecclesiae. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus ... Quaecumque ligaveritis super terram etc.* III. leges ecclesiasticae versantur vel circa dogmata fidei vel circa sacramenta vel circa disciplinam. De modo autem quem in iis versandis tenent nunc non disputamus. Ast civilis potestas nullam circa haec omnia condere potest legem. Non circa fidei dogmata, de his quippe judicium ferre possunt dumtaxat summus Pontifex et episcopi, ut de locis pertractantes theologicis diximus. Non circa sacramenta eorumque ritus, quoniam apostolis ac illorum successoribus Christus dixit, *Euntes docete, baptizantes etc. Hoc facite in meam commemorationem. Quorum remiseritis etc.* Ac tandem neque circa disciplinam quae ab iis tantum dirigi debet quibus dictum est, *Quaecumque ligaveritis super terram etc.* IV. sancti Patres data occasione reprehendere non dubitarunt imperatores qui sibi auctoritatem usurparunt in sacra. Sic Osius cordubensis in ep. ad Athan. ad solit. haec ad imperatorem scribit: *Ne te negotiis immisceas ecclesiasticis; neque nobis in hoc genere praecipe. Tibi Deus imperium commisit; nobis quae sunt Ecclesiae concredidit. Et quemadmodum qui tuum imperium invadit contradicit ordinationi divinae, ita et tu cave ne quae sunt Ecclesiae ad te trahens magno crimine obnoxius fias.* Et Hila-

rius in ep. ad Constantium, *Provideat*, inquit, *et decernat clementia tua, ut omnes ubique judices quibus provinciarum administrationes creditae sunt, religiosa se observantia abstineant, neque posthac praesumant atque usurpent, se causas cognoscere clericorum*.

Prob. altera prop. pars. I. ex V. Testamento in lib. 1. Paral. cap. 13. narratur Davidem jussisse summo sacerdoti atque levitis ut sanctificarent se et arcam Dei deferrent e domo Obededom. In lib. 2. cap. 24. de rege Joas legitur jussisse congregandam pecuniam pro templi ornatu eamque deferendam esse a levitis juxta mosaicam legem quae cap. 30. Exodi extat. In lib. 4. Reg. cap. 23. de Josia dicitur quod *jussit Helciae pontifici et sacerdotibus secundi ordinis, et janitoribus, ut projicerent de templo domini omnia vasa quae facta fuerant Baal, et in luco universae militiae coeli, et combussit ea foris Jerusalem*. Idque praecepit ut servaretur mosajca lex de omni immundo et idolis consecrato abjiciendo. Hujus generis alia sunt a piissimis regibus gesta in veteri lege. Sed pauca haec sufficiant. II. demonstratur propositio exemplis christianorum imperatorum et quidem piissimorum. 1. Eusebius in lib. 1. de vita Constantini cap. 44. haec cum laude de imperatore scribit: *Verum Ecclesiae Dei praecipue curam gerens, cum per diversas provincias quidam inter se dissentirent, ipse velut communis omnium episcopus a Deo constitutus, ministrorum Dei concilia congregavit, nec dedignatus adesse, et confidere in medio illorum conventu, cognitionis particeps fuit, ea quae ad pacem Dei pertinent, cunctis procurans. Porro sedebat in medio, tamquam unus e multis, protectores quidem, cunctosque corporis custodes procul amovens*. De eodem Constantino narrat ibidem Eusebius, quod in causa donatistarum tres designavit episcopos ad controversiam discutiendam, ac duo congregari curavit ad eam dirimendam concilia, arelatense videlicet atque romanum, quod generale concilium haberi voluit Nicaeae ad damnandos sacerdotum sententia arianos; ac denique quod vim omnem impenderit ut nicaeni canones per universum imperium observarentur; et tam diligens canonum fideique custos ac defensor fuit ut episcopos alloquens dicere solitus esset: *Vos quidem in eis quae intra Ecclesiam sunt episcopi estis; ego vero in eis quae extra geruntur episcopus sum a Deo constitutus*, ut Eusebius idem testatur. 2. Quae fecit Theodosius junior pro catholicae fidei defensione adversus haereticos nota sunt omnibus. In ep. sua lecta in ephesino concilio haec habet praeclarissima: *Ante omnia autem operam damus, ut ecclesiasticus status ejusmodi sit, qui et Deum deceat et temporibus nostris quam maxime congruat; idemque ex omnium concordia et consensione suam tranquillitatem obtineat, tum per ecclesiasticarum controversiarum pacem a turbis et seditionibus liber existat; tum demum ut pia religio ab omni omnino nota et reprehensione immunis perseveret*. Hinc summus Pontifex ephesino absoluto concilio ita imperatori gratulatur: *Vos Christo nostro auctore regnantes, hostes impios fidei vestra virtute vicistis, caelestem revocantes triumphum, per quod munimen in perpetuum religio-*

so praestes imperio. III. alii quoque imperatores summis extolluntur a sanctis Pontificibus laudibus ob christianae religionis zelum adversus haereses. Sic Leo M. ep. 75. ad imperatorem cap. 3. inquit: *Apud christianissimum principem, et inter Christi praedicatores digno honore numerandum, utor catholicae fidei libertate ... Debes incunctanter animadvertere, regiam potestatem tibi, non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, et quae bona sunt statuta defendas, et veram pacem his quae sunt turbata restituas*. Gemina his habet Gregorius M. in ep. ad Mauritium. III. accedit demum celeberrima S. P. Augustini sententia quae prostat ep. 185. alias 50. cap. 5. ubi sic scribit: *Aliter enim servit* (imperator) *quia homo est, aliter quia etiam rex est. Quia homo est, ei* (Domino) *servit, vivendo fideliter : quia vero etiam rex est, servit leges justa praecipientes et contraria prohibentes, convenienti vigore sanciendo. Sicut servivit Ezechias ... sicut servivit Josias ... sicut servivit Darius ... sicut servivit Nabuchodonosor etc. In hoc ergo serviunt Domino reges, in quantum sunt reges, cum ea faciunt ad serviendum illi, quae non possunt facere nisi reges*.

Nonnullarum difficultatum enodatio.

Obj. 1. cont. 1. thes. I. in veteri lege sacerdotes et levitae jus non habebant ecclesiasticas sanciendi leges, imo id expresse vetaverat illis Deus Deut. cap. 4. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, neque minuetis ex eo*. Quod idem repetit Moyses cap. 12. et consimilia habentur Prov. cap. 30. II. Deus tam in V. quam in N. Testamento de illis conqueritur qui legibus obtemperant humanis. Ita Isaiae cap. 29. inquit Dominus: *Appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me: cor autem ejus longe est a me, et timuerunt me mandato hominum et doctrinis*. Etiam Matth. cap. 15. inquit Christus: *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me. Sine caussa autem colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum*. III. huc faciunt loca illa Scripturae in quibus solus Deus dicitur legislator et judex; ait quippe Isaias cap. 33. *Dominus judex noster, et Dominus legifer noster*. Et clarius Jacobus in sua ep. cap. 4. *Unus est enim legislator et judex, qui potest perdere et liberare*. IV. hinc Augustinus ad inquisit. Januarii lib. 2. ep. 55. cap. 19. tot tantasque rejicit ecclesiasticorum leges dicens: *Quamvis neque hoc inveniri possit, quomodo contra fidem sint: ipsam tamen religionem quam paucissimis et manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit, servilibus oneribus premunt, ut tolerabilior sit conditio judaeorum qui etiamsi tempus libertatis non agnoverunt, legalibus tamen sarcinis, non humanis praesumptionibus subjiciuntur*.

Resp. ad 1. De ecclesiasticis potestatibus diversimode quoad V. ac quoad N. Testamentum loquendum est. In veteri namque Deus per semet-

ipsum legem populo suo dederat; cumque regimen esset theocraticum tanta expresse tradidit illis praecepta caeremonialia ac judicilia ut satis casibus omnibus esset provisum: nec aliud ad sacerdotes atque levitas munus spectabat quam praecepta aliqua quae pro nonnullis casibus obscura esse videbantur, interpretari. Ast in N. Testamento ut Ecclesiae suae Deus consuleret honori noluit caeremonialem ac judicialem legem in particulari sancire, auctoritati Ecclesiae curam relinquens in singulis providere casibus, juxta illud, *qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit.* Ceterum allati in argumento textus ad rem minime faciunt. Sensus enim illorum est debere filios Israel legem a Deo traditam adamussim implere, quod illa phrasi exprimitur, *non addetis ad verbum, neque minuetis*, vel alia consimili, sed clariori quae postea adducitur, *non declinabitis ad dexteram neque ad sinistram.* Nam voluit Deus ut filii Israel legem non immutarent vel eam non observando vel aliquid oppositum adjungendo: quo sensu etiam Paulus ad Gal. cap. 1. inquit: *Licet nos aut angelus de caelo evangelizaret vobis praeter quam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* De reliquo si penes ecclesiasticas V. Testamenti potestates jus non erat aliquas de novo condendi leges, cur Moyses Deut. cap. 17. dixit: *Veniesque ad sacerdotes levitici generis, et ad judicem qui fuerit illo tempore, quaeresque ab eis qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint, qui praesunt loco quem elegerit Dominus, et docuerint te juxta legem ejus.*

Ad 2. Conqueritur Deus de hominibus obtemperantibus humanis legibus non conformibus ut esse debent legi divinae sed contrariis. Judaei namque in hypocrisim paulatim labi caeperunt, et tamquam religiosas observationes usurpabant nonnulla quae a superstitiosis inventa hominibus contraria erant legi divinae. De his conqueritur Deus per os Isaiae: *Cor autem ejus longe est a me.* Et quoniam Christi tempore falsae hujusmodi traditiones humanae divinae oppositae legi opera pharisaeorum in immensum excreverant, ideo Christus Isaiae verba usurpans et ipse ait: *Sine caussa me colunt, docentes doctrinas et mandata hominum.* Hanc esse Christi Domini mentem constat cuique legenti reliqua quae in laudato Matth. cap. occurrunt.

Ad 3. Solus Deus utique legislator est ac judex sed primarius a quo tamquam a fonte humani legislatores facultatem leges sanciendi accipiunt, juxta illud Prov. cap. 8. *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt.* Nec alio modo Isaias et Jacobus intelligendi sunt quum ambo de eo legislatore loquantur in cujus potestate est dare vitam et mortem.

Ad 4. S. P. Augustinus in citata ep. ad Januar. non justas ecclesiasticarum potestatum rejicit sanctiones, sed abusus quorumdam privatorum hominum qui vel in dispensandis sacramentis vel in religione administranda adeo aliquibus in ecclesiis excreverant ut nonnulli sacerdotes pharisaeorum hypocrisim imitati onerosam nimis christianam redderent religionem. Id significare voluisse S. Patrem patet ex verbis praecedentibus quae

sunt: *Omnia itaque talia quae neque sanctarum scripturarum auctoritatibus continentur, nec in conciliis episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universae Ecclesiae roborata sunt, sed pro diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix aut omnino numquam inveniri possint caussae quas in eis instituendis homines secuti sunt, ubi facultas tribuitur, sine ulla dubitatione resecanda existimo.*

Obj. 2. adv. alt. prop. Apostolus in 1. ad Cor. cap. 7. ait: *Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum*. Idem ad Gal. cap. 10. subdit: *Non sumus ancillae filii, sed liberae, qua libertate nos liberavit Christus*. Christiani itaque liberi sunt a quavis humana lege.

Resp. Apostolum in 1. ad Cor. hortari homines ne postquam redempti pretio magno a Christo sunt, iterum servi hominum fiant per peccatum, ut erant antequam Christi fidem amplecterentur. In ep. autem ad Gal. jure affirmat homines a Christo redemptos esse liberos, sed loquitur de libertate ab antiquis judaicis ritibus, non a legibus justis humanis: quod aperte colligitur ex illius epistolae scopo qui est refellere eos qui veteris legis ritus tamquam ad salutem necessarios christianae fidei admiscere volebant sacramentis.

Obj. 3. cont. 3. thes. Ecclesiae pastores nullum aliud exercere posse munus nisi suadendi ac declarandi praeter ea quae hactenus allata sunt demonstrant Christi verba Matth. cap. ult. ubi sic apostolos suos alloquitur quando plenitudinem potestatis illis impertitus est: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris etc. docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis*. Numquid facultatem eis concessit cogendi et impellendi homines ad legis observantiam? Minime, sed docendi tantum et instruendi.

Resp. Allata evangelii verba a Christo apostolos alloquente prolata demonstrant quidem munus sacerdotum esse docere et populos imbuere in fide, sed non proinde negant ad apostolos eorumque successores auctoritatem spectare condendi leges, et vim, ut inquiunt, coactivam, quae munera Ecclesiae pastoribus adscribuntur in aliis Scripturae locis.

Obj. ult. cont. 4. thes. Theodosius imperator lege sua cavit Cyrillo ac Joanni antiocheno ne episcopos ordinarent nisi finem simultatibus ponerent. Justinianus quoque imperator multas edidit circa ecclesiasticam disciplinam leges. Ac tandem nonne in conciliorum subscriptionibus nomina inveniuntur etiam imperatorum concilia confirmantium?

Resp. haec minima esse. Theodosius junior allato in casu non tamquam ecclesiasticae legis conditorem sed tamquam executorem se gessit canonum. Putabat enim de lege ecclesiastica esse ne episcopi schismatis imminente periculo alios episcopos ordinarent aut deponerent. Ut canonum ergo custos instituit ne Cyrillus atque Joannes ambo patriarchae episcopos ordinarent nisi prius pacem inter se inirent, Ecclesiae reformidans schisma. Justiniani autem leges circa disciplinam nullam habent vim nisi quatenus explicitus vel saltem implicitus supponitur Ecclesiae pastorum consensus. Nam imperator iste multa sibi arrogavit quae ipsi plane jure

non competebant. Quod denique ad conciliorum per imperatores factam confirmationem spectat nullam contra nos vim habet. Nam concilia confirmarunt non tamquam Ecclesiae controversiarum judices et legislatores sed tamquam custodes canonum fideique defensores. Atque hoc sensu sancti Pontifices et Patres laudibus eorum zelum extollunt.

CAPUT IX.

Quomodo humanae leges subditos ad observationem obstringant.

Summae ergo potestates sive ecclesiasticae sive saeculares legitimam habent a Deo humanas condendi leges auctoritatem, illae circa spiritualia, haec circa temporalia atque civilia. Sed quanta obligandi vis humanis legibus inest? Id hoc in capite inquirendum. Nam waldenses, anabaptistae, lutherani et calvinistae quum superioribus potestatibus facultatem adimant novas statuendi leges, ex consequenti affirmant illas semel latas non obligare subditos in interiori conscientiae foro; unde arbitrantur infringi tuta conscientia posse nisi forte evidens sit scandali periculum. Contra pravam itaque hanc opinionem demonstrandum est humanas leges sive canonicas sive civiles obligare in interiori conscientiae foro. Animadvertendum tamen est non ita in conscientia obligare ut qui eas transgreditur semper lethaliter peccet. Nempe si lex versetur circa materiam gravem legis infractor peccat proculdubio lethaliter, ast si legis materia sit levis, levis quoque erit culpa transgressoris, nisi forte legem infringat ex contemptu cujus caussa peccatum erit mortale.

Sed obligat ne semper humana lex cum gravi nocumento aut periculo vitae? Cajetanus cui subscripsere nonnulli, affirmative, alii bene multi negative quaestionem resolvunt. Mediam nos ineuntes viam contendimus teneri hominem ad humanae legis observationem etiam cum periculo vitae ubi aut publicum bonum aut caussa id exigat religionis, non teneri autem si hae caussae non concurrant. Redeamus ad primum controversiae caput.

CONCLUSIO I.

Leges humanae sive canonicae sive civiles subditos obligant in interiori conscientiae foro.

Prob. thes. 1. quoad leges ecclesiasticas I. ex sacris litteris. Matth. cap. 18. legitur: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*. Lucae cap. 10. ita Christus alloquitur apostolos: *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit*. Paulus ad Hebr. cap. 13. *Obedite*, inquit, *praepositis vestris, et subjacete eis*. Christus denique ad apostolos: *Quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in caelis*. Qua de re qui ecclesiasticas transgreditur leges est tamquam ethnicus et publicanus, non spernit hominem sed Deum, est vere inobediens

ac in caelis coram Deo ligatus, adeoque peccato obnoxius fit in conscientia. II. concilia generalia aliquas semper ferre consueverunt leges quibus transgredientes poenis gravissimis puniuntur, puta poena suspensionis depositionis et etiam anathematis, quae poenae gravem supponunt coram Deo culpam. Neque dici potest Ecclesiam citra jus hanc sibi arrogasse auctoritatem, quum recensitae leges uti justissimae ac legitimae habitae sunt semper ab omnibus. Multoque minus reponi cum protestantibus potest ecclesiasticas leges ligare in conscientia quando versantur circa jus naturale atque divinum, non quando lex nova statuitur circa disciplinam. Nam Paulus legitimam ferebat legem, ac jure sibi a Deo tradito utebatur quando in 1. ad Cor. cap. 7. ajebat: *Praecipio ego, non Dominus*, atque innumeri leguntur in oecumenicis conciliis editi canones qui circa meram versantur disciplinam. III. quum certum sit Deum praecepisse hominibus ut obediant praepositis, nonne absurdissimum erit affirmare praecepisse Deum extrinsecam dumtaxat quamdam observantiam quam internus animi actus non comitatur? Numquid voluit Deus ex subditis facere hypocritas?

Prob. altera pars quoad leges civiles I. ex Scripturis. Apostolus ad Rom. cap. 13. *Omnis anima*, inquit, *potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas, nisi a Deo*. Debemus itaque humanis legibus obtemperare ut obtemperandum est Deo. Unde Apostolus idem subjungit: *Necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*. Audis Apostolum inculcantem saecularibus potestatibus obedientiam propter conscientiam? Clarius adhuc Petrus in 1. ep. cap. 2. *Subjecti igitur estote omni humanae creaturae propter Deum, sive regi, quasi praecellenti, sive ducibus, tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum ... Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis*. Scio haereticos respondere haec vera esse de legibus civilibus quae circa jus versantur naturale aut divinum. Sed falluntur. Nam quis ignorat ex sola naturali ac divina lege dignosci cuncta non posse quae homini sunt in particulari necessaria, praesertim si in civitate vel provincia vel republica vivat? E contra ad saeculares pertinet potestates in iis quae civilis sunt societatis eum conservare ordinem qui ab aeterna lege praecipitur. Debet ergo princeps nonnulla praescribere quae ad rectum dirigant ordinem, quaeque si a subditis transgrediantur rei fiunt transgressionis legis aeternae. II. ex SS. PP. Augustinus in ep. 185. alias 50. cap. 2. n. 8. ad Bonif. *Quicumque*, inquit, *legibus imperatorum quae pro Dei veritate feruntur obtemperare non vult, acquirit grande supplicium*. Bernardus, ne singulos commemorem, in lib. de praec. et disp. cap. 9. inquit: *Sive Deus sive homo vicarius Dei mandatum quodcumque tradiderit, pari obsequendum est cura, pari reverentia deferendum, ubi tamen Deo contraria non praecipiat homo*. Quid luculentius? III. ex ratione. Omnis homo in conscientiae foro tenetur ea facere quae ad ordinem et commodum spectant reipublicae, sic enim recta ratio dictat

ut per se manifestum est. Porro leges civiles quae justae sunt nil aliud praecipiunt nisi ea quae ad ordinem ac reipublicae commodum conducunt.

CONCLUSIO II.

Leges sive ecclesiasticae sive civiles obligant sub mortali si materia quae praecipitur gravis sit, sub veniali autem si materia sit levis.

Prob. leges quaevis humanae se habent relate ad obligationem sicuti se habet lex positiva divina et lex naturalis; ab his quippe humana lex derivatur. Ast lex tum naturalis tum positiva divina in materia gravi obligant sub lethali, in materia levi sub veniali dumtaxat. Ita ergo se habet etiam lex humana.

COROLLARIUM

Hinc sua sponte fluit non posse supremas potestates leges condere quae in materia tam in se quam comparate ad circumstantias levi obligent sub mortali. Nam quaevis humana lex, ut saepe diximus, proficiscitur tamquam a fonte a lege divina, atque adeo a lege aeterna; lex autem aeterna jubet ut transgressioni rei tum in se tum relate ad circumstantias levi adnexa sit non gravis sed levis culpa. Dixi in materia levi non solum in se sed inspectis etiam circumstantiis, quoniam dari potest praeceptum leve quidem in sua materia sed grave ratione circumstantiarum, quo in casu transgressor praecepti non leviter sed graviter peccaret respectu circumstantiarum, ut accidit primis nostris parentibus qui praeceptum de non edendo fructu, quod in se plane levissimum erat, infringendo gravissime peccarunt relate ad circumstantias.

Fieri etiam potest ut quis legem non servando mortaliter peccet etiamsi materia tum in se tum inspectis circumstantiis pertenuis sit, si nempe fieret ex contemptu. Ille quippe eo in casu non hominem sed Deum contemnit, quia omnis potestas a Deo est. Hinc Bernardus in laudato supra lib. de praec. et disp. cap. 11. inquit: *Peccata sunt, et Deus prohibet omnia peccata, et tamen venialia, non criminalia reputantur, excepto cum per contemptum vertuntur in usum et consuetudinem. Et tunc non peccati species, sed peccantis intentio pensatur etc.*

CONCLUSIO III.

Humanae leges non semper sed in aliquibus casibus obligant sub gravi nocumento et cum periculo vitae.

Prob. prior pars. Quod de naturali ac divina dicitur lege illud idem a fortiori dici potest de legibus humanis et canonicis et civilibus. Ast vero lex tum naturalis tum divina non semper cum gravi nocumento et cum periculo vitae obligant. Nam de lege puta naturae est ut filius co-

lat parentes. Attamen si ex externo illo cultu gravissimum immineat filio nocumentum vel periculum vitae, ab externo cultu potest citra piaculum abstinere dummodo nihil contra eumdem cultum committat. Similiter de jure divino erat antiquitus ne viri laici panibus vescerentur propositionis, ut die sabbati abstinerent fideles ab opere servili. Et nihilominus David impellente fame absque culpa panes comedit propositionis, et Mathatias ingruente bello ad vitam tuendam inculpabiliter pugnavit adversus hostes. Quare multo magis gravi imminente nocumento vel vitae periculo licitum erit humanam legem infringere, praesertim cum hisce in casibus nihil fiat contra mentem legislatoris qui quando legem condidit eximere proculdubio intendit subditos ab illius observatione ubi vel grave nocumentum vel periculum vitae immineat.

Prob. altera pars. Lex obligat etiam cum periculo vitae si vel publicum bonum vel ipsa religio legis exigat observationem, quum bonum publicum et religio praeponenda sint vitae hominis particularis, ut ratio ipsa suadet. Hinc tempore pestis tenetur parochus cum propriae vitae periculo in sua commorari parochia, tempore belli tenetur miles cum evidenti vitae periculo agere excubias etc.

Brevis resolutio objectionum.

Obj. 1. cont. 1. thes. S. P. Augustinus in lib. 22. cont. Faust. cap. 27. hoc modo definit peccatum: *Peccatum est factum vel dictum vel concupitum aliquid contra aeternam legem*. Qui ergo legem transgreditur humanam non peccat. II. idem S. doctor serm. 62. de script. alias 6. de verbis dom. cap. 8. affirmat posse imperatorem minari quidem subdito carcerem, non autem gehennam: quapropter imperiales leges non obstringunt in interiori conscientiae foro.

Resp. ad 1. Protestantium argumentum ex Augustini definitione deductum nimis probare. Nam si non peccat nisi ille qui facit dicit vel concupiscit aliquid contra legem aeternam, jam qui naturalem vel divinam transgreditur legem non peccat. Cur ergo per adversarios peccat qui legem vel naturalem vel divinam infringit, posita etiam peccati allata definitione? quoniam videlicet transgreditur remote legem aeternam. Ast etiam qui frangit legem humanam ordinem perturbat naturalem, adeoque remote transgreditur legem aeternam, atque ita peccat faciendo vel dicendo vel concupiscendo aliquid contra legem aeternam.

Ad 2. Allato argumento ostendunt novatores nimiam contradicendi libidinem. Nam loquitur ibi S. Pater de legibus injustis imperatorum quibus obtemperandum non est quoniam ad carcerem illi, non ad gehennam possunt transgressores damnare. Sic enim ait: *Ergo si aliud imperator, et aliud Deus, quid judicatis? solve tributum, esto mihi in obsequium. Recte, sed non in idolio. In idolio prohibet. Quis prohibet? Major potestas. Da veniam: tu carcerem, ille gehennam minatur.*

Obj. 2. adv. eamd. 1. prop. I. humanae potestates quamvis praecel-

lentes privare nequeunt subditos gratia sanctificante quae a solo Deo confertur et aufertur. Quomodo ergo ligare possunt illos in interiori conscientiae foro? II. si de principibus loquamur saecularibus nequennt hi conscientias solvere subditorum, quare nec possunt eas ligare. III. humana potestas sive ecclesiastica sive civilis est respectu supremae potestatis inferior. Nequit autem inferior ligare in foro superioris. IV. potestas civilis ordinata est dumtaxat ad bonum temporale, unde per leges suas inducere non potest debitum spirituale qnale est peccatum.

Resp. ad 1. humanas potestates auferre a subditis non posse sanctificantem gratiam physice et efficienter, quod ad solum Deum auctorem largitoremque gratiae spectat, posse vero ab illis gratiam auferre sanctificantem moraliter. Quum enim hnmana potestas legem auctoritate Dei munita ferat, si subditus legem transgrediatur, Deus a transgressore aufert gratiam.

Ad 2. Quivis homo dum peccat se ipsum certe in conscientia ligat, et tamen seipsum solvere nequit. Unde etiamsi saecularis potestas subditorum conscientias solvere non possit, non proinde sequitur non posse illorum conscientiam ligare. Cujus rei ratio est quoniam ad ligandas non ad solvendas conscientias subditorum auctoritatem a Deo acceperunt.

Ad 3. Inferior ligare utique potest in foro superioris si hujus vice et auctoritate se gerat, ut patet in consule provinciae qui ligat in foro regis cujus ille vices gerit.

Ad 4. dico potestatem civilem ordinatam esse ad temporale bonum ratione objecti, non ratione debiti. Hoc est, versatur lex civilis circa temporalia, sed qui illam infringit contrahit debitum spirituale, adeoqne peccat. Quae adversus secundam ac tertiam thesim opponi possunt ex hactenus disputatis facilem habent solutionem; unde ad reliqua properemus.

CAPUT X.

An leges sive civiles sive ecclesiasticae ut valeant a populorum pendeant acceptatione.

Non hic quaestio est de legibus quae in dominiis feruntur sive aristocratico sive democratico. Nam si regimen aristocraticum sit, nemini dubium quin legum valor ab acceptatione pendeat optimatum penes quos est suprema potestas. Et si regimen sit democraticum in quo summum jus penes populum residet, ab eo leges ut validae sint debent probari. Quaestio ergo intelligitur de valore legum quae in monarchico ferrntur dominio a supremo domino, et inquiritur an leges a supremo principe latae a populorum pendeant acceptatione ut habeant vim obligandi.

Rursus quaestio non est de legibus qnae jam in usu sunt et a populis observantur: et si de legibus loquamur ecclesiasticis in quaestionem non trahimus leges spectantes ad fidem et mores aut etiam ad disciplinam in promulgatis ac receptis canonibus statutam, sed sermo est de le-

gibus novis quae numquam in usu fuerunt, et relate ad Ecclesiam de legibus novis spectantibus ad disciplinam.

Circa hanc quaestionem doctissimus Petrus de Marca lib. 2. concord. sacerd. et imp. cap. 6. quem nonnulli secuti sunt affirmat novas leges sive civiles sive canonicas nullam habere vim obligandi nisi a populorum acceptatione. Complures theologi galli inter quos Cabassutius, Juvenin et alii discrimen quoddam inter ecclesiasticas ac civiles leges sibi fingunt, ex quo inferunt leges civiles subditos obligare independenter ab illorum acceptatione, non item leges ecclesiasticas. Alii tamen theologi tenent parem esse quoad vim obligandi civilium canonicarumque legum rationem, atque idcirco nec has nec illas ut valorem habeant a populorum pendere acceptatione. Nunc sit

CONCLUSIO

Novae leges sive civiles sive ecclesiasticae ut valeant a populorum non pendent acceptatione.

Prob. 1. Script. Prov. cap. 8. legitur: *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt.* Apostolus ad Rom. cap. 13. *Omnis anima*, inquit, *potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas, nisi a Deo.* Vide alia Scripturarum testimonia superius crebro repetita et illa praecipue quae de ecclesiastica potestate a Spiritu sancto prolata sunt in sacris litteris. Ex quibus apertissime patet principes sive saeculares sive ecclesiasticos auctoritatem condendi leges quae subditos obligent accipere a Deo, non ab ipsis subditis consentientibus et acceptantibus.

Prob. 2. ratione. I. nil aliud legis nomine intelligitur quam *recta ratio imperandi et prohibendi*, ut Cicero inquit lib. 1. de leg. unde definitur ab omnibus ut cap. 1. hujus libri diximus, *praescriptum aliquod ab eo qui curam habet communitatis, et ad commune bonum directum, ac subditis intimatum.* Ast imperium atque praescriptum quum sit praeceptum vim habet obligandi non ab iis quibus intimatur, sed a voluntate praecipientis et praescribentis, juxta illud S. P. Augustini lib. 3. de lib. arb. cap. 24. *Praeceptum non est ab illo cui praecipitur, sed ab illo qui praecipit.* Hinc in legis definitione nullum habet locum populorum acceptatio. II. si legum validitas a subditorum penderet acceptatione nullo prorsus negocio subditi vel ecclesiastici vel laici in proprios possent rebellare superiores, possent quippe quamlibet novam legem rejicere si eis liberet. Et liberet quidem quoniam nulla lex est quae aliquid non habeat oneris vel ad virtutem sequendam vel ad deprimendum vitium. III. si Petri de Marca systema consisteret subditi potiorem, principes autem inferiorem in legibus partem haberent. Nam principum tunc esset dumtaxat proponere leges, quod minimum est quum fieri id possit etiam a subditis puta consiliariis et sapientibus viris: subditorum autem esset tribuere legibus firmitatem, quod plane potius est atque nobilius quum finis legis sit executioni mandare quae praecipiuntur. IV. ut leges

suum habeant valorem nil aliud denique requiritur quam potestas et voluntas legislatoris. Duo autem haec haud dependent ab acceptatione populorum, nam potestatem habent legislatores non a populo sed a Deo: *omnis potestas a Deo est*: voluntatem vero habent a seipsis; unde in promulgandis legibus inquiunt, *volumus*, *mandamus*, *praecipimus*, ac poenas legum transgressoribus praescribunt. Allatae rationes ex aequo valent pro legibus civilibus et ecclesiasticis. Sed quoniam plerique adversariorum populorum requirunt acceptationem ad valorem praesertim legum canonicarum

Prob. 3. seorsim de legibus ecclesiasticis: Summi Pontificis ac episcoporum auctoritas undenam descendit? a populo vel a Deo? proculdubio a Deo. Petro enim et successoribus ejus Christus dixit: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis*. Singulis item apostolis ac proinde episcopis dixit: *Quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in caelis*. Valor igitur legum ab ipsis conditarum ab auctoritate a Deo non a populis accepta dependet, alioquin subditi a seipsis ad legum observationem ligarentur ipsas acceptando, non ab ecclesiasticis potestatibus per auctoritatem a Christo Domino acceptam. Praeterea populi novas recusantes ecclesiasticas leges acceptare nolunt audire ecclesiasticas potestates. Qui autem ecclesiasticos audire non vult superiores audire plane recusat Christum, juxta illud, *qui vos audit, me audit*: *qui vos spernit, me spernit*. Atque idcirco populi jus non habent illas acceptandi vel respuendi pro libitu.

Resolutio objectionum.

Obj. 1. celebrem Gratiani textum qui habetur dist. 4. cap. *in istis*: *Leges instituuntur cum promulgantur*; *firmantur cum moribus utentium approbantur*. Firmitas ergo legum a populorum pendet acceptatione. II. leges per contrariam populi consuetudinem infirmantur et abrogantur. A populo itaque legum firmitas pendet.

Resp. ad 1. retorquendo argumentum. Juxta allatam Gratiani sententiam leges constitutae intelliguntur cum promulgantur. Promulgata itaque lege, jam valorem habet absque populorum acceptatione. Ceterum vult Gratianus moribus utentium firmari leges non quasi a moribus utentium validitatem accipiant, sed quod roborentur confirmenturque ita ut non abeant in desuetudinem. Nam agit ibi de modo quo leges aliquando vim amittunt obligandi, maxime si legislator tacite consentiat aut earum observationem permittere velit arbitrio subditorum. Hinc e vestigio subdit: *Sicut moribus utentium in contrarium nonnullae leges hodie abrogatae sunt*; *ita etiam moribus utentium istae leges confirmantur*. Vides loqui hic Gratianum de legis abrogatione per contrariam consuetudinem a legislatore toleratam? Quare in antecedentibus loquitur de confirmatione legum per mores utentium ne in desuetudinem abeant.

Ad 2. Leges per contrariam populi consuetudinem abrogantur utique,

sed legislatore vel expresse volente vel tacite consentiente aut tolerante, non ipso nolente et reluctante. Ex quo consequitur suam amittere leges firmitatem quia sic vult legislator, unde e contra quia legislator vult suam acquirunt firmitatem. Hinc si populus contrariam latae legi induceret consuetudinem cui princeps obsisteret, reus esset in principis auctoritatem perduellionis.

Obj. 2. Multa occurrunt in jure quae demonstrant legum validitatem a populorum pendere acceptatione. Et I. in lib. 1. dig. tit. 3. Papinianus legem definit *communem reipublicae sponsionem*, *qua ipsi consentire*, *et in eam simul cum principe respublica intelligitur conspirare*. II. lib. 32. §. 1. habetur: *Leges nulla alia ex caussa nos tenent*, *quam quod judicio populi receptae sunt*. III. lib. 1. cod. tit. 14. lib. 8. imperatores Theodosius et Valentinianus statuunt ut deinceps res frequente senatu pertractentur, nec nisi ex unanimi omnium consensu lex feratur. IV. et revera principes a populi consensu ac voluntate per pactum quoddam sociale suam obtinuerunt auctoritatem. Unde non potest princeps independenter a populi consensu novas ferre leges.

Resp. ad 1. et 2. laudatis in argumento locis non de lege lata a supremo domino in regimine monarchico, sed de lege lata in democratica dominatione in qua summum jus quum penes populum resideat, populi utique consensio et acceptatio requiritur ut leges valeant. In hunc eumdem sensum lex definitur a Justiniano lib. 1. tit. 2. §. 4. *Lex est quod populus romanus, senatorio magistratu interrogante, veluti consule constituebat*.

Ad 3. Nos quoque ultro concedimus legum firmitatem a populi vel senatus acceptatione pendere, ubi summus princeps statuat non esse observandas aut statuendas leges nisi ex senatus vel populi consensu et acceptatione; unde ex iis quae Theodosius ac Valentinianus circa leges in posterum condendas statuerunt nihil contra sententiam nostram evincitur.

Ad 4. Calviniani supremae principum auctoritatis hostes acerrimi veterum quorumdam tumultuantium doctrinam in systema redigentes, sub specioso reformationis obtentu docuerunt summorum principum potestatem non a Deo rege regum et domino dominantium, sed a populi consensu et voluntate derivari: quod systema fuse expositum fuit a Buchanano in libro cui titulus, *dialogus de jure regni apud scotos*. Horrida haec calvinistarum sententia adscita avide fuit a Boelio, Voltairio, Rousseau, aliisque nostrae hujus aetatis deistis philosophantibus qui homines in puris naturalibus olim extitisse sibi fingentes, hoc est hypothesim de possibilitate status purae naturae a molinistis tantopere approbatam redigentes ad thesim somniarunt dicere, coaluisse tandem sponte sua in societatem, et pactum quoddam iniisse sociale vi cujus conferentes singuli uni ex sociis suorum naturalium jurium partem constituisse illum in principem qui tamquam nationis minister atque legatus condere possit leges: ex quo dogmate sequitur populum superiorem esse principe, eumque deponere aut etiam interficere posse pro lubitu, uti hisce diebus factum est in floren-

tissimo olim nunc infelicissimo galliarum imperio cujus incolae hisce principiis imbuti veluti ebrii a crapula excitati tumultuarie in regiam irruerunt familiam et Ludovicum hujus nominis 16. piissimum regem primum tum uxorem ejus reginam christianae constantiae exemplar non aliam habentes reitatem nisi quia principes erant publice et palam plaudente populo morti tradiderunt. Ex quo solo systematis hujus impietas apparet. Et his non obstantibus inventus est Romae vir natione siculus, religione catholicus, professione sacerdos qui magnis fruitur de vaticana Basilica sacerdotiis Nicolaus Spedalieri qui veritus non est illud idem portentum ex Joanne Jacobo Rousseau parum feliciter exscriptum et futilibus captiunculis ac sophismatibus adornatum vendere populo cum ingenti omnium bonorum scandalo. Sed haec obiter ad leniendum dolorem adnotavi. Ceterum principes saeculares non a populo sed a Deo condendarum legum accipere auctoritatem vel ex una patet Apostoli sententia ad Rom. cap. 13. *Non est potestas nisi a Deo*. Et, *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*. Quod si principis electio a populo aliquando pendeat, potestas tamen legislativa in illum descendit a Deo, principeque semel constituto non est in populi arbitrio auctoritatem illi adimere vel imminuere et coarctare.

Obj. 3. cum doctissimo de Marca. Et si leges civiles suum non sumerent a populorum acceptatione valorem, semper tamen verum esset valorem legum ecclesiasticarum pendere a populi consensu. Nam latissimum est inter civiles et ecclesiasticas leges quoad vim obligandi discrimen. Et I. *potestas Ecclesiae* (verba sunt cl. viri) *conceptis verbis data est in aedificationem, non autem in destructionem, ut testatur Apostolus*. II. *Christus ipse discrimen utriusque potestatis in praeceptis dandis auctoritate sua constituit. Reges gentium dominantur eorum etc. vos autem non sic*. III. *regium imperium a sacerdotali in eo maxime distat, quod illi non solae singulorum civium rationes commissae sint, sed totius reipublicae ... aliter se habet res in episcopali ministerio cui Ecclesiae sollicitudo ita commissa est ut singulorum saluti praecipue invigilare debeat, ad exemplum magistri nonaginta novem oves deserendae illi sunt ut centesimam ad caulas reportet*.

Resp. ad 1. Etiam potestas saecularis ad aedificationem non ad destructionem data est, et nihilominus ut leges civiles valeant a populorum non pendet acceptatione. Quare licet ecclesiastica potestas ad aedificationem data sit non ad destructionem, non proinde sequitur populorum consensum vim canonicis legibus tribuere. Quo ergo sensu Apostolus in 2. ad Cor. cap. 13. inquit, *secundum potestatem quam Dominus dedit mihi in aedificationem, non in destructionem*? Supremas nempe potestates leges ferre debere justas et ad aequitatis rectaeque rationis regulas exactas, alioquin destrueretur non aedificaretur humana societas sive in civitate sive in ecclesia congregata, quoniam lex ad aedificandum non ad destruendum est instituta.

Ad 2. Si de Marca verborum Christi interpretatio sit admittenda se-

quitur Deum arctius conscientias stringere fidelium ad leges observandas principum saecularium quam episcoporum quod absurdum esse nemo non videt. Christus itaque allata in argumento sententia significare voluit pastores Ecclesiae omne impendere debere studium ut obedientiam a subditis suavitate et caritate exigant, non quomodo fieri ut plurimum solet a regibus gentium qui erga subditos severitatem ad incutiendum timorem exercent. Recte in hunc locum Origenes: *Principes gentium non contenti tantum regere subjectos suos, violenter eis dominari nituntur. Inter vos autem qui estis mei non erunt haec ... principatus enim eorum* (ecclesiasticorum) *in dilectione debet esse positus, non in timore carnali*.

Ad 3. Falsa est discriminis ratio quam inter imperium ac sacerdotium affert de Marca. Nam pastoribus etiam Ecclesiae cura commissa est universae christianae reipublicae, neque ecclesiastica potestas sinere debet ut nonaginta novem oves pereant ad unam recuperandam; quum evangelicae parabolae sensus sit debere ecclesiasticum pastorem non necessariam nonaginta novem justorum curam ad tempus intermittere ut unum salvet peccatorem. Habet parabola et alios sensus quos enodatos vide apud Patres et praecipue apud Hieronymum lib. 3. comm. in Matth.

Obj. ultimo. Nova circa disciplinam ecclesiastica lex quamvis in se spectata justa esse possit, relate tamen ad dissitarum gentium mores et consuetudines posset obesse magis quam prodesse. Neque enim aut generale concilium quod in una mundi civitate celebratur aut summus Pontifex qui Romae residet scire apprime potest singularum totius orbis gentium mores et consuetudines. Expedit ergo publico bono ut talium legum validitas ne publico bono noceant a populorum pendeat acceptatione.

Resp. In primis argumentum hoc probaret leges etiam imperatorum et regum ut firmitatem habeant indigere consensu populorum, hi namque in dissitas regiones dominium ut plurimum habent. Sic imperator dominatur Germaniae et Italiae parti, et reges Galliae, Hispaniae, ac Lusitaniae sub propria habent ditione americanos quorum mores ac consuetudines a moribus et consuetudinibus europaeorum quam longissime dissident. E contra Hetruriae dux vel duces Mutinae et Parmae quum unius vel alterius provinciae domini sint, principis ac subditorum mores et consuetudines minime differunt; unde leges hi ferre poterunt quae valorem habeant independenter a populorum acceptatione. Sicque majorem haberet in sibi subjectos populos potestatem unius provinciae quam multarum inter se dissitarum princeps, si adversariorum consisteret argumentum. Deinde si loquamur de novis legibus ad disciplinam spectantibus ab Ecclesia in conciliis generalibus congregata editis, falsum omnino est principium cui adversariorum innititur argumentum. Nam quum oecumenico concilio praesentes sint totius orbis atque adeo singularum provinciarum episcopi vel per se vel per suos procuratores possunt hi ac debent reliquos episcopos in concilio congregatos de propriae regionis moribus et consuetudinibus reddere certiores: atque ita numquam eveniet ut generalia concilia novas ferant leges remotiorum populorum usibus adversantes. Si

autem loquamur de novis legibus condi solitis a summo Pontifice, communio quam totius orbis episcopi cum ipso habent adeo arcta est ut impossibile fere videatur ne comperti ipsi sint gentium omnium usus atque mores unde novam edat legem quae turbas excitet in alienis regnis, maxime quum novae hae leges versentur circa disciplinam quae ut plurimum communis esse solet omnibus christianis ecclesiarum praesertim occidentalium. Quod si aliquando contingeret ut nova lex a summo Pontifice sancita nocumenti magis quam utilitatis aliquid afferre videatur, non a populorum arbitrio pendet pro lubitu illam respuere vel acceptare, sed suspendenda est executio, suspensionisque caussae sunt legislatori exponendae qui pro ea qua pollere debet prudentia dubitandum non est quin novam legem utilitatem non afferentem aut retractet aut irritam tacito consensu faciat, juxta regulam S. Leonis M. *Multa sunt quae aut pro consideratione aetatum, aut pro necessitate rerum oportet temperari*.

CAPUT XI.

De subjecto legum humanarum.

Nullum catholicum dogma novatores reliquerunt intactum sive fecerint id falsa animi persuasione sive contradicendi libidine. Etiam ubi de iis agitur quos humanae leges obstringunt eo rem detulerunt ut affirmare non dubitaverint justos homines nullis humanis legibus subjici et obligari, quamvis ad id adstruendum nonnisi vanas habeant ratiunculas. Catholici e contra animadvertentes quemlibet justum quamdiu viator est a recto tramite posse deficere, et non in divinam modo, sed et in humanam legem posse peccare, optimo jure affirmant humanarum observantiam legum omnes quoque justos obstrictos tenere.

Inquirere praeterea solent hoc in loco theologi an legislatores proprii s teneantur obtemperare legibus, ac legum vim in directivam et coactivam distinguentes omnes unanimi sensu concludunt obligari illos propriis legibus quoad vim directivam, non quoad vim coactivam.

Sed quid dicendum de obligatione legis comparate ad subditos qui extra sui principis versantur ditionem? Si leges sint personales ad illas subditi tenentur etiam quando extra proprii principis degunt territorium. Quod si leges sint locales non tenentur, sed obstringuntur potius legibus territorii ad quod accesserunt quamvis advenae tantum sint et peregrini. Quare sit

CONCLUSIO I.

Justi ac perfecti homines legibus humanis obligantur.

Prob. 1. ex Scripturis. Apostolus ad Rom. 13. *Omnis anima*, inquit, *potestatibus sublimioribus subdita sit*. Idem ad Hebr. cap. 5. *Obedite praepositis vestris, ac subjacete eis*. Consimilia habet Petrus in superio-

ribus relata. Christus autem ajebat: *Reddite quae sunt Caesaris, Caesari; et quae sunt Dei, Deo*. Quibus in locis Paulus, Petrus, et Christus ipse non ad solos peccatores sed ad omnes ac singulos homines universim sermonem dirigunt, proindeque subjicere intelligunt humanis legibus etiam justos ac perfectos homines.

Prob. 2. ex PP. quorum unum afferre sufficiat, nimirum Chrysostomum, in re namque adeo per se manifesta necesse non est temporis facere jacturam. Is ergo hom. in cap. 13. ep. ad Rom. ita scribit: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, etiam si apostolus sit, si evangelista, si propheta, sive quisquis tandem fueris. Neque enim pietatem subvertit ista subjectio; et non simpliciter dicit, obediat, sed subdita sit. Est autem prima hujus constitutionis justitia quae et fidelibus cogitationibus satis decora est et honesta: nimirum, quod a Deo ordinata sint ista; non enim est potestas, nisi a Deo*.

Prob. 3. ratione. Hoc lex de essentia sua habet ut actus dirigat humanos. Justi ergo quum homines sint regula indigent quae proprios dirigat actus. Deinde nonne justi ac recti homines donec sunt in via a recto tramite deficere possunt? Quum itaque ad legem spectet vim adhibere qua transgressores ad meliorem revocentur frugem, justi quoque vi legis coactivae subditi esse intelliguntur.

CONCLUSIO II.

Legislator tenetur et ipse ad propriae legis observantiam, sed quoad vim directivam non coactivam.

Prob. prior th. pars. I. ex sacris litteris et praecipue ex cap. 23. Matth. ubi Christus graviter redarguit scribas et pharisaeos, hoc est pastores israelitarum quod eas leges quas populo imponebant non observarent: *Alligant onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere*. II. ex Patribus. Ambrosius in ep. ad Valentinianum imperatorem sic inquit: *Quod praescripsisti aliis, praescripsisti et tibi: leges enim imperator fert quas primus ipse custodiat*. III. ex jure tum canonico tum civili. Dist. enim 9. cap. *justum*, legitur: *Justum est principem legibus obtemperare suis*. Et in c. tit. 14. l. 1. *Digna vox est majestatis regnantis legibus alligatum se principem confiteri*. IV. ex theologica ratione. Leges namque feruntur ob bonum communitatis, imo leges dici nequeunt si ad commune bonum non tendunt. Tenetur autem legislator ea facere quae ad communitatis bonum conducunt. Cui rationi et illud accedit quod superioris exemplum subditis animos addit ut quae praecipiuntur libentius exequantur. Et e contra propriarum legum principis transgressio scandalo inferioribus esse potest ut ad regis exemplum et ipsi legem frangant, juxta illud vulgatum: *regis ad exemplum totus componitur orbis*.

Prob. pars altera. Lex uti vi sua coactiva nequit nisi in inferiores

et subditos poenas illis comminando et infligendo. Ast legislator respectu propriae legis non habet superiorem, a qno ergo cogi poterit ad suae legis observantiam?

SCHOLION

Quum dictum est teneri legislatores propriis legibus qnoad vim directivam, intelligitur propositio de legibus illis quae cnm principis statu ac majestate cohaerent. Nam si princeps legem v. g. ferat ne quis in civitate gladium tamquam partem indumenti, ut communiter fieri solet, gestet, vel pragmaticam adversus immoderatum civium luxum statuat, his legibus princeps non obligatur, luxus enim quidam in incessu et habitu majestatis, gladius auctoritatis in principe signnm est, juxta illnd: *non absque ratione gladium portat*. Haec ergo et alia similia ad decentiam spectant principis.

CONCLUSIO III.

Subditi tenentur legibus personalibus etiam quando extra proprii principis territorium commorantur, non tenentur autem patriis legibus localibus, sed legibus subduntur locorum ad quae accedunt etiamsi advenae sint et peregrini.

Prob. 1. thesis pars. Leges personales intimatae supponuntur personae subditornm ac proinde personam comitantnr ubicumque commoretur. Unde leges personales semper subditos obstringunt extra proprium etiam territorium.

Prob. pars ult. Leges non personales non obligant subditos nisi in eo territorio ubi princeps jurisdictionem habet. Nullam autem habet princeps extra snum territorium jurisdictionem, unde locales leges non obligant subditos extra territorium commorantes.

Prob. tertia prop. pars. Nullus homo esse potest exlex. Advenae ac peregrini non tenentur proprii principis legibus localibus, ut mox dictum est, tenentur itaqne legibus illius principis in cujus ditione versantur. Hinc S. Ambrosius ab Augustino consultus an S. mater ejus Monica mediolani teneretur jejunare sabbato juxta consuetudinem romanam, respondit: *Cum Romam venio, jejuno sabbato: cum hic sum, non jejuno. Sic etiam tu ad quam forte ecclesiam veneris, ejus morem serva si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi.*

SCHOLION

Ex dictis apparet quae hactenus demonstrata sunt intelligenda esse de aliquibus legibus particularibus sive civilibus sive canonicis. Nam si sermo est de legibus quae generaliter recipiuntur ab omnibns, quum tendant ad commune bonum nemini dubium quin semper et ubique quosvis homines obligent.

Respondetur adversariorum argumentis.

Obj. 1. adv. 1. th. Apostolus multis in locis justos eximit a legum observantia. Puta in ep. ad Rom. cap. 6. *Non enim*, inquit, *estis sub lege, sed sub gratia*. Ad Gal. cap. 2. subdit: *Subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent*. Et cap. 5. *Si spiritu ducimini* (nempe si justi estis), *non estis sub lege*. Et ad Tim. demum cap. 1. scribit: *Justo non est lex posita, sed injustis*.

Resp. singulas explicando Pauli sententias. In ep. ad Rom. Paulus non docet immunes esse justos ab humanarum observantia legum, sed viventes sub gratia, hoc est sub Christi lege non teneri amplius mosaicae legis jugo. Hoc eodem sensu in ep. ad Gal. cap. 2. affirmat libertatem nos habere in Christo Jesu, quatenus nempe non sumus amplius servi sub lege mosaica, sed liberi sub lege gratiae constituti. Cujus explicationis veritas patet ex scopo quem Apostolus sibi in utroque loco proposuit. Utrobique enim stylum adversus subintroductos falsos fratres acuit qui novos fideles suadere moliebantur necessariam esse ad aeternam salutem mosaicae legis observationem. Hinc S. P. Augustinus in lib. de gr. et lib. arb. cap. 12. non aliud nomine legis intelligit quam legem mosaicam dicens: *Non enim estis sub lege, sed sub gratia: non quia lex mala sit, sed quia sub illa sunt, quos reos facit jubendo, non adjuvando. Gratia quippe adjuvat, ut legis quisque sit factor, sine qua gratia sub lege positus, tantum erat legis auditor*. Quae Augustini sententia viam ad intelligenda sternit reliqua duo Apostoli testimonia. Ubi enim inquit, *si spiritu ducimini, non estis sub lege*, Et, *lex justo non est posita*, idem est ac si dicat: justi homines bonum operantur non ex timore poenae ut carnales homines, sed ut filios decet ex amore justitiae: *Sub lege est enim qui timore supplicii quod lex minatur non amore justitiae se sentit abstinere ab opere peccati ... Ergo si spiritu ducimini, non adhuc estis sub lege: utique legem quae timorem incutit, non tribuit caritatem*, scribit S. Pater lib. de nat. et grat. cap. 57.

Obj. 2. adv. alt. prop. Si legislator suis obstringeretur legibus sibi ipsi posset imperare, quod falsissimum est. II. nonnulli fuerunt piissimi principes qui propriis obtemperarunt legibus etiam quoad vim coactivam uti de Cosmo III. magno etruriae duce narratur qui seipsum exilio mulctavit, quod virum vepribus haerentem inter venandum praeter intentionem interfecerit.

Resp. ad 1. Repugnat quidem hominem sibi ipsi imperare quoad vim coactivam quae supponit superiorem, nec quisquam suipsius superior esse potest. Ast non repugnat ut homo sibi ipsi imperet, suas ad normam a se latae legis actiones dirigendo.

Ad 2. Si qui fuerunt principes qui propriis legibus aut potius legi divinae, ut in allato exemplo, seipsos quoad vim coactivam subjecerunt accidit id ex nimia illorum pietate qua ducti exemplo esse voluerunt sub-

ditis, ut intelligerent quam scrupulose leges sive divinae sive humanae debeant ab hominibus observari. Si enim Cosmus III. quamvis in legem divinam non peccaverit nisi forte ex non satis adhibita diligentia, nihilominus poenam homicidae debitam voluit subire, quid fieri debet iis qui ob levem quandoque injuriam violentas in proximum injiciunt manus?

Obj. ultimo cont. 3. th. I. S. P. Augustinus in ep. 54. alias 118. quae est ad Januar. affirmat cap. 2. liberum esse cuique locales observare leges: *Totum hoc*, inquit, *genus rerum liberas habet observationes*. II. nequit episcopus advenas et peregrinos vel conjungere matrimonio vel ad ordines promovere. III. latini sacerdotes per graeciam transeuntes consecrare non possunt in fermentato, nec per latinas ecclesias graeci consecrare in azimo.

Resp. ad 1. Leges quaedam locales liberas habent per Augustinum extra regiones ubi vigent observationes, non in quibus veteri consuetudine sunt confirmatae. E vestigio siquidem subdit: *Nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique christiano, quam ut eo modo agat quo agere viderit Ecclesiam ad quam forte devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter est habendum, et propter eorum inter quos vivitur societatem servandum est*. Hinc si quis leges hujusmodi frangeret aliquid per se ac intrinsece malum utique non faceret, sed peccaret quia reus fieret scandali, et consuetudines tamquam malas reprehendere videretur quae objectum habent indifferens.

Ad 2. et 3. Allati duo in argumento casus exceptiones sunt communis regulae in nostra propositione statutae, quoniam peculiari positiva lege quae in universali Ecclesia recipitur, sancitum, est ne advenae et peregrini aut promoveantur ad ordines aut matrimonio jungantur a dioecesis episcopo in qua diversantur, et ne latinus sacerdos per graeciam in fermentato, nec graecus per latinas regiones pertransiens in azimo consecraret. Eaque lex aequissima fuit, quum per illam fraudes matrimonium contrahere volentium et ad ordines promoveri vitentur, et scissurae quae diu inter latinam ac graecam ecclesiam exarserunt obviam eatur.

CAPUT XII.

De privilegio, dispensatione, et consuetudine.

Omnes itaque ad humanarum legum observantiam, ut hactenus vidimus, obstringuntur. Ast nonnulla instituta sunt inter homines ob quae licitum est absque piaculo a legum humanarum observatione discedere, ac tria praecipue sunt, nempe privilegium, dispensatio et consuetudo de quibus breviter hoc in capite est disserendum. Et a privilegio ducemus initium. Privilegium ergo solet definiri: *constans ac permanens facultas agendi aut non praestandi aliquid contra vel praeter legem*. In hoc cum dispensatione convenit quod et privilegium sit exemptio a lege quae

viget. In eo autem ab illa discrepat quod privilegium permanens sit et constans, dispensatio vero casum respiciat peculiarem et transeuntem.

Triplex est generatim privilegium, *locale*, *personale*, *et corporale*: mitto alias privilegii divisiones utpote minoris momenti, in *scriptum et non scriptum*, in *gratiosum et remunerativum*, *in absolutum et conditionale*, in *favorabile et odiosum* etc. horum namque nominum intelligentia longiorem non postulat operam quam ut nomina ipsa recitentur. Privilegium itaque locale illud est quod alicui loco conceditur, puta ecclesiae, civitati, oppido etc. illudque si absolutum sit manet in perpetuum, etiamsi locus cui adnexum est hostium incursione disjiciatur, ut statuitur causa 19. q. 3. cap. *quae semel*. Secus autem si locus cui concessum fuit privilegium superioris destruatur auctoritate.

Privilegium *personale* est illud quod uni vel alteri vel pluribus personis, propriis tamen expressis nominibus, conceditur. De hoc privilegio habetur regula 7. juris in sexto: *privilegium personale personam sequitur, et extinguitur cum persona*.

Privilegium denique quod appellant *corporale* est illud quod alicui personarum corpori seu societati v. g. universitati, ordini, collegio, capitulo ita conceditur ut illo quodlibet membrum gaudere possit. Ad speciem hanc reducuntur duo maxima privilegia quibus clerici fruuntur, privilegium nempe *canonis* et privileginm *fori*, de quibus nonnihil obiter hic dicendum. Privilegium canonis sic a canone nuncupatur tridentino, *si quis suadente diabolo* etc. nimirum si quis clericum vel monachum percusserit excommunicationis vinculo innodetur. Monachorum autem nomine veniunt religiosi omnes, mares et foeminae, et etiam novitii et eremitae, et equites regulam aliquam a romana Sede approbatam profitentes. Privilegium fori fert ut qui sunt ecclesiastico ordini adscripti nequeant apud judicem laicum accusari. Duplex hoc privilegium extenditur ad clericos etiam conjugatos dummodo in habitu ac tonsura incedant, et alicui ecclesiae ex episcopi mandato inserviant, et unam eamdemque virginem elegerint in uxorem, nec officia exerceant inhonesta, clericalique statui indecora, de quibus vide cap. *clerici officia*. De privilegio autem fori haec speciatim tridentina synodus praescribit sess. 23. cap. 6. *Nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus constitutus, fori privilegio gaudeat, nisi beneficium ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum et tonsuram deferens, alicui ecclesiae ex mandato episcopi inserviat; vel in seminario clericorum, aut in aliqua schola, vel universitate de licentia episcopi, quasi in via ad majores ordines versetur*.

Plures sunt caussae quae nullum ac irritum faciunt privilegium quarum praecipuas dumtaxat recensebimus. 1. ergo nullum est privilegium si per subreptionem vel obreptionem obtentum fuerit. Subreptitium autem dicitur privilegium quando postulator sciens ac volens falsa exponit ut facilius a superiore illud obtineat. Dicitur vero obreptitium quando veritatem reticet quam si clare exprimeret ei obesse posset. 2. Si pri-

vilegium impetratum contrarium sit alicui jam latae constitutioni, irritum erit nisi ejusdem constitutionis expressa in privilegio mentio fiat. 3. Idem dicendum si privilegium sit contra jam latam sententiam nisi expresse nominetur. 4. Imo etiam lite pendente si talem non exprimat circumstantiam. 5. Cessante caussa cessat privilegium. 6. Cessat etiam si incommodum vel detrimentum afferat. 7. Et qui privilegio abutuntur a jure excidunt privilegii. 8. Tollitur quoque si is cui concessum est privilegio renunciet. 9. Ac denique si per concedentis revocetur auctoritatem, unde merito ab Alexandro VII. haec damnata fuit thesis: *Regulares possunt in foro conscientiae uti privilegiis suis, quae sunt expresse revocata per concilium tridentinum*. Supponitur enim supremam potestatem justam habuisse caussam privilegii revocandi, sicuti justam habuit caussam privilegii concedendi.

Nonnihil modo dicamus de dispensatione. Dispensatio recte definiri potest: *exemptio a communi lege facta ab eo qui auctoritatem habet, sed non in perpetuum*. Ex quo sit exemptio a lege, convenit cum privilegio. Quod in perpetuum non duret, a privilegio discrepat. Fieri autem nequit dispensatio nisi a superiore, quoniam juris relaxatio nonnisi ab habente jurisdictionem fieri potest. Hinc dispensatio in legibus canonicis a pastoribus ecclesiae, in legibus vero civilibus a principe vel vices ejus gerente concedi potest.

Breviter hic dirimenda quaestio est an videlicet usus dispensandi in legibus canonicis antiquus sit. Non defuerunt enim homines de quibus eloqueretur Augustinus: *Filii mali, qui non odio iniquitatum alienarum, sed studio contentionum suarum infirmas plebes jactantia sui nominis irretitas, vel totas trahere, vel certe dividere affectant, superbia tumidi, pervicacia vesani, calumniis insidiosi, seditionibus turbulenti, ne luce veritatis cavere ostendantur, umbram rigidae severitatis ostendunt, et quae in Scripturis sanctis salva dilectionis sinceritate et custodita pacis unitate, ad corrigenda fraterna vitia mordaciori curatione fieri praecepta sunt, ad sacrilegium schismatis et ad occasionem praecisionis usurpant*, dicentes ante 11. saeculum nullas in ecclesiasticis legibus concedi consuevisse dispensationes. Sed falsitatis id asserendo revincuntur ab innumeris factis quae in historia ecclesiastica leguntur. Et revera nonne in nicaeno concilio I. contra quam veteres statuissent canones cum episcopis ab haeresi reversis indultum est ut ad proprias redirent episcopales sedes? Hanc indulgentiam cum novatianis justa de caussa concilii Patres exercuerunt. Saeculo autem 5. idipsum factum est in multis africanis conciliis cum donatistis ad unitatem revertentibus. Hinc S. P. Augustinus lib. 3. cont. epist. Parmeniani et variis Scripturarum locis, et exemplo Cypriani non fuisse calumniandam Ecclesiam sui temporis ex quo toleraret in suo gremio plures ceteroquin anathematizandos diserte commonstrat, concluditque quasi canonem condens, in poenis ejusmodi infligendis semper adhibendum esse modum, temporaque servanda *ne pax Ecclesiae violetur*, et tunc solummodo esse infligendas *cum sine periculo violandae*

pacis fieri potest. Ex quibus et disciplinam temporis illius habes et regulam qua tibi datum est cognoscere quando dispensationes istiusmodi adhiberi liceat et quando non. Hoc est, arripienda disciplina est dum utiliter adhiberi potest, parcendum vero est cum *contagio peccandi multitudinem invaserit*: quia tunc *consilia separationis et inania sunt et perniciosa atque sacrilega*; *quia et impia et superba fiunt*, *et plus perturbant infirmos bonos*, *quam corrigunt animos malos*, inquit eodem libro Augustinus cap. 2. n. 14. Etiam Siricius sanctus ille Pontifex saeculo 4. dispensavit cum episcopis presbyteris ac diaconis bigamis, licet veteres canones juberent bigamos ad superiores ordines non esse admittendos. Canones Pauli innixi auctoritati vetant ne catechumeni et neophyti ad episcopatum promoveantur, et nihilominus Ecclesia dispensavit cum Ambrosio ut episcopus consecraretur mediolanensis. Dispensavit etiam sub Fabiano R. P. cum Novatiano ut presbyter fieret quamvis baptizatus esset in lectulo mortis. Etiam Gelasius I. dispensavit in lege de servandis interstitiis. Plura alia dispensationum exempla brevitati consulens omitto, sed ea vide apud nostrum Leonardum Vanroy, apud Juvenin, Tournely et alios.

Quamvis autem in Ecclesia usus semper viguerit in legibus canonicis dispensandi, tamen non adeo frequenter id faciendum est ut abusus irrepat et legis fiat dissipatio. Sed tunc dispensatio dumtaxat concedenda est quando justa adest caussa et necessitas urget, alioquin superior gravi se onerat culpa. Ajebat quippe S. Leo Papa: *Ubi necessitas non est, nullo modo SS. PP. constituta violentur*. Et rursus: *Ubi ergo necessitas fuerit ad utilitatem Ecclesiae*, *qui potestatem habet ea dispenset*. *Ex necessitate enim fit mutatio legis*. Et disertius adhuc S. Bernardus lib. 3. de consid. cap. 4. *Quid ergo*, inquit, *prohibeo dispensare? Non sum tam rudis ut ignorem*, *positos vos dispensatores*, *sed in aedificationem, non in destructionem*. *Denique quaeritur inter dispensatores*, *ut fidelis quis inveniatur*. *Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est*. *Ubi utilitas provocat*, *dispensatio laudabilis est*. *Utilitas*, *dico*, *communis, non propria*. *Nam cum nihil horum est*, *non plane fidelis dispensatio*, *sed crudelis dissipatio est*. His gemina tradit mellifluus doctor in lib. de praec. et disp. cap. 2. ubi sententiam affert S. Leonis proxime a nobis recitatam et S. Gelasii verba dicentis: *Ubi necessitas non est*, *inconvertibilia maneant SS. PP. decreta*. Ex quibus clarum est ecclesiasticum superiorem peccare in legibus canonicis dispensantem absque justa et legitima caussa.

Hoc ipsum affirmare intelligimus de superiore quoque regulari qui in statutis dispensat monachorum. Nam ut optime scribit S. Bernardus lib. de praec. et disp. cap. 4. *Quidquid de spiritualibus in regula traditum est*, *in manu abbatis nequaquam relinquitur*. *Deinde reliqua pars quae in corporalibus constat observantiis*, *nec ipsa quidem in ejus ita voluntate posita est ut ejusdem deserviat voluntati*, *sed magis caritas*. *Neque enim abbas supra regulam est*, *cui semel et ipse spontanea se professione submisit* ... *Esto proinde, ut interdum regulae litte-*

ra cedat pro tempore caritati, cum ratio necessitatis vel caritatis exegerit; absit tamen ut hominis cujuspiam subdatur voluntati ... Hinc est quod idem legislator in his quae abbati dispensanda reliquit, caute nusquam, ut memini, voluntatem, sed aut considerationem aut dispositionem aut providentiam aut certe arbitrium seu aliquid hujusmodi ponit, volens nimirum providum fidumque dispensatorem, rationis, ubi forte dispensat, sequi judicium, non suae placitum voluntatis. Unde et intimat ei non semel, quod de omnibus judiciis suis Deo redditurus sit rationem.

Sed neque superiori politico licitum est dispensare in lege civili sine legitima caussa, peccaret enim et contra fidem reipublicae debitam, et contra prudentiam a lege eximendo qui eximendus non est, et contra justitiam quum acceptor esset personarum. Dispensatio quippe debet esse levamen alicui concessum ex aliquo debito, non pro lubitu superioris. Hinc peccat etiam ille qui sine justa caussa dispensationem sive in civili sive in ecclesiastica lege sive in statutis monasticis postulat, atque si eam subreptitie vel obreptitie fuerit consecutus uti ea non potest. Sed de dispensatione satis. Pauca nunc de consuetudine.

Definitur consuetudo a S. P. Augustino lib. 83. QQ. q. 31. *jus ... quod aut leviter natura tractum aluit, et majus fecit usus ... aut quod in morem vetustas vulgi approbatione perduxit*. Et ab Isidoro lib. 1. etymol. apud Gratianum dist. 1. brevius: *Consuetudo est jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex.*

Si consuetudo sit universalis Ecclesiae ab omnibus et singulis christianis pro lege habenda ac observanda est. Nam S. P. Augustinus ad inquisit. Januarii lib. 1. ep. 54. alias 118. cap. 1. prout dist. 12. refertur canone *illa*, sic inquit: *Illa autem quae non scripta, sed tradita custodimus, quae quidem toto terrarum orbe servantur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis vel plenariis conciliis quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri, sicuti quod Domini passio et resurrectio et ascensio in coelum et adventus de coelo Spiritus sancti anniversaria sollemnitate celebrantur, et si quid aliud tale occurrit quod servatur ab universa, quacumque se diffundit, Ecclesia*. Quidquid autem vel ab Apostolis vel a plenariis institutum est conciliis nonne pro lege ab omnibus ac singulis habendum est atque servandum? Hinc idem S. doctor cap. 5. subdit: *Si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia ... quin ita faciendum sit, disputare insolentissimae insaniae est.* Et in ep. ad Casulanum cap. 1. *In his enim rebus de quibus nihil certi statuit Scriptura divina, mos populi Dei vel instituta majorum pro lege tenenda sunt.*

Quod si consuetudo sit alicujus ecclesiae particularis ab iis custodienda est qui in illa ecclesia morantur vel ad eam veniunt. Quod docet Augustinus in laudata ep. ad Januar. cap. 5. ubi sic scribit: *Faciat ergo quisque quod in ea ecclesia in quam venit, invenerit*. Et can. *catholica* qui dist. 11. tribuitur Augustino ita legitur: *Privatis constitutio-*

nibus et propriis informationibus unaquaeque (ecclesia) *pro locorum varietate , prout cuique visum est , subsistit et regitur* . Et Gregorius M. in resp. ad Augustinum anglorum apostolum , prout habetur dist. 12. cap. *noverit* , inquit: *Mihi placet , ut sive in romana sive in gallicana sive in qualibet ecclesia aliquid invenisti quod plus omnipotenti Deo possit placere , solicite eligas : et in anglorum ecclesia quae adhuc in fide nova est , institutione praecipua , quae de multis ecclesiis colligere poteris , infundas ... Haec quasi in fasciculum collecta apud anglorum mentes in consuetudinem depone* . Haec S. Gregorii sententia non solum demonstrat particularium ecclesiarum consuetudines ab iis servandas qui in illis versantur ecclesiis atque ad eas accedunt , sed etiam consuetudines amplectendas quae ad melioris vitae ducunt exhortationem . Legatur etiam Augustinus in ep. ad Januar. cap. 18.

Sedulo tamen cavendum est ne verae consuetudinis habentis vim legis loco humanae quaedam assumantur praesumptiones inutiles superfluae et absque legitima caussa introductae . Nam S. P. Augustinus quo melius nemo de hoc argumento disseruit , ad inquisit. Januar. lib. 2. ep. 55. alias 119. cap. 19. haec inter cetera habet : *Hoc nimis doleo , quod multa quae in divinis libris saluberrime praecepta sunt , minus curantur ; et tam malis praesumptionibus sic plena sunt omnia , ut gravius corripiatur qui per octavas suas terram nudo pede tetigerit , quam qui mentem vinolentia sepelierit . Omnia itaque talia , quae neque sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur , nec in conciliis episcoporum statuta inveniuntur , nec consuetudine universae Ecclesiae roborata sunt , sed pro diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur , ita ut vix aut omnino numquam inveniri possint caussae , quas in eis instituendis homines secuti sunt , ubi facultas tribuitur , sine ulla dubitatione resecanda existimo* .

Multo minus vim legis habere debet consuetudo aliqua quae contra naturalem vel divinam legem fuerit instituta . Hoc sensu scribebat Augustinus lib. 4. de bapt. cont. Donat. cap. 5. prout refertur dist. 9. can. *frustra* : *Hoc plane verum est , quia ratio et veritas consuetudini praeponenda est* . Et Isidorus lib. 2. syn. cap. 16. *Multa sunt consuetudine vitiata , multa pravo usu praesumpta, multa contra pudicos mores illicite usurpata . Cedat consuetudo auctoritati : pravum usum lex et ratio vincant : adime consuetudinem , serva legem* . Legatur et Bernardus lib. de praec. et disp. cap. 3. Nec immerito hanc statuunt sancti Patres regulam, quoniam nemo contra Deum divinae naturalisque legis auctorem praescribere potest . Rationabilis ergo esse debet consuetudo ut vim obtineat legis , imo et legitime praescripta . Ad legitime autem praescribendum in rebus civilibus requiritur tempus decem saltem annorum, ut constat ex leg. ult. cod. de praescr. §. 1. In rebus vero ecclesiasticis non fit praescriptio ante quadragesimum annum ex cap. *ad aures*, Extra , de praescr. Ac denique ut consuetudo novae legis vim obtineat , tamquam necessaria

conditio requiritur ut legislator numquam nascentem consuetudinem indicta poena impedierit, aut si id aliquando praestitit, ut temporis progressu cessaverit. Ita quippe censetur et ipsum novae assensum exhibere consuetudini. Sed de legibus satis quantum ad nos attinet disputatum est.

Finis libri XXXII.



INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

LIBER XXXIII.

DE PECCATIS.

Absoluta tractatione de legibus methodus ipsa postulat ut ad dissereudum de peccatis gressum faciamus. Nam quid est denique peccatum nisi legis alicujus transgressio? Et ideo homines peccatores constituuntur quoniam a legum deflectunt observatione; unde optime ajebat S. P. Augustinus in psal. 118. serm. 25 u. 1. *Si praevaricantes sunt omnes peccatores terrae, nullum est utique sine praevaricatione peccatum: nulla est autem praevaricatio sine lege; nullum est igitur nisi in lege peccatum*. Ad rem ergo veniamus.

CAPUT I.

In quo definitio ac divisio traditur peccati ejusque natura explicatur.



rdo ab aeterna lege praescriptus illud postulat, ut superioris libri initio diximus, ut quaevis creatura rationalis fruendis fruatur et utatur utendis. Ea autem quae ab aeterna lege posita sunt ad fruendum nil aliud sunt nisi Deus et illa quae ad Deum pertinent. Quae vero posita et praescripta sunt ad utendum sunt res omnes extra Deum existentes. Qui ergo fruendis fruitur et utitur utendis is plane ordinem a lege aeterna praescriptum servans bonum operatur, adeoque exercet virtutem: E contra si fruendis utatur et fruatur utendis statutum ab aeterna lege perturbat ordinem, ac proinde peccat. Legatur Augustinus de doctr. chr. lib. 1. cap. 3. 4. et 5. Ex his igitur liquet optime ab eodem S. doctore definiri peccatum, *factum vel dictum vel concupitum aliquid contra aeternam Dei legem*. Haec quippe ordinem naturalem conservari jubet, perturbari vetat, ut idem ait lib. 22. cont. Faustum cap. 27.

In allata autem definitione dum audis *factum* vel *dictum* vel *concupitum* subintellige voluntarium et liberum. Nam etiamsi hoc expresse Augustinus non commemoraverit, satis tamen indicavit per illa verba; *contra aeternam legem*. Non enim datur lex nisi agenti libero, nec contra legem facit qui libere non operatur, unde ineptiunt qui allatam peccati definitionem rejiciunt quod nulla in ea commemoratio fiat libertatis.

Male quoque ab aliis respuitur sub obtentu, quod competere non videtur aut peccato originali quod non est factum dictum vel concupitum, quum parvuli usum non habentes rationis facti dicti vel concupiti non

sint capaces, aut peccato omissionis quod est potius omissio facti dicti vel concupiti. Nam allata definitio utrique peccato, originali nempe et omissionis aptari utique potest. Etsi enim pueri facti dicti vel concupiti capaces non sint per propriam voluntatem, capaces tamen sunt per voluntatem alienam, primi scilicet parentis in quo omnes peccaverunt. Quare idem S. doctor lib. 1. retract. cap. 13. ait: *Quod in parvulis dicitur originale peccatum, cum adhuc non utantur arbitrio voluntatis, non absurde vocatur etiam voluntarium, quia ex prima hominis mala voluntate contractum, factum est quodam modo haereditarium*. Quoad peccatum autem omissionis tritum est in scholis adagium quod affirmatio et negatio ad idem reducuntur genus, quapropter illa verba factum dictum vel concupitum denotant etiam omissionem facti dicti vel concupiti.

Sed et alias tradidit S. Pater peccati definitiones. Ita in lib. de duab. anim. cap. 11. *Peccatum*, inquit, *est voluntas retinendi vel consequendi quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere*. Et lib. 1. de lib. arb. cap. ult. ait nil aliud esse peccatum quam *Neglectis rebus aeternis, quibus per se ipsam mens fruitur et per se ipsam percipit, et quas amans amittere non potest, temporalia et quae per corpus hominis partem vilissimam sentiuntur, et numquam esse certa possunt, quasi magna et miranda sectari. Nam hoc uno genere omnia malefacta, idest peccata mihi videntur includi*. In lib. autem 14. de C.D. cap. 28. scribit peccatum esse amorem sui usque ad contemptum Dei: *Fecerunt civitates duas amores duo, terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei, caelestem vero amor Dei usque ad contemptum sui*. Quamlibet ex his definitionibus admittas perinde est. Singulae quippe licet sub diverso respectu naturam exprimunt peccati quod sit voluntaria legis transgressio.

Peccatum autem multis dividitur modis, et missa peccati divisione in originale et actuale quam modo supponimus, agimus enim nunc de peccatis actualibus, haec dividuntur 1. in *carnalia* et *spiritualia*. Carnalia sic dicuntur quia perficiuntur in carne sicut gula luxuria etc. Spiritualia vero quoniam perficiuntur in spiritu seu in aliqua delectatione ad mentem pertinente, ut superbia ira avaritia etc. Aliquando tamen etiam peccata quae sunt mere spiritualia dicuntur opera carnis, ut in ep. ad Gal. cap. 4. Sed tunc sumitur caro pro toto homine juxta corrupta sua desideria vivente. Carnalia quoad adhaesionem et infamiam sunt majora, spiritualia vero juxta S. Thomam, ceteris paribus, graviora sunt quoad culpam quoniam per illam homo a Deo avertitur, quum per carnalia magis convertatur ad creaturam.

II. alia sunt peccata *commissionis* et alia *omissionis*. Priora sunt actus humani praeceptis negativis contrarii ut furtum mendacium perjurium etc. qui actus totidem opponuntur praeceptis negativis. Posteriora vero sunt praetermissiones affirmativis praeceptis repugnantes ut omittere cultum debitum parentibus, non audire festivis diebus sacrum etc. S. P. Augustinus q. 20. in Lev. animadvertit peccatum commissionis in sacris

litteris nomine *peccati*, omissionis vero nomine *delicti* saepe significari. Legitur namque Lev. cap. 7. v. 7. *Sicut pro peccato offertur hostia, ita et pro delicto*. Et cap. 14. v. 13. *Sicut pro peccato, ita et pro delicto ad sacerdotem pertinet hostia*; unde S. doctor inquit q. 20. in eumdem Lev. *Fortassis ergo peccatum est perpetratio mali, delictum autem desertio boni ... Num et ipsum vocabulum si discutiatur, quid aliud sonat delictum nisi derelictum, et quid derelinquit qui delinquit, nisi bonum?*

III. alia sunt peccata *contra Deum*, alia *contra proximum*, et alia *contra seipsum*. Prima iis quae Deo, secunda iis quae proximo, tertia iis quae nobis ipsis specialiter debemus contraria sunt. Ita quae contra fidem spem caritatem religionem vel agendo vel omittendo fiunt, in Deum, quae fiunt contra justitiam observantiam pietatem misericordiam, in proximum, quae tandem contra temperantiam fortitudinem castitatem etc. patrantur, in nos ipsos committere dicimur, quamvis alioquin peccatum omne generatiori quadam ratione sit contra Deum quia illi injuriosum, et etiam contra nos ipsos quia nobis nocivum.

IV. peccata dividuntur in peccata *cordis*, *oris*, et *operis*, quae divisio quid importet ex ipsis vocibus patet.

V. dividuntur peccata in *mortalia* et *venialia*, de quibus plura deinceps dicemus.

VI. denique ne singulas peccatorum divisiones subtilius quam par sit recenseam placuit novitiis quibusdam doctoribus peccatum dividere in *philosophicum* et *theologicum*, et ita utrumque definire: *Peccatum philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturae rationali et rectae rationi: theologicum vero et mortale est transgressio libera divinae legis*. Addunt subinde memorati doctores *peccatum philosophicum quantumvis grave, in illo qui Deum vel ignorat vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum*. Sed summus Pontifex Alexander VIII. mox ut in molinisticis cathedris apparere novit licentiosam hanc novitatem studiose repressit, totam illam propositionem verbis iisdem quibus modo relata est condemnando ut scandalosam temerariam piarum aurium offensivam et erroneam, ut proinde divisio haec inter theologicas peccati divisiones ne titulo quidem possessionis locum contendere possit. Satis de divisione peccati. Nunc breviter in illius inquiramus naturam.

Sed antequam rem aggrediamur animadvertendum existimo duo in quovis peccato considerari posse, *materiale* videlicet et *formale*. Materiale peccati est quivis humanus actus qui sic appellatur quia est aliquid bono ac malo commune, non secus ac materia, vel potius quoniam est veluti substratum malitiae peccati. Formale autem est eadem peccati malitia per quam actus humanus praecise et formaliter in esse peccati constituitur. Quando ergo inquiritur in quo peccati consistat natura seu essentia sermo non est de materiali sed de formali peccati, et scholasti-

cae velitationis cardo huc tandem redit, an formale seu constitutivum peccati sit aliquod positivum vel privativum. Cajetanus existimat essentiam peccati consistere in aliquo positivo, nempe in positivo actu voluntatis sese ad commutabile bonum convertentis et avertentis a lege. Reliqui autem theologi, quibus nos subscribimus, absque ulla haesitatione pronunciant formale peccati positum esse in mera privatione, hoc est in mera debitae rectitudinis carentia.

Et merito quidem, nam I. psal. 4. Deus peccatores redarguens inquit: *Ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium?* Amos cap. 6. ait: *Quid laetamini in nihilo?* II. auctor de divin. nom. cap. 4. *Privatio*, inquit, *est malum*. Ambrosius lib. de Isaac et anima cap. 7. *Quid est aliud quod malum dicitur, quam privatio boni?* S. P. Augustinus lib. 11. de C. D. cap 22. *Cum omnino natura nulla sit malum, nomenque hoc non sit nisi privationis boni*. Cui innixus principio manichaeos invicte refutavit ut harum inst. tom. 2. observavimus. Idipsum tradit Damascenus lib. 2. de fide cap. 4. *Neque aliud quidquam est malum quam boni privatio*. III. peccatum et opus bonum ad invicem directe opponi nemo non videt. Quid est autem bonum opus? Est actus humanus bonum habens objectum, bonum finem, bonas circumstantias. Quod si uno ex his actus humanus careat, *jam peccatum habetur, quia bonum ex integra caussa, malum autem ex quocumque defectu*, ut vulgare fert proloquium. Formale igitur peccati consistit in privatione rectitudinis.

Sed adversus dicta regerunt contrariae sententiae patroni. I. nequit dari peccatum nisi creatura rationalis per actum voluntatis sese ad commutabile bonum convertat. Ast nonne ille voluntatis actus est aliquod positivum? II. peccatum et bonum opus duo sunt inter se contraria. Cum autem opus bonum aliquid sit positivum consequitur et peccatum aliquid esse positivum. III. uni virtuti opponi possunt duo vitia. Haec autem oppositio esse nequit mera privatio, quum uni formae una dumtaxat privatio opponatur. IV. unum peccatum est altero gravius. Verum non datur privatio altera gravior privatione. V. privatio est nihil. Unde si peccati natura in rectitudinis privatione consistat, culpa nihil erit, ac proinde nihil peccator patraverit, nihil pro peccato merebitur. Alia ejusdem furfuris objectamenta vide apud l' Hermenier et Berti.

Sed facile haec expelluntur. Atque ad 1. actus voluntatis per quem rationalis creatura ad commutabile bonum convertitur est utique aliquod positivum. Sed actus ille voluntatis constituit materiale, non formale peccati de quo nunc loquimur. Formale autem peccati consistit in eodem voluntatis actu quatenus a lege seu rectitudine deflectit, quod aliquid est privativum. Rem explico exemplo a cl. Berti allato: *Qui claudicat, altero pede nutat, nec recte incedit*. Claudicatio recte exprimitur per aliquod positivum, nempe per actum pedis nutantis. Ast numquid claudicationis deformitas est aliquod positivum? Minime, sed est carentia rectitudinis. Ita in casu nostro. Peccatum est actus voluntatis a lege difformis.

Ex quo actus sit voluntatis, aliquid est positivum, et en materiale. Difformitas autem est mera privatio rectitudinis, en formale.

Ad 2. Peccatum et bonum opus inter se contraria opponuntur, antithesi instituta inter opus bonum ac materiale peccati, non inter opus bonum et ejusdem peccati formale, quae duo opponuntur dumtaxat privative. Nam tunc habetur peccatum quando actus humanus una ex conditionibus caret quae ad bonum requiruntur opus.

Ad 3. Una privatio duo connotare potest omnino diversa, atque ita etiamsi uni virtuti duo opponantur vitia, non proinde sequitur vitium esse aliquod positivum. Rem explico exemplo. Liberalitas est virtus cui duo opponi possunt vitia, avaritia nempe et prodigalitas. Quocumque modo duo haec vitia definias in illud definitio recidet, quod utrumque sit ab aequitate deflexio. Illud restringendo, hoc profundendo quae liberalitas temperanter dari praecipit, unde avarus caret rectitudine avide accumulando, prodigus caret rectitudine nimis large spargendo.

Ad 4. Una privatio non est altera major in se, sed, ut inquiunt, connotative, comparate videlicet ad bonum cujus est privatio. Ac per hoc actio quae majori nos privat bono est gravius peccatum.

Ad 5. Per adversarios peccatum omissionis est mera privatio. Ergo ne hujus peccati culpa nihil erit, nihil poenae merebitur? Peccator itaque maculam contrahit, poenamque meretur vel quia non operatur vel quia male operatur, quoniam sic faciendo praecepta vel positiva vel negativa transgrediens a rectitudine deflectit. Sed de parvi momenti quaestione non plura, utiliora nimirum sunt pertractanda.

CAPUT II.

De caussis peccati, ac praecise an Deus sit illius caussa.

Multae numerari a theologis solent sive internae sive externae peccatorum caussae, videlicet ignorantia, infirmitas seu concupiscentia, mundus, diabolus etc. Et quod ignorantia sit quandoque caussa peccati in dubium nequit revocari. Nam Lev. cap. 4. legitur: *Si anima peccaverit per ignorantiam* etc. Et psal. 24. *Delictà juventutis meae, et ignorantias meas ne memineris Domine*. In quae verba ita S. P. Augustinus lib. 1. oper. imperf. cap. 105. scribit: *Necesse est ut peccet qui nesciendo quid facere debeat, quod non debet facit. De quo genere malorum Deus rogatur, ubi dicitur, delicta juventutis, et ignorantiae meae* etc. Cujus rei apertissima ratio est, quoniam ab hominis mente ignorantia removet cognitionem, quae si adesset mens contra legem non ferretur, ut inquit Apostolus: *Si cognovissent, Dominum gloriae utique non crucifixissent*. Sed de ignorantia sermo redibit in sequentibus.

Quod etiam concupiscentia sit caussa peccati alibi fuse demonstravimus, et confirmatur ex Dan. cap. 13. ubi legitur: *Concupiscentia subvertit cor tuum*; ex Jacobi ep. cap. 1. *Unusquisque tentatur a concupi-*

scentia sua ... concupiscentia vero cum conceperit parit peccatum; ex Augustini innumeris propemodum sententiis quas agentes de gratia attulimus, et ex ipsa demum theologica ratione. Nam quid aliud est concupiscentia nisi quaedam ad bona commutabilia propensio et inclinatio, juxta illud Apostoli, *Sentio in membris meis aliam legem repugnantem legi mentis meae* etc? Si ergo homo trahi se sinat ab illa inclinatione legem transgreditur et sub lege peccati captivatur.

Multis non indigemus ad suadendum etiam mundum caussam esse peccati. Nam vel ipsa experientia manifestum est allicere illum homines ad peccatum pravis exemplis, moribus corruptis, et falsis consuetudinibus, unde S. P. Augustinus lib. 3. de doctr. chr. cap. 10. ajebat: *Sed quoniam proclive est humanum genus non ex momentis ipsius libidinis, sed potius suae consuetudinis aestimare peccata, fit plerumque ut quisque hominum ea tantum culpanda arbitretur, quae suae regionis et temporis homines vituperare atque damnare consueverunt; et ea tantum probanda atque laudanda quae consuetudo eorum cum quibus vivit, admittit: eoque contingit, ut si quid Scriptura vel praeceperit quod abhorret a consuetudine audientium, vel quod non abhorret culpaverit, si animum eorum jam verbi vinxit auctoritas, figuratam locutionem putant*. Legatur S. Patris sermo 5. de verb. Dom. ubi describit quomodo pravi mores, turpia colloquia, malae consuetudines, aliaeque mundi hujus illecebrae internam peccati caussam, hoc est concupiscentiam moveant et excitent ad bona sectanda caduca et sensibilia.

Sacra Scriptura facto primorum parentum qui a diabolo sub serpentis specie latitante decepti fuerunt, facto item Judae in cujus cor sathanas introivit ut magistrum proderet, et gravissimis S. Petri apostoli verbis quae in 1. ep. cap. 5. prostant, *Sobrii estote, et vigilate, quia adversarius vester diabolus circuit quaerens quem devoret*, satis superque demonstrat, etiam diabolum suadendo simulando terrendo caussam esse cur homines peccent. Daemonis ad homines decipiendos artes descriptas vide apud Augustinum lib. 2. de C. D. cap. 25. et seq. Hinc SS. PP. diabolum vocant auctorem inventorem et incentorem malitiae. Atque haec passim admittuntur ab omnibus catholicis.

Sed quis crediderit quod his non contenti limitibus complures haeretici inter caussas efficientes peccati adnumerare ausi sint ipsum D. O. M. omnis bonitatis originem? Placuit perniciosa haec opinio antiquitus Simoni mago, cerdonianis, marcionitis, manichaeis, ac subinde priscillianistis etiam et albigensibus. Qui tamen nomine Dei auctoris peccati intelligebant mali cujusque principium, deum malum vel potius diabolum ab iis appellatum, non Deum bonum; duo enim admittebant summa rerum omnium principia, bonum alterum, alterum malum. Sed mirari subit Calvinum qui postquam duos adversus libertinos ediderat libros in quibus eorum execratur sententiam qui Deum caussam faciunt peccati, deinde sexcentis suorum operum locis, ac in lib. 1. praesertim inst. cap. 18. in lib. de lib. arb. contra Pighium, et in antidoto concilii trid.

idem propinavit venenum. Nec est quod Theodorus Beza, Petrus martyr, Chamier, aliique Calvini discipuli ab hoc pessimo errore eorum magistrum vindicare conentur, nosque calumniatores appellent. Nam praeterquamquod pestiferam illam doctrinam expresse tradidit pluribus in locis, nonne dogma istud sequitur ex ejus principiis? Docet is unicam et adaequatam tum positivae tum negativae reprobationis caussam esse solam Dei voluntatem, ita ut ab aeterno et independenter a cujusvis praevisione peccati nonnullos a regno caelorum excluserit, atque aeternis addixerit poenis; unde ne latum a se decretum frustretur, necessitatem peccandi reprobis imponit hominibus. Legatur ejus comm. in cap. 1. ep. ad Rom. et lib. 3. inst. cap. 22. ex quo principio lippus erit qui non videt consequi Deum esse efficientem caussam peccati. Adversus horridam hanc ergo blasphemiam sit

CONCLUSIO

Deus non est caussa efficiens peccati.

Prob. 1. ex sacris litteris. Psal. 5. legitur: *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*. Psal. 27. *Odisti omnes qui fornicantur abs te*. Prov. cap. 44. *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem*. Eccli. cap. 15. *Nemini mandavit impie agere*. Ezech. cap. 18. *Anima quae peccaverit, ipsa morietur*. Sap. cap. 14. *Odio est Deo impius, et impietas ejus*. Exod. cap. 32. *Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo*. Deut. cap. 11. *Cavete ne forte decipiatur cor vestrum, et recedatis a Domino*. Amos cap. 5. *Odite malum, et diligite bonum*. Osee cap. 12. *Ad iracundiam me provocavit Ephraim*. Hujus generis innumera in V. occurrunt Testamento demonstrantia Deum non modo per se ab omni esse immunem iniquitate, sed etiam nec illa velle in hominibus, nec operari neque praecipere aut ad illa patranda provocare, imo execrari illa ac rigorose in hominibus punire. Consimilia et clariora etiam in N. Testamento leguntur. Jacobus enim cap. 1. praevidens istam haereticorum amentiam inquit: *Nemo cum tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat*. Paulus ad Rom. cap. 1. *Revelatur enim*, inquit, *ira Dei de caelo super omnem impietatem, et injustitiam*. Cap. 6. suos hortatur discipulos ut ab omni abstineant peccato: *Non ergo regnet peccatum in corpore vestro*. Quod repetit in 1. ad Cor. cap. 6. *Fugite fornicationem*. Idipsum inculcat quoque Christus Luc. cap. 12. *Videte et cavete ab omni avaritia*. Joannes in 2. ep. cap. 3. caussam assignans peccati inquit: *Qui facit peccatum, ex diabolo est*. Et rursus Christus Matth. cap. 15. affirmat ab humana malitia tamquam a caussa repetenda esse peccata: *De corde enim exeunt cogitationes malae, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiae*. Concludamus ergo cum Joanne in 1. ep. cap. 3. *Peccatum in eo* (Deo) *non est*.

Prob. 2. ex SS. PP. qui unanimiter affirmant nullo sensu dici posse

Deum caussam vel physicam vel moralem peccatorum. Justinus martyr in dial. cum Tryph. sic inquit: *Porro quod non Dei culpa, qui praenoscuntur, et futuri sunt iniqui sive angeli, sive mortales mali sint, sed suapte pro se quisque culpa talis sit, qualis esse appareat, superius etiam probavi*. Irenaeus apud Eusebium lib. 5. H. E. cap. 20. *Haec dogmata*, inquit, *Florine, ut parcissime ac levissime dicam, non sunt sanae doctrinae ... Haec dogmata ne ipsi quidem haeretici extra Ecclesiam positi proferre umquam ausi sunt*. Dogmatizabat autem Florinus Deum esse auctorem peccati. Tertullianus lib. de spectac. cap. 2. scribit: *Nam si omnem malignitatem Deus exactor innocentiae odit, indubitate quaecumque condit, non in exitium operum constat condidisse quae damnat*. Clemens alex. lib. 1. paedag. cap. 8. ait: *In Deum autem culpa conferri nequit*. Origenes lib. 4. cont. Cels. *Est quidem verum, mala non esse a Deo. Nam et noster Jeremias manifeste docet quod ex ore Domini non egredientur mala cum bonis*. Eusebius caesariensis praep. evan. lib. 6. cap. 5. *Eligentis igitur culpa est, Deus vero inculpabilis est*. Et subinde sic argumentatur: *Impius profecto judicabitur, imo pessimus omnium, qui a creatore universi alios ad adulteria, alios ad rapinas, alios ad alia vitia impelli arbitretur. Unde sequitur, aut haec peccata non esse, aut peccandi caussam in creatorem referri. Nam sive cum videat universa, cunctisque adsit, peccare homines cogit, sive stellarum motui vim cogendi concessit. Ipse certe, aut per se ipsum, aut per orbes caelestes quasi per organum nolentes homines ad vitia immittit; quare non jure homo, sed creator ejus, peccator erit, quo dogmate nihil scelestius cogitari potest*. Basilius unam ex ejus homiliis inscripsit, *Quod Deus non est auctor mali*, in qua demonstrat pari stultitia laborare hominem negantem Deum esse, ac affirmantem Deum esse caussam peccati. Gregorius nazianzenus orat. 3. scribit: *Deus enim nullo modo mali caussa est, quippe naturae bonae*. Athanasius in tract. de salutari adventu Christi: *Si illud concedatur* (Deum creare in nobis vitiosas cogitationes), *iniquum fuerit judicium quo peccator condemnatur*. Chrysostomus hom. 23. in act. Ap. *Nullus igitur dicat, Deus nobis auctor malorum est, dum non punit, nec vindicat*. Ambrosius lib. 1. exam. cap. 8. *Eradicari hanc malitiam Deus vult de animis singulorum. Quomodo ipse eam generat, cum clamet propheta: Desinite a malitiis vestris?* Cyrillus alex. in Joan. cap. 8. *Respondemus Deum praescium futurorum, praedixisse infidelitatem judaeorum, non fecisse: non enim propterea Deus quemquam cogit, quia futura hominum peccata novit*. S. P. Augustinus in psal. 104. *Deus nullius vel levissimi peccati auctor credendus est*. Et de peccat. mer. l. 2. cap. 17. *Nullius culpae humanae in Deum referas caussam*. Dies me deficeret si praeclariora tantum SS. PP. dicta omnia ad Calvini amentiam refellendam vellem exscribere. Illud satis sit animadvertere quod protestantes ipsi adeo de stulta illa sententia erubescunt ut in nullo magis conatus suos impendant quam in demonstrando numquam Calvinum docuisse Deum esse auctorem peccati.

Prob. 3. Conciliorum definitionibus. Synodus arauxicana II. can. 25. ita loquitur: *Aliquos ad malum divina potestate praedestinatos non solum non credimus, sed etiam si sunt qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus*. Eadem prorsus occurrunt in III. valentino concilio can. 3. Unde hanc Tridentinum definitionem merito edidit: *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere; sed mala opera ita, ut bona, Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie, et per se; adeo ut sit ejus proprium opus, non minus proditio Judae, quam vocatio Pauli, anathema sit*.

Prob. 4. ratione. Si Deus esset caussa peccati, vel esset illius caussa moralis vel physica et efficiens. Neutrum autem dici potest. Non primum, quoniam moralis peccati caussa debet peccatum ipsum producere vel suadendo vel praecipiendo vel non impediendo quum teneatur. Deum vero non suadere nec praecipere peccatum satis patet ex allatis Scripturae testimoniis in quibus dicitur Deus illud odisse, prohibere, punire. Quod vero impedire non teneatur peccatum, ex eo colligitur quod quum creaverit hominem liberum debet suae electioni permittere ut bonum operetur vel malum, proemium sibi comparet aut poenam. Suadent haec Deum non esse peccati caussam moralem. Sed neque est illius caussa physica seu effectrix. Nam neque producit malitiam peccati neque creatam voluntatem ad illam producendam determinat, quorum alterutrum requiritur ut quis caussa dici possit peccati physica et efficiens. Non per se malitiam producit, quia repugnat id infinitae Dei sapientiae ac bonitati. Nec voluntatem humanam ad illam producendam determinat, quoniam quum malitia sit defectus, non agnoscit nisi defectibilem caussam. Abeat ergo cum suo pessimo dogmate Calvinus et vereatur tam indigne de Deo O. M. sentire.

Calviniana sophismata exsufflantur.

Obj. 1. multa Scripturae testimonia quae innuere videntur Deum esse auctorem peccati. Ac I. in lib. 1. Reg. cap. 2. de filiis Heli legitur: *Et non audierunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere eos*. En Deus volens filiorum Heli inobedientiam. II. in lib. 2. Reg. cap. 16. ita loquitur David: *Dimittite eum, ut maledicat; Dominus enim praecepit ei, ut malediceret David*. III. ibid. cap. 12. Deus ita Davidem alloquitur: *Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, et tollam uxores tuas in oculis tuis, et dabo proximo tuo, et dormiet cum uxoribus tuis in oculis solis hujus; tu enim fecisti abscondite: ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel*. Deus ergo voluit incestum. IV. in lib. 3. Reg. cap. 22. cacodaemoni dicenti, *Ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus*, Dominus respondit, *Decipies, et praevalebis: egredere, et fac ita. Nunc igitur ecce dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum qui hic sunt, et Dominus locutus est contra te malum*. Deo itaque tamquam effectrici caussae deceptio adscribitur Achabi. Hinc S. P. Augustinus in lib. 83. QQ.

q. 53. affirmat Deum vere decepisse Achab non quidem per se ipsum sed per angelum erroris; et de deceptione paullo infra quam aegyptiis molitus est populus Israel loquens ait : *Factum est ut juberet Deus* ; juberet, inquit, non, permitteret. V. his gemina sunt quae Isaiae cap. 10. occurrunt ubi Sennacherib appellatur virga furoris Dei : *Vae Assur virga furoris mei, et baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea.* Et cap. 13. idipsum dicitur de medis. Quare depredationum et homicidiorum auctor fuit Deus qui Sennacheribum et medos tamquam virgas furoris sui ac propria instrumenta ad illa facinora perpetranda suscitavit. VI. tandem quis fuit auctor rebellionis Jeroboami in Roboamum quae lib. 3. Reg. cap. 11. legitur, et alterius defectionis ab Achab quae describitur lib. 4. Reg. cap. 10. facta a Jehu, nisi Deus? uterque tamen peccavit.

Resp. horum omnium quae in argumento allata sunt caussam fuisse utique Deum, sed caussam permissivam, non efficientem in sensu Calvini. Quod singula expendendo demonstro. Atque ad 1. quum filii Heli in multa prolapsi fuissent immania scelera, statuit Deus poena mortis in eos animadvertere. Hinc permisit ut patris vocem non audirent, hoc est subtraxit ab eis gratiam quae ut bonum agerent necessaria erat. In hoc ergo similibusque factis tria sedulo distinguenda sunt. 1. voluntas qua Deus homini impio gratiam denegat suam, et haec est efficiens et positiva quae Deo non repugnat, tum quia dominus est suorum donorum, tum quia homo impius ob anteacta scelera sua talem meretur poenam. 2. Voluntas qua vult Deus de homine scelesto vindictam ob peccata sumere atque haec etiam positiva est, decet enim quam maxime divinam justitiam ut impii homines puniantur. 3. Voluntas qua Deus vult hominem in peccatum prolabi, quae Deo voluntas impropria est ac mere permissiva, et dicitur aliquando peccatum ex Dei provenire voluntate; quoniam licet divina voluntas positiva peccatum nolit, homo tamen peccat quia per liberum suum arbitrium indignus factus est divinae gratiae quae dispensari a Deo debet. Haec paullo fusius explicavi ut tyrones habeant quid consimilibus haereticorum argumentis debeant reponere. Quod vero ad factum filiorum Heli spectat, puto neque necessarium esse ad traditam confugere regulam ut illud explicetur. Nam observavit cl. Berti ita allatum in argumento textum esse legendum : *Non audierunt vocem patris sui : et idcirco Dominus voluit occidere eos* : quae lectio hunc reddit sensum : quoniam filii Heli peccaverunt, ideo voluit eos Deus occidere. Animadversionis hujus ratio est quia in hebraico textu occurrit particula *chi*, quae reddi debet, *idcirco*, *ideo* etc. ut constat ex cap. 22. Gen. v. 17. et etiam ex contextu. Nam paullo post inquit Dominus se vindictam de domo Heli sumere velle, quoniam filii ejus primitias comederant sacrificiorum.

Ad 2. respondeo verbis S. P. Augustini in lib. de grat. et lib. arb. cap. 20. *Quomodo dixerit Dominus huic homini maledicere David, quis sapiens et intelliget? Non enim jubendo dixit, ubi obedientia laudare-*

tur, sed quod ejus voluntatem proprio suo vitio malam in hoc peccatum judicio suo justo et occulto inclinavit; ideo dictum est: dixit ei Dominus. Nam si jubenti obtemperasset Deo, laudandus potius quam puniendus esset, sicut ex hoc peccato postea novimus esse punitum. Nec caussa tacita est cur ei Dominus isto modo dixerit, maledicere David, hoc est cor ejus malum in hoc peccatum miserit vel dimiserit, ut videat inquit, Dominus humilitatem meam, et retribuat mihi bona pro maledicto ejus in die isto. Ecce quomodo probatur Deum uti cordibus etiam malorum ad laudem atque adjumentum bonorum. Quoniam ergo volebat Deus humilitatem ac poenitentiam David, malam Semei voluntatem subtrahendo gratiam, ad peccatum illud perpetrandum inclinavit.

Ad 3. respondendum est consimili modo. Voluit nempe Deus poenam infligere David ob admissum atrox illud cum Bersabea adulterium; atque idcirco permisit ut Absalom filius ejus tolleret uxores patris in oculis suis, et spectante sole dormiret cum illis coram populo Israel.

Ad 4. Verba illa Dei ad spiritum nequam, *Egredere, et fac ita*, et illa alia: *Dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium prophetarum*, de permissione intelligenda sunt, non de praecepto aut efficientia; tum quia diabolus utpote ad nocendum paratissimus sese ad fallendum obtulerat, adeoque Dei praecepto non indigebat, tum etiam quia consimilis phrasis in evangelio Matthaei permissionem, non jussionem significat. Nam cap. 8. rogantibus daemonibus ut Jesus facultatem eis concederet in gregem ingrediendi porcorum respondit Dominus: *Ite*: quod idem narrans Marcus cap. 5. inquit: *Et concessit eis statim Jesus*, hoc est, permisit. Nec obstat quod S. P. Augustinus dixerit Deum decepisse Achab per *angelum erroris*, aegyptios autem ipse jubendo. Quoniam loquens de Achab ipse ait id factum fuisse *per angelum erroris*, *qui sibi ultro tales partes imponi cum laetitia* POSTULAVIT: quod satis indicat Deum permisisse, non autem jussisse. De utrisque vero loquens allato judicis exemplo qui damnatum percutere indignum sua persona judicans jubet ut hoc faciat carnifex qui pro sua cupiditate sic ordinatus est in officio ut percutiat legum moderatione damnatum, nec non hominis exemplo qui furem dignum morsu lacerari, id homo non per se ipsum, sed per canem quem talia facere pro naturae suae gradibus decet, agit, concludit: *Quapropter cum et aegyptii deceptione digni essent, et populus Israel pro illa aetate generis humani in tali adhuc gradu morum constitutus esset ut non indigne hostem deciperet; factum est ut juberet Deus vel potius pro illorum* CUPIDITATE *permitteret ut vasa aurea et argentea quibus adhuc terreni regni appetitores inhiabant, et peterent ab aegyptiis non reddituri, et acciperent quasi reddituri. Quam et mercedem tam diuturni laboris atque operis pro talium animarum gradu non injustam Deus esse voluit, et poenam illorum quos digne fecit amittere, id quod reddere debuerunt. Non itaque Deus deceptor est, quod credere nefarium et impium quis non intelligat? sed meritorum et personarum justissimus distributor faciens quaedam per se ipsum quae illo*

solo digna sunt ... alia per servientem sibi creaturam integerrimis legibus pro meritis ordinatam, quaedam eorum jubens, quaedam permittens. Quae omnia demonstrant Deum permisisse et deceptionem Achab et aegyptiorum, non vero jussisse vel probasse.

Ad 5. In allatis Isaiae testimoniis explicandis non moror. Nam verba ipsa demonstrant sermonem ibi fieri de malo poenae. Ait namque, *Vae Assur virga furoris mei, et baculus ipse est*. Non repugnat autem, immo quam maxime decet Deum efficientem esse poenae caussam adversus illos qui peccaverunt. Hinc placuit Deo poenam impiis infligere israelitis per infideles principes, displicuit autem ei quod in hoc exequendo reges illi peccaverint.

Ad 6. Non peccarunt Jeroboamus et Jehu quod regnum occupaverint, uterque enim fuit legitimus rex a Deo supremo regnorum domino electus, ut ex lib. 3. Reg. cap. 11. patet, ubi per Ahiam prophetam sic Deus alloquitur Jeroboamum: *Si audieris omnia quae praecepero tibi, ... custodiens mandata mea, et praecepta mea, sicut fecit David servus meus, ero tecum, et aedificabo tibi domum fidelem, quomodo, aedificavi David domum*. Hinc S. P. Augustinus lib. 17. de C. D. cap. 21. scribit: *Apparuit nullum in ea re, vel regis Israel* (Jeroboami) *vel populi fuisse peccatum, sed voluntatem Dei vindicantis impletam*. Jehu autem antequam regnum occuparet inunctus fuit Dei nomine in regem Israel per unum de filiis prophetarum ad id per Elisaeum destinatum, unde impense a Deo commendatur quod totam Achabi ac Jezabelis domum exterminaverit, ut constat legenti lib. 4. Reg. cap. 10. Quae opponere solet Calvinus ex cap. 3. Amos, *Si erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus*: et ex Isaiae cap. 45. *Ego Dominus, et non alter ... faciens pacem, et creans malum*, solvimus jam tomo harum inst. 2. agentes contra manichaeos, ubi demonstravimus laudatis locis sermonem fieri de malo poenae, non culpae.

Obj. 2. alia Script. testimonia. Gen. cap. 45. sic Joseph fratres suos alloquitur: *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum*. Proditio ergo innocentis adolescentis effectus fuit divinae voluntatis. II. S. Petrus Actor. cap. 2. de Christo inquit: *Hunc definito consilio, et praescientia Dei, traditum per manus iniquorum affligentes, interemistis*. Et cap. 4. *Convenerunt ... Herodes et Pontius Pilatus cum gentibus et populis Israel facere quae manus tua et consilium tuum decreverunt fieri*. Quare effectrix caussa sceleris omnium scelerum fuit suo decreto ac definito consilio Deus. III. hinc Christus Dominus merito per modum imperantis ajebat Judae, *Quod facis, fac citius*.

Resp. ad singula. Atque ad 1. Eo sensu Josephi proditio consilio voluntatique Dei adscribitur, quod mala Deus proditorum voluntate usus sit tamquam medio ad magnum efficiendum bonum, non quod Deus voluerit atque decreverit Josephi proditionem. Rem explico. Josephi fratres propria ducti malitia statuerant vendere illum madianitis. Deus ut infinite sapiens pessimas praescivit illorum cogitationes. Hinc uti illo ipso scelere voluit ad bona multa inde elicienda, quemadmodum revera ac-

cidit. Rem ita se habere patet ex cap. 50. ejusd. lib. Gen. ubi legitur: *Vos cogitastis adversus me malum, sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, sicut in praesentiarum cernitis, et salvos faceret multos populos*.

Ad 2. idem habeto responsum. Quum enim summam judaeorum malitiam adversamque in Christum voluntatem Deus praevidisset, definito consilio in iis circumstantiis filium suum misit in mundum ut magnum perficeret redemptionis opus. Audiatur S. Leo serm. 16. de pass. Dom. cap. 2. *Numquid iniquitas persequentium Christum ex Dei orta est consilio, et illud facinus quod omni majus est crimine, manus divinae praeparationis armavit? Non hoc plane de summa justitia sentiendum est, quia multum diversum multumque contrarium est id quod in malignitate judaeorum est praecognitum, et quod in Christi est passione dispositum. Non inde processit voluntas interficiendi, unde moriendi; nec de uno extitit spiritu atrocitas sceleris et tolerantia redemptoris. Impias furentium manus non immisit in se Dominus, sed admisit, nec praesciendo, quod faciendum esset, coegit, ut fieret, cum tamen ad hoc carnem suscepisset, ut fieret*.

Ad 3. respondeo cum Augustino lib. de gr. et lib. arb. cap. 20. *Ecce quomodo probatur Deum uti cordibus etiam malorum ad laudem atque adjumentum bonorum, sic usus est judaeis crucifigentibus Christum. Sic usus est Juda tradente Christum. Et quanta inde bona praestitit populis credituris?*

Obj. 3. illa alia Script. testimonia quae demonstrare videntur Deum ita hominum excaecare et indurare corda ut nequeant agere bonum. Sic Exod. cap. 7. Dominus inquit: *Ego indurabo cor Pharaonis*. Deut. cap. 2. legitur: *Noluitque Sehon rex Hesebon dare nobis transitum, quia induraverat Dominus Deus tuus spiritum ejus, et obfirmaverat cor illius*. Josue cap. 11. *Domini sententia fuerat, ut indurarentur*. Isaias cap. 63. inquit: *Quare errare nos fecisti Domine de viis tuis, indurasti cor nostrum, ne timeremus te?* Jeremias cap. 20. ait: *Seduxisti me Domine, et seductus sum*. Et ut aliqua de novo etiam Testamento afferantur Joan. cap. 12. haec occurrunt: *Propterea non poterant credere, quia iterum dicit Isaias: Excaecavit oculos eorum, et induravit cor eorum*. Et Paulus ad Rom. cap. 1. *Tradidit eos*, inquit, *in reprobum sensum, ut faciant quae non conveniunt*. Hujus generis complura leguntur in utroque Testamento quae insinuare videntur excaecationem et cordis indurationem quae proculdubio mala sunt et quidem culpae ab efficaci Dei provenire voluntate.

Resp. indurationis excaecationisque caussam juxta allata testimonia esse Deum, negative dumtaxat ac permissive, non proprie et positive. Hoc est quum homines per liberum voluntatis arbitrium in maximum prolabantur scelus, Deus in sceleris poenam gratiae suae denegat illis auxilium, quo deficiente majora perpetrant scelera; atque hoc sensu Deus indurat corda hominum. Audiatur S. Gregorius Nyssenus qui de vita Moysis ita

scribit: *Sic oportet illud Apostoli dictum intelligere, eos nimirum qui Deum non cognoverant, ignominiae passionibus traditos esse, et induratum a Deo fuisse tyrannum Ægyptium, non quia divina voluntas duritiem in animum ejus induxerit, sed quia cum ipse vitiose vivere maluerit, non suscepit rationem, qua induratum in vitio cor permollitur.* Et luculentius adhuc S. P. Augustinus in ep. 194. *Nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo gratiam.* Tum et in lib. 1. ad Simplic. q. 2. *Obduratio Dei est nolle misereri.* Et denique tract. 53. in Joan. *Sic enim excaecat, sic obdurat Deus deserendo, et non adjuvando; quod occulto judicio fieri potest, iniquo non potest.*

Obj. 4. multa Augustini testimonia. I. in lib. de gr. et lib. arb. cap. 21. sic inquit: *His et talibus testimoniis divinorum eloquiorum ... satis, quantum existimo, manifestatur, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, sive ad bona pro misericordia, sive ad mala pro meritis eorum, judicio utique suo aliquando aperto, aliquando occulto, semper tamen justo.* Qui hominum corda ex aequo ad bonum ac ad malum inclinat nonne utriusque caussa est efficiens? II. hoc idem tradit S. doctor in enchir. cap. 100. ubi sic loquitur: *Propterea namque magna opera Domini, et exquisita in omnes voluntates ejus: ut miro et ineffabili modo non fiat praeter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem. Quia non fieret, si non sineret: nec utique nolens sinit, sed volens.* Itaque peccata quae contra Dei videntur voluntatem non fiunt ab hominibus praeter illius voluntatem. Quid clarius? III. in lib. 5. cont. Julian. cap. 3. quum idem Julianus verba illa prophetae, *Ego seduxi prophetam illum*, de Dei desertione explicaret, ab Augustino his verbis redarguitur: *An et hic dicturus es, quod ait, Ego Dominus seduxi prophetam illum, intelligendum esse, deserui, ut pro ejus meritis seductus erraret?* Quare solitum catholicorum effugium, Deum nempe caussam esse peccatorum deserendo nec gratiam impertiendo ab Augustino non admittitur. IV. tandem lib. de perf. just. cap. 23. scribit homines a Deo praedestinari ad interitum, atque adeo et ad peccata, ait enim: *Hoc bonum quod est requirere Deum, non est qui faciat, non est usque ad unum, sed in eo genere hominum, quod est praedestinatum ad interitum.*

Resp. ex ordine ad singula. Atque ad 1. affirmat utique Augustinus Deum hominum inclinare corda ad bonum et ad malum, sed non aequo modo. Ad bonum scilicet per Augustinum Deus homines inclinat impertiendo gratiam, ad malum autem illam ab hominibus justo suo judicio subtrahendo. Ibi quippe S. doctor agit contra pelagianos effutientes hominem sibi ad bonum sufficere et ad malum. Ut eam refellat opinionem inquit Deum hominum voluntates ad bonum et malum inclinare, largiendo gratiam ad bonum, illam subtrahendo ad malum. Nisi hoc modo intelligatur Augustinus quomodo lib. 21. cont. Faust. cap. 9. scripserat, *Hic perturbati homines non intelligunt ... aliud venire de astutia suadentis, aliud de nequitia volentis, aliud de justitia punientis; cum diabolus*

suggerit, *homo consentit*, *Deus deserit*? Quomodo in lib. 2. de peccat. mer. cap. 18. ait *Malam voluntatem Deo auctori tribuendam* ... *nefas est dicere*? Quomodo denique intelligi poterunt et illa quae habet in lib. 3. de lib. arb. cap. 16? *Omnino igitur non invenio nec inveniri posse*, *et prorsus non esse confirmo quomodo tribuantur peccata nostra creatori nostro Deo*; *quando et in ipsis eum laudabilem invenio non solum quod ea punit*, *sed etiam quod tunc fiunt*, *cum ab ejus veritate receditur* ... *nullo modo fieri posse ut creatori nostro recte peccata nostra tribuantur*.

Ad 2. Clarum est ex ipsis in argumento allatis verbis Augustinum eo loci tribuere peccata Deo sinenti ac permittenti, non imperanti ac efficienti. Nam caussam proferens cur peccata non fiant praeter Dei voluntatem inquit: *Quia non fieret*, *si non sineret*. Et rursus: *Nec utique nolens sinit*, *sed volens*, hoc est peccatum non committitur ab homine praeter Dei voluntatem. Quid ergo ex his eruere pro illorum sententia possunt calviniani?

Ad 3. Julianus pelagianus quum esset, gratiaeque negaret necessitatem, ubi audiebat Deum deserere hominem non intelligebat fieri id per gratiae subtractionem, sed quod otiose ac passive se Deus haberet erga peccatorem. Haec erat juxta Julianum Dei desertio quam merito rejicit Augustinus affirmans Deum deserere hominem ab illo subtrahendo gratiae suae adjutorium; unde etiam eodem in capite scribit: *Cum ergo dicitur homo tradi desideriis suis*, *inde fit reus quia desertus a Deo cedit eis atque consentit*, *vincitur*, *capitur*, *trahitur*, *possidetur*.

Ad 4. Respondeat S. Fulgentius fidissimus Augustini discipulus. Is. in lib. 1. ad Monim. cap. 5. sic loquitur: *Nihil aliud accipiendum existimo*, *in illo sancti Augustini sermone*, *quo ad interitum quosdam praedestinatos firmat*, *nisi ad interitum supplicii*, *non delicti*. *Neque ad malum*, *quod injuste admittunt*, *sed ad cruciatum quem justissime patientur*. *Nec ad peccatum quo primae resurrectionis beneficium aut non accipiunt aut amittunt*: *sed ad tormentum*, *quod illis propria iniquitas male parit*, *et aequitas divina bene retribuit*. Multa alia opponere solet Calvinus a ratione deducta, sed ea consulto omittimus partim quia nullius momenti sunt, partim vero quia facilem ex dictis habent solutionem. Illius tantum meminisse sufficiat quod materiale peccati quum sit humana actio, malum non est, Deumque auctorem et caussam habet per simultaneum concursum, seu motione quadam generali ad actionem cum homine concurrendo, formale autem peccati in quo malitia consistit totum ab homine est. Hac facta inter materiale ac formale distinctione omnem calviniana argumenta vim amittunt.

CAPUT III.

An omnia peccata sint inter se aequalia, *et an. et quomodo peccata mortalia a venialibus distinguantur*.

Stoici olim, ut narrat Cicero in paradoxis, sibi suaserunt omnia pec-

cata inter se aequalia esse , ita ut constitueretur ex aequo reus qui graviter ac qui leviter legem infringeret . Errorem hunc saeculo 4. avide arripuit Jovinianus monachus , ut refert S. P. Augustinus lib. de haers. haer. 82. illumque solide refutavit Hieronymus lib. 2. adv. Jovin. Ratio autem cur haereticus hanc adscivit opinionem est , quoniam paria statuebat in justis vitae praesentis merita , et paria proemia in altera vita , ut agentes de Dei visione diximus .

Calvinus in suis institutionibus catholicorum inter venialia ac mortalia peccata carpens distinctionem duo impie statuit . Primum , nullum dari veniale peccatum , sed omnia esse natura sua mortalia , ait quippe lib. 3. cap. 4. *Hic in asylum confugiunt* (catholici) *ineptae distinctionis , peccata quaedam venialia esse , quaedam mortalia ... Nos autem peccati stipendium pronuntiamus esse mortem , et animam quae peccavit morte dignam* . Alterum , in hominibus autem fidelibus ac praedestinatis peccata quae natura sua mortalia sunt affirmat esse ex Dei misericordia venialia , quatenus nempe illis a Deo non imputantur ; unde scribit ibidem : *Ceterum fidelium peccata venialia esse , non quia mortem non mereantur , sed quia Dei misericordia nulla est condemnatio iis qui sunt in christo Jesu , quia non imputantur* . Duo haec paradoxa oriuntur ex calviniani colligatione systematis de justificatione et praedestinatione . Quum enim ipse docuerit omnia opera etiam justorum esse coram Deo veluti *pannum menstruatae* , debuit ex consequenti statuere nullum dari peccatum quod natura sua mortale non sit . Rursus ex quo semel tradiderit justificatos gratiam Spiritus sancti amittere non posse , consequitur peccata justorum ex Dei misericordia esse venialia , hoc est non imputari . Doctrinam hanc quamvis monstruosam secuti sunt calvinianae sectae scriptores doctissimi , quamvis permulti ducis signa hac in caussa deseruerint . Consimilia tradidisse videtur etiam Lutherus serm. de piscatura Petri . In systemate certe de praedestinatione ac justificatione consentit Calvino Lutherus , immo illud a Luthero praeformatum Calvinus adoptavit .

Gerson alphab. 6. litt. a. Almainus tract. 3. mor. cap. 20. Roffensis art. 32. cont. Luth. paucique alii catholici et ipsi affirmant nonnulla peccata esse venialia , non ex natura sua sed ex Dei miserantis voluntate . Verum longe diverso ab haereticis sensu . Neque enim docuerunt peccata natura sua mortalia evadere in justis ex Dei misericordia venialia , aut aliud simile quidpiam , quinimmo tenent nonnulla peccata tam in praedestinatis quam in reprobis ob Dei misericordiam esse venialia . Demonstrandum itaque hoc in capite assumimus . 1. Non omnia peccata esse inter se aequalia . 2. Dari peccata quae independenter a Dei misericordia sunt natura sua venialia . 3. Statuemus in quo positum sit discrimen quod inter mortale ac veniale peccatum intercedit . Atque ita catholicam tuebimur fidem adversus jovinianistas et calvinianos .

Sed antequam in arenam cum hostibus dimicaturi descendamus notio tradenda est juxta catholicos peccati tum mortalis tum venialis . Pec-

catum ergo mortale est illud quod mortem infert animae, quia omnem ab ea caritatem quae est animae vita expellit, adeoque peccantem a regno excludit caelorum, et proprie definitur: *Aversio a Deo tamquam ab ultimo fine, et conversio ad creaturas*, idque accidit, juxta Augustinum, quando creatura rationalis utitur Deo et fruitur creaturis. Peccatum vero veniale vulnerat quidem peccantis animam, sed non ad mortem, quoniam etsi caritatem imminuat, illam tamen non omnino extinguit, quum ultimum finem suum non collocet in creaturis, ac definiri potest: *Inordinatus ad creaturas affectus servato ordine ultimi finis*. Sed et illud adnotandum est quod veniale peccatum duplici sensu dici potest, et quatenus per poenitentiam quamvis mortale sit a Deo remittitur, et quatenus ex natura sua non infert animae mortem nec sempiternum meretur supplicium. Hoc posteriori sensu accipimus peccatum veniale, quando asserimus peccata mortalia a venialibus natura sua distingui. His praenotatis sit

CONCLUSIO I.

Non omnia peccata sunt inter se aequalia.

Prob. 1. ex Script. Jerem. thren. cap. 4. legitur: *Major est iniquitas filiae populi mei peccato sodomorum*: Joan. cap. 19. dixit Christus Pilato: *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*. Idem Christus Matth. cap. 11. ait: *Vae tibi Corozaim, vae tibi Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factae essent virtutes quae factae sunt in vobis, olim in cinere et cilicio poenitentiam egissent*. Alia complura praetereo tamquam in re tam manifesta minus necessaria.

Prob. 2. ex SS. PP. quorum duos allegare sufficiat; S. nempe P. Augustinum qui inter haereses, ut supra observavimus, Joviniani sententiam recenset, et S. Hieronymum a quo ex professo idem Jovinianus confutatus est. Sancti hujus doctoris unicum afferemus testimonium ex quo catholica sententia mirifice confirmatur. Ait autem lib. 2. adv. Jovin. *Audebisne dicere, sic negasse Petrum, et ceteros Apostolos qui fugerunt, quomodo Caipham, et pharisaeos, et clamantem populum: Crucifige crucifige talem? Et ut de Apostolis taceam, ejusdemne tibi sceleris videbitur reus, Annas et Caiphas, et Judas proditor, cujus et Pilatus qui nolens compulsus est contra Dominum ferre sententiam? Quanto majoris meriti fuit Judas, tanto majoris criminis est, et quanto majoris criminis, tanto majoris et poenae. Potentes enim potenter tormenta patientur.*

Prob. 3. ratione. Ille peccat qui ordinem perturbat ab aeterna lege praescriptum. Ast non uno semper eodemque modo a peccante ordo ab aeterna lege praescriptus perturbatur. Nam quum ordo ille invertatur per conversionem ad creaturas, quis non videt eam conversionem modo majorem esse, modo minorem prout amor erga illas magis vel minus intensus est?

CONCLUSIO II.

Dantur peccata quae independenter a Dei miserentis voluntate ex natura sua sunt venialia.

Prob. 1. ex sacris litteris. Gen. cap. 6. de Noë dicitur quod fuerit *Vir justus atque perfectus*. Job. cap. 1. appellatur *Vir simplex et rectus ac timens Deum, et recedens a malo*. Luc. cap. 1. de Zacharia et Elisabeth hoc habetur elogium, *Erant autem justi ambo ante Deum*. Et de Apostolis inquit Christus, *Vos mundi estis, sed non omnes*. Jam vero eadem Scriptura testatur neminem justum vivere absque peccatis. Eccle. enim cap. 7. habetur: *Non est enim homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet*. Prov. 24. *Septies enim cadet justus, et resurget*. Joan. in 1. ep. cap. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est*. Jacobi cap. 3. *In multis offendimus omnes*. Noë itaque et Job, Zacharias et Elisabeth, et Apostoli, omnesque justi peccata habuerunt. Numquid mortalia? Absit, alioquin justi non fuissent, unde erant venialia, et nonnisi de venialibus justi loquuntur dum in oratione dominica quotidie dicunt, *Dimitte nobis debita nostra*. Quod si nullum esset peccatum natura sua veniale, quomodo justi essent, et in eis Spiritus sanctus velut in templo habitaret? Rursus Matth. cap. 5. ita loquitur Christus: *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennae ignis*. Sane peccato lethali poena debetur sempiterna. Ast hic poena sempiterna uni tantum peccato assignatur, reliquis autem poena temporalis. Qua de re non omnia peccata sunt mortalia. Praeterea Apostolus in 1. ad Cor. cap. 3. inquit: *Si quis autem superaedificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, foenum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit etc.* Porro per aurum, argentum et lapides pretiosos intelligit Apostolus bona opera, unde per foenum, stipulam et lignum intelligit peccata. Non utique mortalia de quibus Apostolus inquit: *Qui templum Dei violaverit, disperdet illum Deus*, ergo venialia quorum auctor *salvus erit, sic tamen, quasi per ignem*, addit ibidem Apostolus.

Prob. 2. ex PP. qui allata Scripturae testimonia de peccatis interpretantur natura sua venialibus. Chrysostomus in orat. de divite et Lazaro, *Etiamsi justus*, inquit, *quis sit, etiamsi millies sit justus ... non tamen quit ab omni naevo esse purus. Etiamsi millies justus sit, homo est ... Ideo jubemur in precatione dicere: Dimitte nobis debita nostra*. Hieronymus in cap. 2. Jerem. *Qui levi*, inquit, *peccatorum sorde maculatus est, levioribus purgatur munitis. Porro peccata graviora quae ad mortem sunt nec nitro nec herba borith dilui possunt, sed gravioribus tormentis indigent*. Ambrosius lib. 2. de poenit. cap. 10. *Quotidiani nos debet poenitere peccati, sed haec* (quotidiana poenitentia) *delictorum leviorum, illa* (nempe publica) *graviorum*. Augustinus noster enchir. cap. 70.

Sane cavendum est, ne quisquam existimet infanda illa crimina, qualia qui agunt, regnum Dei non possidebunt, quotidie perpetranda, et eleemosynis quotidie redimenda ... De quotidianis autem brevibus levibusque peccatis sine quibus haec vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio satisfacit ... Delet omnino haec oratio minima et quotidiana peccata. Paria habent Gregorius M. l. 10. moral. cap. 9. Caesarius arelatensis hom. 7. aliique Patres, ex quibus apparet Ecclesiam semper credidisse dari aliqua peccata natura sua venialia.

Prob. 3. ex defin. Ecclesiae. Concilium milevitanum can. 6. 7. et 8. definit omnes justos non pro aliis, ut pelagiani contendebant, sed pro seipsis dicere debere, *Dimitte nobis debita nostra*, atque ad id statuendum textus adhibet Jacobi et Joannis a nobis proxime allatos. Concilium tridentinum sess. 6. cap. 11. inquit: *Licet enim in hac mortali vita, quamtumvis sancti et justi, in levia saltem et quotidiana, quae etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse justi. Nam justorum illa vox est, et humilis et verax: Dimitte nobis debita nostra*: Unde Pius V. hanc merito damnavit propositionem inter bajanas 20. *Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur poenam aeternam*.

Prob. 4. rationibus. Peccatum veniale cum inhabitatione Spiritus sancti qui est aeternae haereditatis pignus utique consistit. Neque enim dominantem creaturarum amorem per se infert in animam, proindeque remanet ibi caritas quae illam habentibus jus dat ad haereditatem. II. pater terrenus ob leve filii delictum nequit illum jure exhaeredare, unde nec Pater caelestis. III. peccatum respectu animae se habet sicuti morbus respectu corporis; unde inquit psalmista: *Sana animam meam, quia peccavi tibi*. Ast corporis morbi alii sunt natura sua graves qui inferunt mortem, alii sunt natura sua leves. Quare etiam peccata alia sunt per se gravia, et alia per se levia mortem animae non inferentia. Ex quibus satis refutata manet sententia non solum calvinistarum, sed et Gersonis, Almaini, aliorumque ex catholicis paucorum.

CONCLUSIO III.

Discrimen quod inter mortale ac veniale intercedit peccatum non in eo situm est, quod mortale sit contra praeceptum, veniale vero contra consilium: neque in eo, quod mortale sit contra legem, veniale praeter legem, sed in eo, quod homo per peccatum mortale ultimum finem constituat simpliciter *in creaturis, per peccatum autem veniale constituat in creaturis ultimum finem* secundum quid.

Prob. 1. thes. pars. Quidquid operatur homo contra evangelica consilia nullo modo est per se peccatum neque lethale neque veniale, alioquin qui matrimonium v. g. ineunt peccarent venialiter; quum dicat A-

postolus, *De virginibus praeceptum Domini non habeo ; consilium autem do*; quum tamen qui matrimonio jungitur nullo prorsus modo peccet, dicente eodem Apostolo ibidem, *Si nupserit virgo, non peccavit*.

Prob. pars altera. Etiam qui peccat venialiter, agit contra legem. Nam diligit aliquo inordinato amore creaturam, illaque fruitur. Diligere verò creaturam inordinato amore illaque frui non est praeter legem, sed contra legem quae ordinem naturalem servari jubet, perturbari vetat.

Prob. pars tertia. Ideo peccatum mortale mortem affert animae quia ultimum finem hominis qui in Deo reponendus est collocat in creaturis. Ut ergo discrimen inter mortale ac veniale peccatum statuatur, dicendum est hominem per veniale suum ultimum finem non collocare in creaturis. Verum ex alia parte homo per venialem culpam delinquit. Id ergo quomodo accidit? Collocat videlicet per veniale peccatum ultimum suum finem in creaturis non *simpliciter*, sed *secundum quid*. Plus scilicet rebus delectatur creatis quam par sit, extra viam non egreditur, sed per aliquas ambages tendens atque circuitus a finis retardatur consecutione. Hinc qui venialiter peccat caritatem plane non extinguit, sed illius tamen minuit fervorem, proinde non aeterna sed temporali poena puniendus.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. cont. primam prop. Essentia peccati, ut a nobis statutum est, in privatione consistit rectitudinis. Haec autem eadem est in omnibus peccatis, neque enim privatio suscipit magis et minus. Unde omnia peccata sunt inter se aequalia.

Resp. Falsum est rectitudinis privationem eamdem esse in omnibus peccatis. Nam potest quis magis aut minus a rectitudine quae per legem praescribitur deflectere, ac proinde majorem aut minorem habere potest privationem rectitudinis. Vide quae de hoc eodem argumento diximus agentes de essentia peccati. Quae opponere solebat Jovinianus ab aequalitate deprompta visionis beatificae soluta a nobis sunt in opusculo de visione Dei.

Obj. 2. adv. alt. thes. Nonnulla Scripturae loca. I. s. Scriptura de peccato crebro pronuntiat afferre mortem animae, unde distinctio illa inter mortalia ac venialia peccata humanum inventum est. II. Matth. cap. 5. Christus inquit: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis ... minimus vocabitur in regno caelorum*. Hic profecto sermo fit de levi peccato seu de minima legis transgressione. Et nihilominus per eam excluditur homo a regno caelorum, dicente Chrysostomo minimum esse in regno caelorum est ibi locum in die judicii non habere. III. apud eumd. Matth. cap. 12. rursus Christus ait: *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii*. Verbum otiosum nonne leve peccatum est? IV. Joan. cap. 13. docet Christus eum qui non sinit lavare sibi pedes non habiturum partem in regno caelorum. Ast vero, juxta Augustinum, pedum ablutio emundationem significat a le-

vioribus, unde qui minima patrat peccata excluditur ab aeterna beatitudine.

Resp. ad 1. Ubi Scriptura tradit peccatum afferre mortem animae loquitur sane de peccato mortali. Nam quam saepissime etiam docet consistere posse peccatum cum justitia insignique sanctitate. Recole Scripturae loca superius allata. Vel dici potest peccata quoque venialia mortem afferre animae dispositive tamen, non formaliter, juxta illud, *Qui minima spernit, paullulum decidit*.

Ad 2. Christum a regno caelorum excludere eos qui minima transgrediuntur mandata secundum opinionem phariseorum quos alloquebatur, non quae minima sint in se. Sciendum quippe est pharisaeos tempore Christi universam perturbasse divinam legem docentes quod occidere, moechari, jurare per Dei nomen etc. gravia sint peccata. Irasci autem proximo suo, res concupiscere alienas, jurare per caelum, et alia hujus generis facere per pharisaeos erat peccare leviter, quoniam haec mandatis minimis legis adversantur. Christus itaque ut illorum redargueret errorem, pronuntiat eos qui illa transgrediuntur quae a pharisaeis mandata minima censentur excludendos esse a regno caelorum. Hanc esse textus illius intelligentiam patet ex lectione citati cap. 5.

Ad 3. Verbum otiosum utique est peccatum leve de quo ratio reddenda est. Sed puniendum poena dumtaxat temporali, non sempiterna ut gravia peccata. Reprehendit enim ibi Christus scribas ac pharisaeos famam illius dicteriis ac maledictis lacessentes, atque a minori ad majus, ut inquiunt, argumentando inquit quod si de omni verbo otioso reddenda ratio est, quanto magis de blasphemiis, dicteriis et calumniis in Filium Dei?

Ad 4. Levia peccata quae in pedum lotione adumbrantur excludunt a regno caelorum ad tempus, non in aeternum. Nam qui ex hac vita levibus implicati peccatis discedunt, non statim ingrediuntur in regnum caelorum, quoniam in caelestem Jerusalem *non introibit aliquid coinquinatum, et abominationem faciens*, unde detinentur ad tempus in purgatoriis ignibus ad leves illas maculas detergendas. Quare dum Christus ait Petro, *Si non lavero te, non habebis partem mecum*, significare voluit eos qui venialia admittunt peccata excludi ad tempus a regno caelorum. Quod si contendas Christi verba exclusionem significare aeternam a regno caelorum, tunc dicendum est Petri inobedientiam si Christo praecipienti diu restitisset, futurum peccatum lethale cui aeternum debetur supplicium.

Obj. 3. cont. eamd. 2. prop. quaedam Patrum dicta. I. S. Basilius in regul. breviorib. ita scribit: *Quamquam quis est qui peccatum ullum (cujuscumque modi illud sit) leve audeat appellare, cum asseruerit Apostolus quod per transgressionem legis Deum inhonoras? Si autem stimulus mortis non hoc est aut illud, sed indefinite quodcumque peccatum, inclemens ille habendus qui obticet, non autem qui arguit*. II. ibidem ad interrogationem 293. ita loquitur: *Primo quidem scire illud convenit, differentiam hanc minorum et majorum nusquam in N. Testamento reperiri. Siquidem una est et eadem sententia adversus quae-*

libet peccata, cum *Dominus dixerit*: *Qui facit peccatum servus est peccati*. III. S. P. Augustinus lib. 9. Conf. cap. 13. *Vae etiam*, inquit, *laudabili vitae hominum, si remota misericordia discutias eam*. Quae suadere videntur peccata aliqua levia esse ob miserantis Dei voluntatem, non natura sua. IV. Ecclesia ex PP. doctrina orat pro animabus quae levibus irretitae peccatis discesserunt hoc modo: *Ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum, sed signifer s. Michael repraesentet eas in lucem sanctam*.

Resp. ad 1. Optime inquit Basilius nullum peccatum esse leve si cum legis contemptu conjungatur. Et revera si quis otiosum verbum non ex infirmitate sed volens et advertens in legis proferat contemptum, injustam forte aut supervacaneam illam existimans graviter peccat. Hoc autem sensu sumenda esse Basilii verba in argumento allata patet ex eodem loco ubi sic inquit: *Nihil omnino tamquam minutum contemni debet. Qui enim rem contemuit, contemnetur ab ea*.

Ad 2. Basilius affirmat nullam inter majora ac minora peccata differentiam in N. Testamento inveniri comparate ad correptionem, non ad illorum gravitatem. Quod idem est ac si dicat omnem peccantem juxta Evangelium corrigendum esse sive graviter sive leviter peccaverit. Sequitur enim: *Quocirca adversus quemcumque qui cujuscumque generis peccatum admittat servandum est praeceptum Domini qui dixit*: *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum*.

Ad 3. Hic est verborum Augustini sensus: nisi misericordia subveniret numquam mutaretur ad quodlibet veniale peccatum affectus, quum tamen Deus neminem decreverit in caeleste regnum admittere cum affectu ad ullum peccatum. Rursus: nisi misericordia subveniret nulla dimitteretur culpa; neque enim culpa remittitur absque gratia quae est ex misericordia. Praeterea nisi misericordia subveniret luenda esset etiam pro venialibus gravissima poena in purgatorio quae tamen Dei concedente misericordia in hac vita levibus redimitur poenitentiis. Ac denique: nisi subveniret misericordia quodlibet veniale in hac vita peccatum juste puniri posset durissima morte, sicuti Deus aliquando fecisse legitur cum Davide ob populi numerationem, cum Oza ob contactum Arcae etc. Unde non sequitur ex Augustini sententia venialia peccata mereri ex natura sua poenam aeternam.

Obj. 4. adv. eamd. 2. thes. a ratione. I. qui peccat quovis modo peccet, fruitur creatura, atque idcirco in ea ultimum constituit finem, quod mortale malum est. II. bonum opus etiam minimum vitam meretur aeternam. Unde et minimum peccatum mortem aeternam. III. peccatum veniale reapse aeterna poena punitur in damnatis qui una cum mortalibus venialia patrarunt. IV. omne peccatum quantumvis leve est actus infinitae malitiae est quippe contra Deum majestatis dignitatisque infinitae, ac per hoc infinitam meretur poenam.

Resp. ad 1. Omnis peccans fruitur quidem creatura in eaque ultimum collocat finem, sed qui leviter peccat a Deo ultimo fine non deflectit

omnino, et in creatura reponit ultimum finem operis non cordis, ultimum finem *secundum quid*, non *simpliciter*.

Ad 2. Maximum inter bonum ac malum opus intercedit discrimen. Nam omne bonum opus justi ex caritate profectum conjungit eumdem justum Deo suo ultimo fini. Ast opus malum etiamsi leve sit a Deo aliquantulum separat.

Ad 3. Si peccata venialia in aeternum puniuntur in damnatis, illud est per accidens quia inveniuntur in subjectis poenis aeternis addictis, unde ex eo non sequitur quemquam ob sola venialia aeternam mereri poenam. Verum illud ipsum negari potest. Cur enim dici non potest damnatos pro venialibus ad tempus pati dumtaxat donec divinae satisfactum fuerit justitiae? Nec obstat quod voluntas patrandi venialia sit in ipsis aeterna. Nam nec propter istam nec propter voluntatem peccatis lethalibus quae commiserunt affectam, sed tantum propter peccata quae in statu viae patrarunt puniuntur.

Ad 4. Etsi quaelibet peccata sint contra personam infinitam, non sunt tamen modo infinito, ideoque malitiam non habent infinitam quae infinitam poenam mereantur. Nam neque mortalia malitiae sunt infinitae *simpliciter*, sed tantum *secundum quid*, alioquin omnia peccata dicenda essent paria, quum unum *simpliciter* infinitum non sit altero majus.

CAPUT IV.

Quanta sit mortalis peccati malitia, et an multa venialia pertingere possint ad malitiam peccati mortalis.

Quoniam duae hae quaestiones aliquam habent inter se connexionem, ad gravitatem quippe pertinent peccati, utramque hoc in capite quam brevissime resolvemus. Et quoad primam duo in lethali peccato, ut in superioribus diximus, sunt distinguenda, actus videlicet humanus, et privatio rectitudinis in qua natura peccati proprie consistit. Nemo inficiatur mortale peccatum prout est actus humanus esse finitum, producitur enim a caussa finita, a creata nimirum voluntate. Sed ubi sermo fit de lethali peccato prout est privatio inter se dissentiunt theologi, aliis affirmantibus esse infinitum *simpliciter*, et aliis *secundum quid*, aliis *intrinsece*, *extrinsece* aliis. Sunt etiam nonnulli qui peccatum nullo prorsus sensu dici posse infinitum arbitrantur. Sed plerique illius nequitiam tenent esse infinitam considerato peccato prout est offensa Dei. Sententiae huic nos calculum nostrum adjungimus.

Minor est opinionum varietas circa alteram quaestionem, exceptis enim paucissimis communiter theologi tenent multorum venialium peccatorum malitiam pertingere numquam posse ad unius peccati mortalis malitiam. Quod in idem recidit ac si dicatur multa venialia peccata unum constituere non posse peccatum lethale saltem per se. Nam nemini dubium quin per accidens peccatum veniale evadere possit mortale et e contra, ut paullo post explicabimus. Ad rem igitur

CONCLUSIO I.

Mortalis peccati nequitia prout est offensa Dei O. M. dici utique potest infinita .

Prob. unico argumento . Nam multa quae etiam a nostratibus afferri solent non satis firma videntur , ut optime observavit scholae nostrae decus Laurentius Berti . Argumentatio autem quae rem nostram conficere videtur, quaeque ab eodem illustri scriptore satis apta censetur haec est : Commensuranda est qualitas offensae dignitati personae quae afficitur injuria , quemadmodum qualitas honoris desumi merito solet a conditione personae quae honorem praestat . Porro peccatum prout est offensa Dei injuria afficit personam infinitam, videlicet Deum O. M. infinitae dignitatis bonitatis sapientiae etc. Unde lethale peccatum prout offensa Dei est appellari potest in sua nequitia infinitum . Et quod offensae qualitas ex dignitate personae offensae sit desumenda patet tum ex vulgari proloquio , *honor est in honorante , offensio in persona offensa* , tum auctoritate ac opinione prudentum qui majorem proculdubio existimant injuriam viro illustri illatam quam plebejo , sicuti majoris faciunt honorem ab illustri viro quam a plebejo acceptum . Et revera si infandum facinus existimatur injuria optimo illata parenti aut principi beneficentissimo, cujusnam ponderis injuriam censebimus illatam Deo qui est hominum conditor, gubernator optimus, redemptor clementissimus, ac perfectionibus omnibus infinito modo exornatus ?

CONCLUSIO II.

Multa peccata venialia constituere nequeunt malitiam unius peccati mortalis .

Prob. 1. ex dictis . Nequitia enim peccati lethalis est aliquo sensu infinita , peccata vero venialia quantumvis multiplicata malitiam non continent infinitam quum per venialia peccata non constituat homo suum ultimum finem simpliciter in creaturis , nec proinde amittat caritatem quamvis illius fervor tepescat , ut superiori capite diximus .

Prob. 2. Tridentinum Concilium sess. 12. cap. 5. definit hominem non teneri in sacramentali confessione aperire venialia peccata in quae etiam justi quotidie labuntur . Ast si ex pluribus venialibus malitia tandem ac gravitas unius mortalis peccati exurgeret , nonne teneretur illa coram sacerdote confiteri ? Quis enim certo scire posset an ad illum venialium pervenerit numerum qui sufficiens sit peccatum constituere mortale ?

Prob. 3. brevi hac ratiocinatione . Natura unius rei nequit in alterius rei transire naturam, quantumvis illam volvas, revolvas, modisque disponas diversis . Potest natura corporea evadere spiritualis ? aut argentum quavis adhibita arte naturam induere auri ? Porro natura peccati venialis differt omnino a natura peccati mortalis , ut diximus ubi utriusque assignavimus peccati discrimen . Nequeunt ergo plura venialia unum efficere mortale .

SCHOLION

Cum dicimus peccatum veniale induere non posse naturam mortalis intelligimus fieri id non posse *per se*. Ceterum potest id fieri per *accidens*, et quidem multis modis quorum aliquos enumerabimus. 1. Peccatum veniale malitiam induere potest mortalis ratione conscientiae erroneae, ut si quis falso existimet verbum otiosum esse peccatum mortale et illud nihilominus proferat, jam non venialiter sed lethaliter peccat. 2. Accidit id quoque ratione gravis scandali, ut si quis idolothytis vesceretur coram infirmo. 3. Ob formalem legislatoris contemptum, ut si quis legem leviter infringeret odio ductus in legislatorem. 4. Ratione ultimi finis, ut si quis in actu per se veniali ultimum reponeret finem simpliciter. Et sic porro alii dari possunt casus in quibus peccatum veniale evadere potest per accidens mortale. Imo peccatum etiam mortale in individuo evadere potest per accidens veniale. Puta si quis in subitos incidat motus infidelitatis, irae, impudicitiae etc. qui motus ex genere suo peccata sunt mortalia, nec plenam habeat voluntatis deliberationem, hujus defectu peccatum mortale in individuo erit veniale. Similiter si peccatum in genere suo mortale in individuo versetur circa levem materiam ut furtum unius pomi, levissima detractio etc. peccatum evadet veniale. Excipe tamen actus qui circa reverentiam versautur divinae majestati debitam, in his quippe actibus non datur parvitas materiae si contra eamdem divinam majestatem committantur.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. cont. 1. prop. Ex quo Deus infinitae sit dignitatis non sequitur peccatum prout est offensa Dei esse infinitum. Nam gravitas offensionis commensuratur ex dignitate personae *secundum quid*, non *simpliciter*, hoc est aliqua servata proportione. II. et re quidem vera visio beatifica et actus caritatis connotant proculdubio Deum infinitae bonitatis. Quis autem dixerit visionem beatificam et caritatem esse actus infinitos? III. si peccatum prout est offensa Dei sit infinitum, omnia peccata erunt inter se aequalia, nullumque inter mortalia ac venialia discrimen intercedet. Neque enim unum infinitum esse potest altero majus.

Resp. ad 1. Hoc idem argumentum veritatem demonstrat nostrae sententiae. Nam nos quoque fatemur gravitatem injuriae ex dignitate commensurari personae non *simpliciter*, sed *secundum quid*. Ast ex hoc merito inferimus peccatum in se esse finitum, consideratum vero *secundum quid*, connotative nimirum ad personam offensam quae dignitatis est infinitae, dicimus esse infinitum; sicuti e contra actio Dei creativa considerata simpliciter et in se est infinita, sumpta autem secundum quid, connotative scilicet ad creaturas est finita.

Ad 2. Illud est proprium solius injuriae, ut intrinsece constituatur a dignitate personae injuria affectae. Atque in hoc injuria in Deum differt

a visione beatifica et ab actu caritatis. Haec namque duo intrinsece specificantur a subjecto a quo eliciuntur, nempe ab anima caritatem habente vel Deum vidente intuitive, et ab objecto, hoc est a Deo quem actus illi connotant, non specificantur nisi extrinsece. E contra vero quum offensio ex qualitate commensuretur personae offensae, illius gravitas specificatur potius ab objecto quod afficit quam a subjecto a quo elicitur, cumque subjectum quod afficit sit infinitum, licet tum actio in se tum subjectum quod actionem elicit sint finita, peccatum nihilominus dici potest quatenus est Dei offensa infinitum.

Ad 3. Peccata mortalia duplici spectari possunt modo, et prout feruntur contra legem aeternam quae generatim ordinem servari jubet, perturbari vetat, et quatenus feruntur contra eamdem legem quae in particulari hoc vel illud crimen vetat. Si priori modo considerentur sunt omnia plane inter se aequalia, quoniam ordinem infringunt atque perturbant aeternae legis, et quatenus sunt offensa Dei legis aeternae auctoris sunt infinita. Ast si spectentur altero modo, unum peccatum erit altero majus, quoniam homo per unum peccatum magis ab ordine aeternae legis quam per aliud recedit. Atque hoc modo non omnia peccata sunt inter se aequalia, quamvis omne mortale peccatum prout offensa Dei est dici possit infinitum. Praeterea ideo dicimus lethale peccatum prout est offensa Dei esse infinitum, quia offensio illa conjuncta est cum contemptu ac despicientia; qui enim mortaliter peccat omnem dirimens cum Deo amicitiam ita convertitur ad creaturas ut posthabito creatore suo in illis ultimum finem collocet *simpliciter*. Ast peccatum veniale quamvis sit offensa Dei hunc tamen non contemnit nec despicit, non dirimit cum eo amicitiam, nec in creaturis ultimum collocat finem *simpliciter*, ut saepe diximus.

Obj. 3. cont. alt. th. ex S. P. Augustino qui aperte affirmare videtur venialia peccata multiplicata malitiam induere peccati lethalis. Ita enim in ep. 265. alias 108. ad illa verba, *dimitte nobis debita nostra* etc. eloquitur: *Neque enim ea nobis dimitti volumus, quae dimissa non dubitamus in baptismo; sed illa utique quae humanae fragilitati, quamvis parva, tamen crebra subrepunt: quae si collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt et oppriment, sicut unum aliquod grande peccatum. Quid enim interest ad naufragium, utrum uno grandi fluctu navis operiatur et obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam et per negligentiam derelicta atque contempta impleat navem atque submergat?* Eadem repetit in psal. 38. 93. 118. serm. 3. et in ep. Joan. tract. 1. 2. 6. *Levia multa faciunt unum grande*. II. et merito. Nam habet vulgare proloquium: *multa pauca faciunt unum satis*. Hinc multi asses magnam constituunt summam pecuniae. Et ut exemplum a peccatis sumamus, nonne multa levia furta peccatum constituunt mortale quamvis seorsim accepta totidem sint peccata venialia? Itaque si venialia multiplicentur transformari utique possunt in peccatum lethale.

Resp. ad 1. Augustini sententia hoc significat quod multa venialia peccata mortem inferre possunt animae dispositive, non effective et forma-

liter. Nam quum venialia caritatem erga Deum imminuant, pravos adaugeant affectus, reddantque conscientiae stimulos hebetiores, ac proinde uberioris gratiae impediant largitatem, quis non videt disponere hominem ad peccandum lethaliter? Hoc dixerat etiam auctor Eccli. cap. 19. *Qui modica spernit, paulatim decidet*. Atque hoc sensu laudata in argumento verba protulit Augustinus; alioquin quomodo alibi agens praesertim contra pelagianos, scribere potuisset etiam in sanctis ac justis viris multa reperiri ex humana infirmitate levia peccata? Nec quemquam movere debet comparatio a S. Patre instituta. Nam notum est comparationes non in singulis membris sibi correspondere, eaque consistit inter effectum et effectum, non inter caussam et caussam.

Ad 2. Vulgatum proloquium verissimum est, sed locum habet dumtaxat in rebus physicis et ad quantitatem pertinentibus, non vero in rebus moralibus. Hinc si multi asses simul uniantur magnam pecuniae summam constituunt. Ast peccata venialia et mortalia non sunt res physicae et ad quantitatem spectantes. Peccatum enim dimetiri debet ex fine quem sibi peccator proponit. Cumque ille qui quam saepissime venialiter peccat numquam sibi proponat ultimum finem *simpliciter* collocare extra Deum, fit ut multa venialia peccata malitiam non contineant peccati mortalis. Deinde allatum proloquium nec locum habet in rebus quantis si quantitatis ratio sit ordinis ac speciei diversae. Potest ne maxima argenteorum nummorum quantitas unum aureum nummum constituere? Non potest, quoniam aurum natura differt ab argento. Ast peccatum veniale a mortali differt natura sua. Ad illud ex levibus multis furtis desumptum breviter respondeo. Vel ille qui multa levia furta patravit unico volitionis actu sibi proposuit distinctis levibus furtis ingentem summam auferre, vel distinctis voluntatis actibus inter se minime connexis in illa levia furta incidit. Si primum, quoniam voluntas non in levia sed in magna ferebatur jam reus est ingentis furti ac peccati mortalis. Si alterum, falsum est esse illum peccati lethalis reum, sed tot venialia commisit quot levia furta patravit.

CAPUT V.

De peccatis ignorantiae.

Hactenus de peccatis actualibus universim quantum instituti ratio patitur disseruimus. Nunc necessum foret ut de peccatis in specie seu in particulari ageremus. Sed quia de peccato originali fuse pertractavimus in fine tomi 3. et de singulis velle peccatis in specie verba facere idem esset ac in immensum orationem protrahere, tyrones plenam harum rerum notitiam desiderantes ad illos remittimus scriptores qui de theologia morum ex professo solent disputare. Interim operae pretium ducimus omittendam non esse dissertationem de peccatis ignorantiae, utpote quae ad uberiorem actualium peccatorum intelligentiam maximopere conducit.

Quid et quotuplex sit ignorantia diximus jam lib. 32. cap. 2. ad

quem locum lectorem remittimus ne eadem bis repetamus. Quaeri ergo solet a theologis 1. An detur ignorantia tum facti tum cujuscumque juris sive naturalis sive positivi quae ipsa sit peccatum. 2. An detur ignorantia juris naturalis quae sit invincibilis. 3. Supposito quod talis ignorantia detur, an illa sit culpabilis.

Circa primam quaestionem duplicem video theologorum sententiam, alteram illorum qui tenent ignorantiam esse statum quemdam hominis, uti est mors, utraque enim est effectus peccati, et quemadmodum, inquiunt, mors peccatum non est, ita et ignorantia non est per se formaliter peccatum, quamvis peccatum sit opus ex ignorantia patratum. Alteram vero illorum qui affirmant non modo opus ex ignorantia patratum, sed ipsam quoque ignorantiam esse formaliter peccatum. Nos huic postremae sententiae subscribimus si sermo sit de ignorantia eorum quae scire quisque tenetur, quaeque sit vincibilis.

De altera quaestione theologi disputantes in tres dividuntur classes. Nonnulli docent nullum in jure naturali locum habere ignorantiam invincibilem; quae enim, inquiunt, invincibilis est homini, voluntaria ac vincibilis fuit in Adamo, quod sufficit ajunt ut imputetur ad culpam. Alii e contra arbitrantur, uno excepto universalissimo principio, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, in reliquis juris naturae praeceptis dari utique posse ignorantiam invincibilem et inculpabilem. Discipuli tandem sanctorum Augustini et Thomae inter prima legis naturae principia et conclusiones vel proximas vel remotas inde deductas distinguentes affirmant, circa prima juris naturae principia et consectaria proxime ex iis sequentia ignorantiam invincibilem non dari, posse vero hominem compotem sui invincibiliter ignorare conclusiones a primis principiis remotissimas. Haec sanior nobis videtur sententia.

Quoad tertiam Jansenius qui ignorantiam invincibilem juris positivi fatetur excusare a peccato, de invincibili loquens ignorantia juris naturae ait lib. 2. de statu nat. corr. cap. 2. sententiam illorum qui putant a culpa vacare difficile conciliari posse cum Augustini doctrina adversus pelagianos disputantis. Nos autem id difficile non esse demonstrabimus. Sed redeamus ad primam.

CONCLUSIO I.

Datur ignorantia tum facti tum cujuscumque juris sive naturalis sive positivi quae ipsa sit peccatum.

Prob. 1. Illius rei ignorantia homini peccatum est cujus scientia est ipsi praecepta; sicut enim omittere quod quis facere tenetur peccatum est omissionis, ita nescire quod quis tenetur scire peccatum est ignorantiae, inquit Estius in 2. dist. 22. §. 10. Ast multorum tum factorum tum praeceptorum cujuscumque juris scientia vel omnibus vel saltem quibusdam hominibus est praecepta. Nam facti est v. g. quod in hac phiala venenum sit, non pharmacum, quod haec herba sit lethalis, non salutife-

ra, quod liquor hic sit aqua, non vinum, quorum tamen primum scire tenetur phamacopola ne venenum pro pharmaco vendat, secundum medicus ne noxiam herbam pro salutifera praesentet aegroto, tertium sacerdos ne in sacrificio aquam adhibeat pro vino. Juris positivi humani est certis diebus catholicis abstinendum esse a carnibus. Et hoc catholici omnes scire tenentur. Juris positivi divini est esse in Trinitatis atque Incarnationis mysteria credendum, confitenda esse sacerdoti omnia peccata etc. Haec autem scire debent omnes qui aeternam consequi volunt salutem. Juris naturae est quod abstinendum sit a peccatis quae secundae tabulae praeceptis prohibentur. Haec omnes homines qui sint rationis compotes scire tenentur. Itaque plurium factorum ac mandatorum ad quodcumque jus spectantium scientia est vel omnibus vel quibusdam hominibus praecepta, et consequenter eorum ignorantia prohibita ac proinde culpabilis.

Prob. 2. consimili argumento. Omnis voluntaria ignorantia eorum quae ratione conditionis vocationis professionis aut muneris sui quis scire tenetur non minus est culpabilis quam voluntaria eorum omissio quae facere quis tenetur. Datur autem voluntaria istorum ignorantia tam in iis quae facti sunt quam quae juris. Nam in quibusdam ignorantia eorum quae scire tenetur est voluntaria in se, quales sunt qui apud Job cap. 21. Deum alloquentes ajunt, *Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus*. Atque hi sunt qui expressa intentione conciones catechismos libros confessarios vitant severiores in quibus aut a quibus de propriis instrui possunt obligationibus, ne audire cogantur quae cupiditatibus aut falsae conscientiae adversantur. In aliis autem ignorantia eorum quae scire tenentur est voluntaria in caussa, quia nempe aut prae superbia erubescunt aut prae metu difficultatis formidant aut prae desidia negligunt media adhibere discendi quae scire debent, aut praetermittunt discendi obicem removere: unde sequitur in iis ignorantiam esse culpabilem. Hinc Lev. cap. 4. legitur: *Si anima peccaverit per ignorantiam etc.* Psal. 24. *Delicta juventutis meae, et ignorantias meas ne memineris*. Isaiae cap. 5. *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam*. Et Apostolus in 1. ad Cor. cap. 14. scribit: *Si quis ignorat, ignorabitur*. Et ad Hebr. cap. 9. *Semel in anno solus pontifex non sine sanguine, quem offert pro sua et populi ignorantia etc.* Et S. P. Augustinus lib. 1. op. imp. cap. 105. *Necesse est*, inquit, *ut peccet, qui nesciendo quid facere debeat, quod non debet facit. De quo genere malorum Deus rogatur, ubi dicitur delicta juventutis etc.*

CONCLUSIO II.

Non datur ignorantia invincibilis circa prima juris naturae principia, nec circa consectaria inde proxime deducta, bene vero datur circa conclusiones remotissimas.

Prob. 1. pars ex Scripturis. Apostolus ad Rom. cap. 2. *Cum enim*

gentes quae legem non habent naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt; ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus in die cum judicabit Deus occulta hominum. II. ex PP. Augustinus in psal. 118. serm. 25. *Nullus est*, inquit, *qui faciat alteri injuriam, nisi qui fieri nolit sibi: et in hoc transgreditur naturae legem quam non sinitur ignorare dum id quod facit non vult pati*. Similia scribunt Tertullianus de coro. mil. cap. 5. Ambrosius ep. 73. Cyrillus alex. lib. 3. adv. Julianum, Gregorius M. lib. 27. moral. III. ratione. Quod enim facillime homini volenti ac paulisper attendenti fit manifestum nequit invincibiliter ignorari. Porro prima juris naturae principia conclusionesque inde proximae deprompta homini volenti et attendenti statim manifesta fiunt. Haec namque per se sunt evidentissima utpote simplicissima nullisque circumstantiis velut ambagibus involuta. Et vero quis non statim admittat hanc propositionem, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*? neque studio aut labore indiget homo quamvis rudis ut hanc aliam percipiat, *omne furtum est malum*, et sic porro de ceteris.

Prob. par. altera. Conclusiones remotissimae a primis juris naturae principiis deduci nequeunt nisi longiori implexoque admodum ratiocinio. Plebei autem ac rudes homines implexos illos ambagibusque plenos discursus nequeunt efformare etiamsi ordinaria habeant a Deo supernaturalis gratiae auxilia, ut experientia constat. Hi ergo invincibiliter adeoque citra culpam ea consectaria ignorant. Praeterea aliqui non infimi subsellii theologi docuerunt nonnulla quae sunt naturali jure vetita aut culpa vacare aut certe non esse a naturali lege prohibita. Majolus puta et alii licitum esse docuerunt mendacium officiosum. Durandus affirmavit simplicem fornicationem et polygamiam non esse vetitas a jure naturae. Quam pudendis praeterea laxitatibus superiore saeculo non subscripserunt magni nominis doctores? Hi, ut arbitror, non ex malitia aut cordis perversitate sed ex invincibili juris naturae ignorantia in turpes errores impegerunt. Quanto magis itaque plebei et idiotae eadem invincibili ignorantia circa illas conclusiones laborare possunt?

SCHOLION

Accidit aliquando ut nonnulli ignorantia aliquo sensu laborent invincibili et tamen non excusentur a peccato. Si quis enim in profundum demersus peccatorum ignoret consectaria a primis juris naturae principiis remotiora, sed quae scire tenetur, ignorantia in ipso est invincibilis; sed quoniam ea ignorantia poena est non solum originariae culpae sed peccatorum etiam actualium, idcirco est culpabilis. Ideo inquit Bernardus de disp. et praec. cap. 18. *Obscuratum nempe insipiens cor eorum qui istiusmodi sunt, et quasi jam traditi in reprobum sensum, bonum omnino nec diligere nec dignoscere queunt. De quibus scriptum est: Impius cum in profundum venerit malorum, contemnit*.

CONCLUSIO III.

Supposito quod juris naturae ignorantia sit invincibilis, excusat a peccato.

Prob. 1. Scripturis. Apostolus ad Rom. cap. 1. ait inexcusabiles esse nonnullos, *quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis*. Si ergo Deum invincibiliter ignorassent, excusabiles per Apostolum fuissent ut Deum illum non glorificando, ac proinde si daretur invincibilis juris naturae ignorantia illa eximeret a peccato. Huc spectant omnia Scripturae loca demonstrantia legem esse suavem, mandata non esse impossibilia: *Jugum meum suave est, et onus meum leve*, Matth. cap. 11. Et, *Mandata ejus gravia non sunt*, Joan. ep. 1. cap. 5. Nam si naturae praecepta talia essent quae illos quoque obligarent qui invincibiliter ea ignorarent, nonne dura et aspera essent atque ad observandum impossibilia? Sed hoc argumentum sententiam nostram indirecte tantum demonstrat, unde ut propius ad rem accedamus.

Prob. 2. auctoritate S. P. Augustini cujus sententiis adversarii abutuntur. I. in lib. 3. de lib arb. cap. 17. ita scribit: *Aut igitur ipsa voluntas est prima caussa peccandi, aut nullum peccatum est prima caussa peccandi. Nec est cui recte imputetur peccatum nisi peccanti: non est ergo cui recte imputetur nisi volenti*. Per Augustinum ergo quod non est voluntarium, quod nullo modo caveri potest nequit ad culpam imputari. *Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest?* inquit ibid. cap. 18. Ast ignorantia invincibilis etiam juris naturae, si datur, voluntaria non est, nullo modo potest caveri, alioquin non esset proprie invincibilis. II. sed clarius adhuc loquitur ingeniorum aquila Augustinus ibid. cap. 19. dicens: *Non tibi imputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quaerere quod ignoras ... Nam illud quod ignorans quisque non recte facit, et quod recte volens facere non potest, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberae voluntatis originem ducunt, illud enim praecedens meruit ista sequentia. Nam sicut linguam dicimus non solum membrum, quod movemus in ore dum loquimur, sed etiam illud quod hujus membri motum consequitur, id est formam tenoremque verborum, secundum quem modum dicitur alia lingua graeca, alia latina: sic non solum peccatum illud dicimus quod proprie vocatur peccatum, libera enim voluntate et ab sciente committitur, sed etiam illud quod jam de hujus supplicio consequatur necesse est*. Tria docet hic S. doctor. 1. Non posse ad culpam deputari quod quis invitus ignorat. Qui legem ignorat naturalem invincibiliter, ignorat eam invitus. Quomodo ergo deputari ei poterit ad culpam? 2. Hanc tamen invincibilem ignorantiam appellari posse, inquit, peccatum, sed tantum improprie, quatenus a proprie dicto, idest libera voluntate patrato ab Adam peccato originem ducit, quomodo forma tenorque verborum di-

citur lingua quia ex linguae motu consequitur. Unde infero quod sicuti concupiscentia licet appelletur peccatum quia ex peccato est et ad peccatum inclinat, non est tamen culpabilis nisi in eo qui praebet assensum, ita neque ignorantia culpabilis est nisi in eo qui voluntarie illam admittit. 3. Tamquam inconcussum principium admittit non esse habendum peccatum proprie dictum nisi quod *libera voluntate et ab sciente committitur*. Ubi autem est ignorantia invincibilis, nec libera voluntas est neque scientia, adeoque nec peccatum. III. In lib. de vera relig. cap. 14. *Nunc vero*, inquit, *usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum si non sit voluntarium: et hoc quidem ita manifestum est, ut nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat. Quare aut negandum est peccatum committi, aut fatendum est voluntate committi*. Hoc idem repetit in lib. de duab. anim. cap. 10. ubi sic scribit: *Quibus concessis colligerem, nusquam scilicet nisi in voluntate esse peccatum*. Et in lib. 1. retr. cap. 9. *Voluntas quippe est qua et peccatur et recte vivitur*. Si itaque et voluntati et libero arbitrio ubique tribuit Augustinus peccatum, et ignorantia invincibilis etiam juris naturae neque voluntaria est neque libera, nonne immerito adversarii S. doctoris nomine et auctoritate abutuntur ad suadendum invincibilem juris naturae ignorantiam esse culpabilem?

Prob. 3. ex absurdis quae in adversariorum sententia sequuntur. I. sequeretur teneri hominem ad impossibile, teneretur quippe ad illud agendum quod nec cognoscit nec potest adhibitis etiam omnibus diligentiis cognoscere. Hoc autem est absurdissimum quum rectae rationis ordinem pervertat. II. nemo unus esset qui in singulis actibus suis dubiam ac perplexam non haberet conscientiam; quum enim circa nonnulla juris naturalis praecepta ignorantia invincibilis revera detur, ut supponimus, operans in quavis actione dubitare posset an illa sit una ex iis a lege naturae vetitis ab ipso invincibiliter ignorata. III. homo ratione utens qui veritatem si ei innotescat sequi paratus est in damnationem traheretur invitus. Nam ob legis illius ignorantiam damnaretur quam si sciret observaret, quamque ut addisceret omnem adhibuit diligentiam, nec tamen potuit. IV. demum sequeretur ignorantiam invincibilem juris positivi non excusare a peccato, quod est contra mentem adversariorum, eadem enim ratio pro uno ac pro alio militat.

Huic autem postremo argumento non acquiescunt adversae sententiae patroni, et ajunt I. ideo ignorantia juris positivi invincibilis excusat a peccato, et inculpabilis non est illa juris naturae, quia illud non est homini insitum et connaturale sicut istud. II. etiam hac alia de caussa, quoniam scilicet actus jure positivo vetitus non est natura sua ac intrinsece malus ut actus vetitus jure naturae, sed malus est quia vetitus. III. e contra ignorantia licet invincibilis juris naturae poena est originalis peccati, et quamvis non sit libera ac voluntaria in se, fuit autem voluntaria et libera in caussa.

Sed graviter hallucinantur. Atque ad 1. argumentum illud ad sum-

mum probaret non dari ignorantiam invincibilem circa legem naturae, dari vero circa jus positivum divinum vel humanum. Ex quo enim naturae lex sit omnibus insita et connaturalis, non item lex positiva, haec deducitur illatio: Ergo lex naturae ignorari non potest invincibiliter, potest vero invincibiliter ignorari lex positiva. Nequit autem inferri invincibilem ignorantiam legis naturae esse culpabilem, quia deest voluntarium ac liberum ad peccatum constituendum necessario praerequisitum.

Ad 2. Minus proficiunt in altero. Nam ut actus aliquis humanus censeri possit culpabilis requiritur ut actus ille, supposito quod sit vel a naturali vel a positiva lege vetitus, vere sit humanus, hoc est voluntate ac libertate patratus, quod haberi non potest nisi cognitio praecedat; nil enim volitum quin praecognitum. Dicuntur autem actus quidam intrinsece mali, non quod imputari ad culpam debeant etiam quando non cognoscuntur nec cognosci potuerunt, sed quia nulla positiva lege vetantur.

Ad 3. Falsissimum denique est adversariorum principium. Nam si ignorantia juris naturae invincibilis esset culpabilis ex eo quod poena sit originalis peccati, peccatum quoque esset dementia, quaevis corporis infirmitas, et concupiscentia cui non praebetur assensus, et infidelitas *negative* dicta, quae omnia poenae sunt origiualis peccati, et voluntaria fuerunt in caussa juxta adversarios. Poena itaque quae ex originali consequitur culpa tunc in peccatum deputatur quando accedit liberi arbitrii consensus, ut patet in concupiscentia.

CAPUT VI.

Explicantur quae adversus statutas superiori capite theses facere videntur.

Obj. 1. cont. 1. prop. Ignorantia non est dictum factum vel concupitum contra legem aeternam, ut definitur ab Augustino peccatum, adeoque per se peccatum non est. II. scientia agendorum non est virtus moralis, quum resideat in intellectu. Quare privatio scientiae agendorum qualis est ignorantia, dici nequit peccatum. Et quemadmodum privatio gratiae non est peccatum, ita nec privatio scientiae. III. quamvis ea quae fiunt ex infirmitate sint peccata, non est tamen peccatum ipsa infirmitas. Similiter ergo, licet quae contra legem fiunt ex ignorantia sint peccata, non est tamen peccatum ipsa ignorantia. IV. et revera mors, morbi, aliaeque miseriae etsi per culpam sive originalem sive actualem fuerint contractae numquid sunt peccata? minime. Unde nec ignorantia quamvis per negligentiam vel aliam culpam fuerit contracta. V. accedit denique quod illud uti peccatum non est habendum cui per poenitentiam mederi non potest. Ast per poenitentiam nequit mederi ignorantiae, neque per illam tolli.

Resp. ad 1. Non modo dictum factum vel concupitum, nec soli actus voluntatis, sed eorum etiam omissiones et negationes contra legem

aeternam sunt peccata. Privationes autem illae ac negationes sub allatæ peccati definitione comprehenduntur per eam regulam, qua privationes ad habitum, et negationes ad actionum genus reducuntur.

Ad 2. Ut ignorantia sit peccatum satis est ut sit contra praeceptum. Est autem contra illud idem praeceptum, per quod ipsa agenda quae cognosci debent praecepta sunt. Quomodo enim possent executioni mandari nisi noscerentur? Privatio autem gratiae etsi per se non sit peccatum, neglectus tamen ejusdem gratiae utique peccatum est. Similiter igitur et neglectus scientiae. Imo et multo magis. Nam homo acquirere potest scientiam per suos actus, non potest vero gratiam. Deinde disparitas est quod privatio gratiae nulli adversatur praecepto, sed privatio scientiae est contra praeceptum quo investigare tenemur ea quae scire nostra maxime interest.

Ad 3. Infirmitas hominis idest passio vel concupiscentia ex qua peccatur, quatenus nostrae subjacet potestati ejusque actus vitari a nobis potest et non vitatur, est non secus ac ignorantia peccatum.

Ad 4. Prohibet quidem Deus quodlibet peccatum per quod morbus contrahitur vel mors, et ea praecipit per quae sanitas servatur. Sed neque morbum prohibuit umquam, neque corporis praecepit incolumitatem. Ast e contra non modo prohibuit negligentiam, discendique praecepit studium, sed etiam vetuit ignorantiam, et scientiam jussit agendorum ac servandorum; unde latum est discrimen inter morbos corporis et ignorantiam.

Ad 5. Nequit per poenitentiam mederi ignorantiae eam tollendo quoad materiale, sed ei mederi potest eam tollendo quoad formale. Nam per poenitentiam tollitur totum id quod in ignorantia rationem habet peccati, culpabilis nempe negligentia, sicuti per baptismum non tollitur quidem concupiscentia quoad materiam, sed totum id tollitur quod rationem habet originariae culpae.

Obj. 2. cont. 1. par. 2. thes. Apostolus ad Rom. cap. 7. ita scribit: *Quid ergo dicemus? lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognovi nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces.* Homines itaque ante mosaicam legem malum perpetrando, quoniam malum esse peccatum nesciebant non peccabant. Ac per hoc datur omnimoda ignorantia invincibilis in illis qui lege positiva carent. II. nec reponere valet loqui ibi Apostolum de peccatis dumtaxat voluntatis ac desiderii. Nam loquitur reapse de omni peccato generatim, ita ut ante legem scriptam ignoraverint homines invincibiliter quodvis peccatum. Etenim S. P. Augustinus in lib. de spir. et litt. cap. 4. in laudatum testimonium ita scribit: *Nam hoc ideo elegit Apostolus generale quoddam quo cuncta complexus est, tamquam haec esset vox legis ab omni peccato prohibentis, quod ait, Non concupisces: neque enim ullum peccatum nisi concupiscendo committitur.* S. autem Hieronymus in ep. ad Algasiam: *Prius*, inquit, *quaeramus quae sit ista concupiscentia, de qua lex dicit, Non concupisces.... Nos autem per concupiscentiam omnes perturbationes animae significatas putamus, quibus maeremur, et gaudemus, timemus, et concupiscimus.*

Resp. ad 1. Apostolum ibi non loqui de omni peccato generatim, sed de peccatis tantum voluntatis ac desiderii, hoc est affirmat ante mosaicam legem homines invincibiliter ignorasse rem alienam concupiscere vel malum alteri desiderare non esse peccatum. Quum enim viverent sub lege naturae existimabant illa dumtaxat ab hac prohiberi quae injusta sunt et damnum alteri afferunt. Peccata vero voluntatis ac desiderii quae ad extra non exeunt nullum afferunt alteri nocumentum. Hanc esse Apostoli mentem vel ex allato patet testimonio, postquam enim dixerat, *peccatum non cognovi nisi per legem*, e vestigio subdit, *Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces*.

Ad 2. Augustinus et Hieronymus explicant quidem Apostoli testimonium de omni peccato, sed de peccato voluntatis ac desiderii, non absolute. Neque enim ullum est peccatum opere completum, quod prius volitum non fuerit ac concupitum, unde ait ibi Augustinus: *Neque enim ullum peccatum nisi concupiscendo committitur*. Deinde non repugnat unam Scripturae sententiam posse multis modis a SS. PP. interpretari juxta diversum, quem sibi proposuerunt, scopum. Augustinus porro et Hieronymus laudatis in locis non loquuntur de ignorantia invincibili qua laborarent homines ante mosaicam legem circa quodlibet praeceptum, sed loqui potius videntur de vi legis scriptae quae uno praecepto, *Non concupisces*, omne peccatum generaliter vetat, quum nullum peccatum nisi concupiscendo committatur. Ceterum ubi hi SS. PP. de notitia disserunt legis naturalis nostrae interpretationi plane cohaerent. Nam haec scribit Augustinus lib. 2. conf. cap. 4. ad rem nostram: *Furtum certe punit lex tua Domine, et lex scripta in cordibus hominum quam ne ipsa quidem delet iniquitas*. Legite S. Patrem etiam in psal. 57. n. 1. Et Hieronymus loco in argumento laudato haec de naturali lege habet praeclarissima: *Ista lex quae in corde scribitur, omnes continet nationes, et nullus hominum est qui hanc legem nesciat; unde omnis mundus sub peccato, et universi homines praevaricatores legis sunt; et idcirco justum judicium Dei est scribentis in corde humani generis: Quod tibi fieri nolueris, alteri ne feceris: Quis enim ignoret homicidium, adulterium, furtum, et omnem concupiscentiam esse malum, ex eo quod sibi ea nolit fieri?* Haec peremptoria sunt pro nostra sententia.

Obj. 3. cont. eamd. 1. part. S. Ambrosius lib. de parad. cap. 8. inquit: *Non enim consisteret peccatum si interdictio non fuisset ... quid est enim peccatum nisi praevaricatio legis divinae et caelestium inobedientia praeceptorum?* Ante divinam ergo legem nullum erat peccatum. II. S. Hieronymus lib. 2. adv. Jovin. cap. 6. *Quid loquar,* inquit, *de ceteris nationibus, cum ipse adolescentulus in Gallia viderim scotos, gentem britannicam humanis vesci carnibus, et cum per sylvas porcorum greges, et armentorum pecudumque reperiant, pastorum nates et foeminarum papillas solere abscindere, et has solas ciborum delicias arbitrari? Scotorum natio uxores proprias non habet; et quasi Platonis politiam legerit, et Catonis sectetur exemplum, nulla apud eos conjux pro-*

pria est, sed ut cuique libitum fuerit, pecudum more lasciviunt. Nonnulla deinceps nefanda refert de persis, medis, indis, aethiopibus, messagetis atque derbicibus, ac tandem concludit: *Pervides quod non solum in esu, sed in sepulturis et in connubiis, et in omni conversatione unaquaeque gens suo ritu et proprietatibus victitet, et hoc eam naturae legem putare quod didicit*. S. P. Augustinus serm. 153. de script. alias 4. de verb. apost. cap. 5. de hominibus ante mosaicam legem haec habet: *Qui fuit antea nescius malorum suorum, factus est doctus, et pejus est victus: coepit esse non solum peccator, sed etiam praevaricator. Peccator enim et antea erat: sed antequam legem audiret, peccatorem se esse nesciebat. Legem audivit, peccatum vidit: conatus est vincere, superatus atque prostratus est: factus est et legis praevaricator qui fuit antea nescius peccator*.

Resp. ad 1. S. Ambrosium divinae legis nomine legem intelligere naturae quae utique divina appellari potest, est enim et ipsa a Deo. Hinc laudato loco scribit: *Dei autem praeceptum non quasi in tabulis lapideis atramento legimus inscriptum, sed cordibus nostris tenemus impressum spiritu Dei vivi. Ergo opinio nostra sibi legem facit, si enim gentes quae legem non habent, naturaliter ea quae legis sunt faciunt etc.*

Ad 2. Ait utique Hieronymus gentes in allato testimonio recensitas praecipua ignorasse juris naturae praecepta, sed non affirmat ignorantiam in illis fuisse invincibilem et inculpabilem. Imo quum inter ea peccata recenseat etiam idololatriam, ait siquidem, *Pene singulae in Aegypto civitates singulas bestias et monstra venerantur, et quodcumque voluerint, hoc inviolabile et sacrum putant*, nec tamen circa idololatriam ignorantia datur invincibilis, consequitur commemoratas gentes ignorasse quidem principaliora juris naturae praecepta, sed non invincibiliter.

Ad 3. S. Augustinus autem dum ait homines non fuisse praevaricatores nisi post latam mosaicam legem, loquitur profecto de praevaricatione quoad praecepta legis mosaicae, non de praevaricatione quoad praecepta legis naturalis.

Obj. 4. cont. alt. th. part. I. S. Ambrosius relatus in cap. *turbatur* dist. 1. 4. inquit: *Ignorantia juris naturalis omnibus adultis damnabilis est*. II. S. P. Augustinus lib. de gr. et lib. arb. cap. 3. *Ignorantia*, ait, *neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat*: III. S. Thomas quodl. 8. art. 13. ait: *Quod est igitur contra legem semper est malum, nec excusatur per hoc quod est secundum conscientiam*.

Resp. ad 1. In cap. *turbatur* laudatur Ambrosius serm. 11. et lib. 5. in Luc. Ast laudatis in locis non invenitur allata in argumento sententia, nec agit ibi S. doctor de ignorantia invincibili. Deinde putant modo eruditi serm. 11. nunc 37. non esse opus germanum Ambrosii. Ac denique cujusvis scriptoris sit, loquitur ibi auctor de lege naturali quoad prima principia et consectaria ex iis proxime deducta, circa quae nos etiam fatemur non dari ignorantiam invincibilem.

Ad 2. eadem sit responsio. Loquitur scilicet ibi Augustinus de ignorantia juris naturae circa prima principia ac proxime inde deductas conclusiones. Nam demonstrandum ibi S. Pater assumit infideles *negative* dictos aeternum ignem non evasuros ex quo Christum ignoraverint. Nam etsi fidei carentia eis non deputetur ad culpam ob invincibilem ignorantiam, nihilominus sempiterno plectentur supplicio quia naturae legem non observarunt quoad Dei cultum ac principalia praecepta. En integrum magni doctoris testimonium: *Aliud est enim nescisse, aliud scire noluisse. Voluntas quippe in eo arguitur de quo dicitur, noluit intelligere ut bene ageret. Sed et illa ignorantia quae non est eorum qui scire nolunt, sed eorum qui tamquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit, quia non audivit omnino quid crederet; sed fortasse ut mitius ardeat. Non enim sine caussa dictum est, Effunde iram tuam in gentes quae te non noverunt.*

Ad 3. S. Thomas affirmat semper esse peccatum quod fit contra legem ignoratam vincibiliter. Nam quodl. 3. q. 12. art. 2. ad 2. scripserat: *Ignorantia juris non excusat a peccato, nisi forte sit ignorantia invincibilis*. Et in 1. 2. q. 100. art. 1. communem sententiam tradit ac fuse illustrat.

Obj. 5. adv. 3. prop. I. Gen. cap. 20. legitur: *Venit autem Deus ad Abimelech per somnum nocte, et ait illi: En morieris propter mulierem quam tulisti: habet enim virum. Abimelech vero non tetigerat eam, et ait: Domine, num gentem ignorantem et justam interficies?* Abimelech certe ignorabat invincibiliter Saram uxorem esse Abrahami, et nihilominus mortem merebatur. Invincibilis ergo ignorantia a peccato non excusat. II. in lib. 1. Reg. cap. 14. narratur Jonathan ad mortem fuisse a patre damnatum quia praeceptum de non frangendo jejunio ab ipso invincibiliter ignoratum non servaverat. III. Ibid. cap. 15. legitur Saulem fuisse a Deo reprobatum quod bono consilio contra divinum praeceptum de non parcendo amalecitarum bonis fecisset. IV. Matth. cap. 15. Christus redarguit judaeos qui bona conscientia praeceptum transgrediebantur de cultu parentum ut divinum cultum magis promoverent. V. Lucae cap. 12. poena plectitur servus qui per ignorantiam domini sui non facit voluntatem. Quare ignorantia excusare nullimode potest a peccato.

Ad 1. Ignorantia Abimelech regis Aegypti non fuit ignorantia juris, sed facti, et quidem vincibilis. Non enim satis accurate inquisivit an Sara esset nec ne uxor Abrahami. Sed a cupidine eam possidendi abreptus statim credidit eam innuptam fuisse.

Ad 2. Saul injuste filium suum Jonathan damnavit quod jejunium fregisset, tum quia illi absenti lex promulgata non fuerat, tum etiam quia Saul legem jure ferre non poterat militibus de tam rigoroso servando jejunio tempore belli.

Ad 3. Caussa cur Saul fuerit a Deo reprobatus non fuit ignorantia, sed inobedientia. Deus quippe jusserat illi ut regem, populum, cuncta-

que amalecitarum bona deleret, Saul autem non solum regi Agag sed optimis quoque gregibus ovium et boum pepercit. Hinc Samuel ad Saul: *Numquid vult Dominus holocausta et victimas, et non potius, ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quam victima.*

Ad 4. Judaeorum de praecepto honorandi parentes ignorantia non erat invincibilis, sed affectata; si namque voluissent, advertere potuissent facillime non modo a natura insitum esse ut parentes colantur, sed etiam esse id denuo a Deo inculcatum ac commendatum in lege mosaica. Ipsi autem sub honorandi Dei obtentu munera ad parentes alendos necessaria inferebant in templum, propter quod merito a Christo reprehenduntur.

Ad 5. Merito plectitur servus qui ignorat voluntatem Domini qui, cum ignorantia illo sit facti vel juris positivi, et vincibilis; debebat enim servus ille de quo Lucas vigilare et scire adventum Domini sui.

Obj. 6. cont. eamd. 3. th. Concilium diospolitanum apud Augustinum in lib. de gest. Pelag. cap. 18. hanc pelagianorum damnavit propositionem qua confirmabant *oblivionem et ignorantiam non subjacere peccato*. Imo et ipse Pelagius licet simulate illam damnavit; in ea autem propositione loquebantur pelagiani de ignorantia invincibili; hanc enim addebant rationem: *Quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem*. II. S. P. Augustinus in ep. 194. alias 105. ad Sixtum cap. 6. scribit: *Inexcusabilis est omnis peccator vel reatu originis vel additamento etiam propriae voluntatis, sive qui novit, sive qui ignorat, sive qui judicat, sive qui non judicat. Quia et ipsa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est; in eis autem qui non potuerunt poena peccati. Ergo in utrisque non est justa excusatio, sed justa damnatio*. Vides Augustinum docentem inexcusabiles etiam illos esse qui intelligere non potuerunt, ex quo ignorantia sit poena peccati? III. in lib. 1. de peccat. mer. cap. ult. idem S. Pater affirmat omnia peccata originem ducere partim ab ignorantia, partim a concupiscentia. IV. in lib. 6. adv. Julian. cap. 16. et alibi saepe contra pelagianos ex professo demonstrat omnem ignorantiam esse culpabilem. V. in lib. de nat. et gr. cap. 17. et in 1. conf. cap. 7. idem repetit, ac plura deflet infantiae peccata circa quae ait, *nec mos reprehendi me, nec ratio sinebat*. VI. in ep. 47. alias 154. demum ad Public. *Si quis*, inquit, *bonum putaverit esse quod malum est, et fecerit hoc putando, utique peccat. Et ea sunt omnia peccata ignorantiae, quando quisque bene fieri putat quod male fit*.

Resp. ad 1. Sensum exponendo palaestinae synodi definitionis. Sciendum ergo est pelagianos non admittentes originale peccatum negasse proinde ignorantiam poenam illius esse peccati, atque dicebant esse conditionem naturae. Huic errori et alium addebant, perfectam nempe sive juris sive facti ignorantiam, quin culpabilis sit, potius esse aliquando perfectam justitiam, ut ex Juliani verbis apparet apud Augustinum lib. 3. cap. 19. quae sunt: *Perfectam ignorantiam justitiam nominari: quia dixit Deus ad Abimelech qui cum Sara fuerat concubiturus ignorans quod uxor esset aliena, Et ego sciebam, quia in corde mundo fecisti hoc.*

His itaque positis, quando pelagiani ajebant, *oblivionem et ignorantiam non subjacere peccato*, intelligebant duo illa non subjacere peccato originali quasi ejusdem peccati sint consectaria. Et rursus subaudiebant non subjacere cuicumque peccato, quum perfecta ignorantia quandoque sit perfecta justitia. Addentes deinde hanc caussalem, *quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem*, exprimere volebant oblivionem et ignorantiam non poenas esse peccati sed primordia naturae; non enim illa duo ab hominis eliguntur voluntate, sed comitantur naturam, adeoque sunt necessaria nec imputari possunt ad culpam. Ita pelagiani philosophabantur; atque idcirco diospolitana synodus illam pelagianorum damnans propositionem idem est ac si definiisset ignorantiam non esse conditionem naturae sed poenam peccati, proindeque esse malam, nec umquam fieri posse ut perfecta evadat justitia. Quid ergo adversum nos ex illa definitione?

Ad 2. S. P. Augustinus inexcusabiles dicit etiam illos qui intelligere non potuerunt, non ex eo praecise quod ignorantes sint, sed quod legem naturae transgrediantur, et habeant originale peccatum. Respondet enim ibi objectioni pelagianorum affirmantium eos qui damnantur, in Augustini sententia, excusabiles esse, quandoquidem gratiam unde bene viverent non acceperunt; unde S. doctor primo demonstrat Deum neminem liberare nisi gratuita misericordia per Jesum Christum, damnare neminem nisi aequissima veritate. Docet deinde neminem ex iis qui damnantur excusabilem esse sive audiverit sive non audiverit evangelium, quia si qui damnantur audierunt evangelium et in infidelitate propria voluntate persliterunt, malae suae voluntatis poenas dabunt. Si evangelium non audierunt et nihilominus damnantur, aut naturalem cordibus inscriptam legem fregerunt, aut saltem damnantur propter originale peccatum. Atque ita qui intelligere non potuerunt, per Augustinum non sunt qui invincibiliter naturae legem ignorant, sed qui ignorant invincibiliter evangelium, ob quam ignorantiam tamen non damnantur, sed vel ob naturae legis transgressionem vel ob originale peccatum. Hinc eodem in capite scribit: *Dicit enim ipse Dominus in evangelio, Si non venissem, et eis locutus non fuissem, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Non utique peccatum nullum haberent, qui pleni erant aliis magnis multisque peccatis, sed hoc peccatum vult intelligi non eos habituros fuisse si non venisset, quo cum audissent eum, non crediderunt in eum*. Haec apprime confirmant quae de S. Patris scopo eo in capite hactenus diximus.

Ad 3. Per Augustinum omnia peccata originem ducunt ab ignorantia quae sit poena et caussa peccati, non quae ipsa sit formaliter peccatum, nisi sit vincibilis, quoniam disputat eo in libro contra pelagianos autumantes, ut paullo ante observavimus, ignorantiam et concupiscentiam esse proprietates naturae, non poenas originalis peccati quod non agnoscebant. Unde in lib. de dono persev. cap. 11. scribit: *Dicunt pelagiani, ignorantiam et difficultatem, sine quibus nullus hominum nascitur, primordia, non supplicia esse naturae*. Ut itaque illos tam portentosi revin-

cat erroris qui homines ad sortem deprimebant belluarum multa S. doctor affert argumenta, atque prae ceteris urget illud quod ignorantia et difficultas, hoc est concupiscentia sint caussa peccati; atque adeo nequeunt esse primordia naturae, alioquin vitium istud humanae naturae in Deum naturae auctorem foret refundendum. Ast ex eo argumento non sequitur quamlibet ignorantiam, hoc est etiam invincibilem, sed eam dumtaxat cui assensum praebemus esse formaliter peccatum: quemadmodum ex quo idem S. doctor affirmet peccata omnia descendere ex concupiscentia, non colligitur omnem concupiscentiam, sed illam dumtaxat quae voluntaria ac vincibilis est esse formaliter peccatum. Haec manifesta sunt iis qui sunt in Augustini lectione paulisper exercitati. Accedit denique quod si allatum ex Augustino argumentum valeret, etiam ignorantia invincibilis juris cujuslibet positivi foret inexcusabilis, quod adversarii non admittunt.

Ad 4. idem teneto responsum. Unde Juliano objicienti cur in baptizatis ignorantia remaneat ac difficultas, si duo illa mala sunt, respondet S. Pater: *Horum malorum praeteritus omnis reatus sacro fonte diluitur. Remittuntur ergo in renascentibus, minuuntur in proficientibus. Ignorantia minuitur veritate magis magisque lucente: concupiscentia minuitur caritate magis magisque fervente*. Ubi docet consistere in renatis ignorantiam et concupiscentiam absque reatu.

Ad 5. In laudato de nat. et gr. libro damnans S. doctor ignorantiam de ignorantia loquitur vincibili, ait quippe in citato capite: *Quia id homo nescit negligentia sua, quod adhibita diligentia scire debuisset, dum tamen omnia potius disputet, quam ut oret et dicat, Da mihi intellectum, et discam mandata tua. Aliud est enim non curasse scire, quae negligentiae peccata etiam per sacrificia quaedam legis videbantur expiari: aliud intelligere velle, nec posse, et facere contra legem non intelligendo quid fieri velit*. Poterat ne clarius loqui S. doctor? In lib. autem conf. opera ex ignorantia ab infantibus patrata appellat peccata quatenus adversantur revera vel naturali vel divinae legi. Sed quum facta sint absque usu rationis negat esse comparate ad operantem peccata. Hinc inquit ibid. *Tunc ergo reprehendenda faciebam, sed quia reprehendentem intelligere non poteram, nec mos reprehendi me, nec ratio sinebat*.

Ad ultim. Etiam in ep. ad Publicolam loquitur Augustinus de ignorantia vincibili. Nam disputat de ignorantia facti qua quis dubitat an aliqua caro sit immolatitia: *Si quis dubitat*, inquit, *de aliqua carne, utrum immolatitia sit, et non est immolatitia, si eam cognitionem tenuerit quod immolatitia non sit, et ea vescatur, non utique peccat ... Si quis autem bonum putaverit esse etc.*

COROLLARIUM

Quae hactenus disputata sunt ad demonstrandum ignorantiam juris naturalis invincibilem iis in praeceptis circa quae dari potest immunem

esse a quavis culpa demonstrant etiam inculpatam esse ignorantiam invincibilem juris positivi divini. Ad uberiorem nihilominus confirmationem addi potest illud Christi Domini de judaeis qui credere in illum noluerunt, loquentis Joan. cap. 15. *Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent*. Et paullo post, *Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent*. In quae verba Augustinus tract. 89. n. 1. in Joan. ita disserit: *Hoc est autem, quia non crediderunt in Christum qui propterea venit ut credatur in eum. Hoc peccatum, si non venisset, non utique haberent*. Et iterum: *Respondeo, habere illos excusationem non de omni peccato suo, sed de hoc peccato quo in Christum non crediderunt*. His addi potest et illud Apostoli ad Rom. cap. 9. *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt nisi mittantur?... Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*. Haec apostoli inductio luculenter ostendit eos qui Christum invincibiliter ignorant immunes esse ob infidelitatem a peccato; credere quippe non potuerunt.

CAPUT VII.

De poenis peccato lethali in altera vita debitis.

Praecipuae poenae quae rationalem creaturam sive angelicam sive humanam lethali peccato irretitam in altera vita manent praeter gratiae tum sanctificantis tum actualis, unde jus ad caelestem haereditatem oritur, privationem, praeter amissionem donorum ad intellectum spectantium, praeter voluntatis quoque obfirmationem in malo, praecipuae, inquam, poenae quae ob lethale peccatum a Deo rationali creaturae infliguntur sunt carentia intuitivae Dei ipsius visionis, et in gehennae igne combustio, quarum priorem damni, alteram sensus poenam appellare theologi consueverunt. Rationales creaturas lethali obnoxias peccato duo haec promereri supplicia nemo est sive catholicus sive haereticus qui in dubium vertere audeat. Sed multa nihilominus circa eas poenas disputare solent ecclesiastici scriptores cum adversus fidei catholicae hostes, tum salva fide et caritate contra aliorum placita theologorum.

Ac primo quidem in dubium venit, an desertores angeli utraque damni videlicet et sensus poena plectantur a tempore quo peccarunt, affirmantem tuentibus sententiam omnibus ferme in Ecclesia theologis, quamvis veteres multi tradant differendam eis esse poenam sensus ad extremam judicii diem. Quam veterum opinionem si sectari quis voluerit non proinde haeresis vel erroris erit insimulandus.

Altera in hac caussa quaestio agitari solita est, an infernus locus nempe reprobis doemonibusque puniendis a Deo destinatus sit revera corporeus ac materialis. Catholici omnes contra Calvinum, Bezam, Bucerum, aliosque recentiores haeterodoxos materialem esse ac corporeum absque ulla dubitatione credunt.

Sequitur deinceps et alia controversia quae est de natura ignis quo peccatores in inferno cruciantur, an videlicet sit verus ac proprie dictus ignis. Origenes teste Hieronymo apol. 2. adv. Rufin. aeternorum ignium nomine intelligebat *conscientiam peccatorum, et poenitudinem cordis interna urentem*. Subscripserunt Origeni Ambrosius Teophylactus, nonnullique alii Patres, et ex theologis Catharinus, eaque de caussa fit ut quamvis omnes modo arbitrentur ignem illum esse materialem revera atque corporeum, quaestio haec nihilominus ad fidem minime pertineat.

Postremum disquisitionis caput de impiorum poenis est, an illae futurae sint aeternae. De Fide est fore reapse aeternas. Sed innumeri sunt haeretici suppliciorum denegantes aeternitatem. Primus qui hunc adoptaverit errorem fuit Origenes refutatus propterea atque damnatus a Theophilo alexandrino, Epiphanio, Hieronymo, Augustino, et Patribus V. synodi oecumenicae. Nullos aut paucos eosque obscuri nominis sectatores antiquitus habuit Origenes donec an. 1697. e londinensibus typis prodiit liber cui titulus *evangelium aeternum*, in quo origenianum errorem de impiorum restitutione mortuorum auctor qui creditus est quidam Jona Leadia aperta fronte propugnavit. Varios nactus est infamis ille liber in ecclesia lutherana defensores Guilelmum praesertim petersenium, Christophorum Pottlier, et Christianum Tauberum. Etiam Petrus Bailius, Joannes Clericus, Joannes Tillotsonus, Thomas Burnetus, et Joannes Lokius origenianam evomuerunt blasphemiam. Quibus accedunt post Faustum ac Laelium praeclariores socinianae sectae scriptores, Crellius, Wolzogenius, Smalcius, Volkelius, Sonerus, aliique, sed diversa hi ab origenistis incedunt via. Origeniani enim existimant futurum tempus quando Deus parcet tandem doemonibus cunctisque reprobis in inferorum poenis detentis, illosque in caelum recipiet ut sua in aeternum intuitiva fruantur visione. Ast sociniani e contra credunt desituras omnium damnatorum poenas quoniam destruentur aliquando et abibunt in nihilum. His in antecessum breviter adnotatis modo sit

CONCLUSIO I.

Desertores angeli statim post peccatum utraque plecti caeperunt poena, nec ultimum judicii diem debent expectare.

Prob. 1. Scriptura. Petrus in ep. 2. cap. 2. ita scribit: *Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservati*. Judas in sua cath. ep. v. 6. *Angelos vero*, inquit, *qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis aeternis sub caligine reservavit*.

Prob. 2. ex PP. Gregorius M. in lib. 4. dial. cap. 28. inquit: *Si esse sanctorum animas in caelo sacri eloquii satisfactione credidisti, oportet ut per omnia esse credas et iniquorum animas in inferno: quia*

ex retributione aeternae justitiae ex qua justi jam gloriantur, necesse est per omnia ut et injusti crucientur. Nam sicut electos beatitudo laetificat, ita credi necesse est quod a die exitus sui ignis reprobos exurat. Qua in sententia S. Pontifex de animabus, non de malis angelis loquitur, sed ratio quam ad demonstrandum affert animas reproborum illico post exitum utroque torqueri supplicio valet etiam pro doemonibus; sed clarius loquitur Beda comm. in cap. 3. in ep. Jacobi ubi exponens illa verba, *lingua ... inflammata a gehenna*, inquit: *A gehenna dicit a diabolo, ab angelis ejus, propter quos gehenna facta est, et qui ubicumque, vel in aere volitant, vel in terris, aut sub terris vagantur, sive detinentur, suarum semper secum ferunt tormenta flammarum, instar febricitantis qui etsi in lectis eburneis, etsi in locis ponatur apricis, fervorem tamen vel frigus insiti sibi languoris evitare non potest. Sic ergo daemones, etsi in templis colantur auratis, etsi per aera discurrant, igne semper ardent gehennali.* Prudentius in hymn. hemit. et chelid. loquens de diabolo, *Confitens*, inquit, *ardere sese, nam gehennae est incola*. Citari solent Ambrosius in cap. 8. Luc. Hieronymus in Isaiam cap. 14. S. P. Augustinus lib. de corr. et grat. cap. 10. Gregorius nazianzenus orat. in S. Cypr. Chrysostomus hom. 34. in Matth. Cyrillus alex. lib. 6. cont. Julian. Sed hi paullo subobscure loquuntur.

Prob. 3. ratione. Angeli sancti statim ac in accepta justitia perseverarunt caelestem a Deo recepere mercedem. Quare statim ac angeli mali peccarunt a Deo receperunt poenam. Praeterea daemones animarum in inferno existentium dicuntur veluti justitiae divinae tortores. Verisimile itaque non est eximi eos a poena sensus quam inferunt animabus.

SCHOLION

Non est de Fide, ut capitis initio monuimus, angelos malos modo in inferis poena sensus torqueri. Etenim S. Thomas 1. p. q. 64. a. 4. postquam dixerat opinionem affirmantium damnatorum animas non fore plectendas nisi post judicii diem esse erroneam, nullam erroris notam inurit iis qui id asserunt de solis daemonibus, quamvis ipse nobiscum hac in re sentiat. Deinde nullum afferri potest concilium in quo definita haec nostra sententia fuerit, et impune contrariam tuetur opinionem Cajetanus comm. in ep. 2. Petri.

CONCLUSIO II.

Infernus seu gehenna locus est corporeus et materialis.

Prob. 1. ex sacris litt. Psal. 93. *Nisi quia Dominus adjuvit me, paullo minus habitasset in inferno anima mea*. Sap. cap. 5. *Talia dixerunt in inferno hi qui peccaverunt*. Luc. cap. 16. *Mortuus est dives, et sepultus est in inferno*. Idem occurrit Matth. 11. et alibi.

Prob. 2. ex PP. Hieronymus comm. in ep. ad Eph. cap. 4. *Infer-*

num, inquit, *sub terra esse*, *nemo jam ambigat*. S. P. Augustinus lib. 2. retract. cap. 24. corrigens quae lib. 12. de Gen. ad litt. cap. 32. anceps disputaverat, inquit: *In duodecimo de inferis magis mihi videor docere debuisse*, *quod sub terris sint*, *quam rationem reddere cur sub terris esse credantur*, *sive dicantur*, *quasi non ita sit*.

CONCLUSIO III.

Materialis quoque et corporeus est ignis inferorum quo daemones damnatique cruciantur.

Prob. 1. ex Script. Deut. cap. 32. haec leguntur: *Ignis succensus est in furore meo*, *et ardebit usque ad inferni novissima*. Isaiae cap. 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis*? Haec V. Testamenti loca esse de inferorum igne nemo non videt. Haec eadem ignem significant corporeum ac materialem. Materialis itaque et corporeus est ignis inferni. Hoc idem clarius adhuc paginae tradunt N. Testamenti. Matth. enim cap. 25. legitur: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum*, *qui paratus est diabolo et angelis ejus*. Idem cap. 5. scripserat: *Reus erit gehennae ignis*. Apoc. cap. 20. *Diabolus missus est in stagnum ignis et sulphuris*. Hujus generis multa sunt in N. Testamento.

Prob. 2. ex PP. Basilius hom. 1. in psal. 28. inquit: *Quoniam duo sunt in igne potissima*, *ustiva vis et illustratoria*. *Vis prior ignis acerrima quidem ad poenas irrogandas reposita est his qui ustione digni sunt*. Et ante Basilium Cyprianus in lib. de laud. martyr. cap. 12. dixerat: *Saeviens locus*, *cui gehennae nomen est* ... *eructantibus flammis per horrendam spissae caliginis noctem*, *saeva semper incendia camini fumantis expirant*, *globus ignium arctatus obstruitur*, *et in varios poenae exitus relaxatur*. *Tunc saeviendi plurima genera*, *cum in seipso convolvit*, *quidquid ardoris emissi edax flamma cruciavit ora*. Hieronymus comm. in cap. 3. Jonae ait: *Et sciamus*, *peccatores in evangelio mitti in ignem aeternum qui praeparatus est diabolo et angelis ejus; et de his dici*: *Vermis eorum non morietur*, *et ignis eorum non extinguetur*. Et in ep. 59. refellit ex professo Origenem quod affirmaverit ignem inferni esse metaphorice accipiendum. Vide Chrysostomum hom. 9. in 1. ad Cor. Gregorium nazianz. or. 40. Lactantium lib. 7. div. inst. cap. 26. et ne singulos commemorem S. P. Augustinum qui lib. 21. de C. D. cap. 10. inquit: *At vero gehenna illa*, *quod etiam stagnum ignis et sulphuris dictum est*, *corporeus ignis erit*, *et cruciabit corpora damnatorum*, *aut et hominum*, *et daemonum*, *solida hominum*, *aerea daemonum*; *aut tantum hominum corpora cum spiritibus*, *daemones autem spiritus sine corporibus*, *haerentes sumendo poenam*, *non impertiendo vitam corporalibus ignibus*. *Unus quippe utrisque ignis erit*, *sicut veritas dicit*.

Prob. 3. ratione. S. Scriptura juxta Augustini regulam lib. 3. de doct. chr. cap. 10. litteraliter accipienda est ubi nulla sit repugnantia. S. Scriptura autem quoties de damnatorum loquitur poenis tradit torqueri illos igne; neque in hoc ulla est repugnantia. Cur ergo non intelligamus eam in sensu litterali? Rursus eo nunc damnati ac daemones in inferis torquentur igne ad quem iterum damnabit illos Christus in extrema judicii die dum dicet, *Ite maledicti in ignem aeternum*. Porro Christus in die judicii reprobos ad materialem damnabit corporeumque ignem, neque enim supremus judex metaphoricam eo die usurpabit locutionem in pronuncianda sententia.

CONCLUSIO IV.

Daemonum aliorumque supplicia reproborum duratura sunt in aeternum.

Prob. 1. Scripturis. Isaiae cap. 33. legitur: *Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Et cap. 66. repetit: *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur, et erunt usque ad satietatem visionis omni carni*. Intelligenda haec esse de igne aeterno tum ex paraphrasi chaldaica tum ex aliis patet versionibus. Dan. cap. 12. *Et multi de his qui dormiunt in terrae pulvere, evigilabunt; alii in vitam aeternam, et alii in opprobrium, ut videant semper*. Loquitur hic propheta de postremo judicii die, ut constat legenti integrum caput et cap. 11. ubi describit quae futurum praecedere debent judicium. Ait bonos proemium, malos poenam recepturos. De bonis inquit aeternum illorum proemium futurum, unde aeterna quoque erit reproborum poena. Quod ex hebraico textu confirmatur in quo legitur, *ad opprobrium sempiternum*. In lib. quoque Sap. cap. 4. antithesis instituitur inter justorum proemium, suppliciumque damnatorum, atque utrumque appellatur aeternum: *Videbunt finem sapientis ... et contemnent eum, illos autem Dominus irridebit; et erunt post haec decidentes sine honore, et in contumelia inter mortuos in perpetuum*. En poena impiorum. Subdit cap. 5. *Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum*. David etiam in psal. 48. de homine impio inquit: *Introibit usque in progenies patrum suorum, et usque in aeternum non videbit lumen*. Et Job. cap. 4. de reprobis ait: *De mane usque ad vesperam succidentur, et quia nullus intelligit, in aeternum peribunt*, hebraice autem, *lanetzach jovedù*, quae verba aptissime explicant veram aeternitatem. Cap. autem 10. infernum describens vocat illum *terram tenebrosam, et opertam mortis caligine, ubi sempiternus horror inhabitat*. Sed clariora adhuc habentur in N. Testamento. Matth. enim cap. 25. postremam describens judicii diem sic supremum judicem loquentem inducit: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis a constitutione mundi*. Haec est electorum merces et quidem aeterna. Eadem vero utitur phrasi ubi de

poena loquitur damnatorum dicens: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum qui paratus est diabolo et angelis ejus*. Hinc concludit Evangelista: *Et ibunt hi in supplicium aeternum; justi autem in vitam aeternam*. Apostolus in 2. ad Thessal. cap. 1. *Qui non obediunt*, inquit, *evangelio D. N. J. C. poenas dabunt in interitu aeternas*. Judas in ep. cap. 1. *Quibus* (peccatoribus) *procella tenebrarum servata est in aeternum*. Apoc. cap. 14. de eo qui bestiam adoraverit legitur: *Hic bibet de vino irae Dei ... et cruciabitur igne et sulphure ... et fumus tormentorum ascendet in saecula saeculorum, nec habent requiem die ac nocte*. Qua in sententia notandum est quod ubi nos legimus *in saecula saeculorum*, graecus textus habet, εἰς αἰῶνας αἰώνων, quae phrasis veram significat aeternitatem.

Sociniani juncto cum origenistis foedere ut vim eludant Scripturarum respondent I. in laudatis locis damnatorum poenae dicuntur aeternae non proprie quia numquam habiturae sint finem, sed improprie quatenus diu sunt duraturae; sicuti possessio Chanaan quam Deus pollicitus est Abrahae dicitur futura aeterna, lex mosaica et ipsa in aeternum praedicitur duratura, et Salomoni promisit Deus firmaturum se thronum illius usque in aeternum. Et tamen haec finem aliquando habuerunt. Eodem igitur sensu aeternae dicuntur in Scripturis poenae reproborum. Vel forte inferorum ignis dictus est aeternus ad illius exprimendam acerbitatem, quemadmodum ob eam caussam aeternus appellatur ignis qui super Sodomam pluit et Gomorrham in ep. Judae: *Sicut Sodoma et Gomorrha factae sunt in exemplum, ignis aeterni poenam sustinentes*. II. vel allatae Scripturae sententiae evincunt quidem ignem futurum aeternum, non autem fore aeternam combustionem et poenam, III. vel denique quoniam post illorum destructionem ad vitam revocandi non sint in aeternum.

Decipiuntur tamen dum haec sibi suadent, 1. Quoniam eodem modo Scriptura aeterna appellat supplicia reproborum ac electorum proemia, ut ex recitatis sententiis et ex aliis locis apparet, Qua de re sicuti merces electorum proprie, ita et reproborum poena proprie aeterna dicenda est. 2. Ignis damnatorum non solum appellatur aeternus, sed de eo dicitur quod numquam debeat extingui, Isaiae cap. 66. Quare S. P. Augustinus lib. cont. priscill. cap. 6. inquit: *Qualiscumque poena significata sit nomine vermis atque ignis, certe si non morietur nec extinguetur, sine fine praedicta est*. 3. Ubi nos in laudatis Scripturae textibus legimus *in aeternum*, graece habetur, αἰώνιον, quae vox semper proprie dictam denotat aeternitatem. Αἰὼν *autem*, inquit M. Augustinus lib. mox citato cap. 5. *licet latine saeculum cum aliquo fine intelligatur, aeternum vero nisi id quod sine fine est, non soleat appellari*; Αἰὼν *autem graece aliquando aeternum, aliquando saeculum significare intelligatur: tamen quod ex hoc nomine derivatur et appellatur* αἰώνιον, *nec ipsi graeci, quantum existimo, solent intelligere, nisi id quod non habet finem*. 4. In illis autem Scripturae locis ubi aeternum pro tempore finito sumitur, ta-

lis est orationis series eaque adjuncta ut facile ex illis intelligatur sermonem non fieri de aeternitate proprie dicta. Sed nonnihil ad singula allata exempla dicamus. Si terrae Chanaan promissio quae aeterna praedicta est perduravit ad tempus, nil mirum. Nam praeter quam quod ibi enunciatur aeternitas de re quae natura sua aeternitatem proprie dictam excludit, promissio a Deo semini Abrahae facta fuit conditionata, non absoluta, ut ex Lev. cap. 26. et Deut. 19. constat. Promissio vero facta Salomoni verificata utique est, completum fuit siquidem oraculum in Christo juxta illud Lucae, *Dabit illi Deus sedem David patris ejus, et regnabit in aeternum*. Et de Christo revera prolatum fuerat vaticinium, ut colligitur ex Isaia dicente: *Super solium David, et super regnum ejus sedebit ... usque in sempiternum*. Ad tertium exemplum eamdem habeto responsionem, aeterna nempe est mosaica lex non quidem in se inspecta, sed considerata in rebus quae per illam praefigurabantur, ut observat Augustinus in lib. cont. priscill. Quod in ep. Judae habetur aeternum, si aeternitatem non significat proprie dictam, nec tempus denotat diuturnum, ut adversarii contendunt, ad breve quippe tempus perduravit. Dictus est ergo aeternus ignis qui Sodomam et Gomorrham conflagravit quoniam adumbrabat ignem quo damnati torquentur in inferis, et quo ipsi jam torqueri caeperunt.

Ad 2. respondet Augustinus lib. de fide et op. cap. 15. *Neque illud dici hic poterit, in quo nonnulli seipsos seducunt dicentes, ignem aeternum dictum, non ipsam poenam aeternam ... ut videlicet ipse ignis aeternus sit, combustio vero eorum, hoc est operatio ignis non sit in eos aeterna; cum et hoc praevidens Dominus, tamquam Dominus, sententiam suam ita concluserit, dicens, sic ibunt illi in combustionem aeternam, justi autem in vitam aeternam*. Eadem habet lib. 21. de C. D. cap. 23.

Ad 3. Quod hic addunt ridiculum est effugium. 1. Indicent nobis sociniani ubinam legerint umquam in Scripturis damnatorum animas esse tandem destruendas. 2. Supplicia reproborum eo sensu dicuntur in sanctis paginis aeterna, quod *vermis illorum non moriatur*, nec *extinguatur ignis*, sed habitent illi *cum igne devorante*, *cum ardoribus sempiternis, et crucientur in saecula saeculorum*. Ast si abeant in nihilum quomodo poterunt haec verificari? 3. Cur supremi judicis sententia relate ad electos veri nominis significat aeternitatem, relate autem ad reprobos denotat illorum destructionem? *Quale est*, inquit Augustinus de C. D. libro proxime laudato cap. 23. *aeternum supplicium pro igne diuturni temporis existimare, et vitam aeternam credere sine fine, cum Christus eodem ipso loco, in una eademque sententia dixerit utrumque complexus, sic ibunt isti in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam? Si utrumque aeternum, profecto aut utrumque cum fine diuturnum, aut utrumque sine fine perpetuum debet intelligi. Par pari enim relata sunt, hinc supplicium aeternum, inde vita aeterna. Dicere autem in hoc uno eodemque sensu, vita aeterna sine fine erit, supplicium aeternum*

finem habebit, multum absurdum est. Unde quia vita aeterna sanctorum sine fine erit, supplicium quoque aeternum quibus erit, finem proculdubio non habebit.

Prob. 2. ex judicio Ecclesiae quae semper pro haereticis habuit eos qui cum Origene affirmarunt inferorum poenas habituras aliquando finem. Et primo quidem constat ex synodica epistola ad palaestinos cypriosque episcopos scripta a Theophilo alexandrino Origenem damnatum fuisse anno 400. in concilio alexandrino; legitur quippe in ea epistola *lectos esse in concilio Origenis libros in quibus impio labore sudaverat, et consensu omnium condemnatos*. Inter proscriptas autem propositiones haec una erat: *Christi regnum finietur aliquando, et diabolus cunctis peccatorum sordibus liberatus aequo honore decorabitur, et cum Christo subjicietur*. Synodus autem alexandrina magno plausu ab Ecclesia recepta est. Nam Anastasius R. P. in ep. ad Simplicianum illam plenis calculis approbat dicens: *Pari animo vir sanctus et honorabilis Theophilus frater et coepiscopus noster circa salutis commoda non desinit vigilare, ne Dei populus per universas ecclesias Origenem legendo in magnas incurrat blasphemias*. Quoniam vero alexandrinae synodi definitio satis non fuit ad defensorum Origenis reprimendam temeritatem, concilium generale 5. omnia Origenis opera iterum anathemate confodit, et praecipue quod affirmaverit, *Omnium impiorum hominum, et ipsorum etiam doemonum tormenta finem habitura, atque impios, ac doemones in priorem suum statum restitutum iri*, ut narrat Nicephorus lib. 17. H. Eccl. Damnatus subinde idem Origenis error fuit in concilio oecumenico 7. ubi act. 1. legitur: *Sanctae venerabilis quintae synodi quae Costantinopoli congregata est, communi et universali submissi sunt anathemati Origenes, et Theodorus mopsuestenus, et ea quae ab Evagrio et Dydimo dicta sunt, de eo videlicet ... quod de restitutione in statum pristinum fatebantur, consentienttbus et praesentibus quatuor patriarchis*. Hinc Epiphanius in lib. 1. de haer. errorem hunc origenistarum haeresim appellat VI. Appellatur haeresis etiam a Philastrio aliisque veteribus qui haereseon cathalogum contexuerunt. Et S. P. Augustinus Origenis sententiam hoc tetro commate notat lib. de haer. *Sunt hujus Origenis alia dogmata quae catholica Ecclesia omnino non recepit ... Quis enim catholicus christianus vel doctus vel indoctus non vehementer exhorreat ... diabolum atque angelos ejus, quamvis post longissima tempora, purgatos atque liberatos regno Dei lucique restitui?*

Prob. 3. ex SS. PP. Justinus martyr in apol. 1. ita de diabolo scribit: *Quem una cum exercitu suo, et hominibus eum sequentibus in ignem missum, et per saeculum infinitum excruciatum iri, praemonstravit Christus*. Clemens rom. apud Damascenum ait: *Immortales animae omnes sunt, et impiorum, quibus melius foret non incorruptibiles esse. Nam poena sempiterna ab inestinguibili igne punitae, neque morientes magno suo malo nullum finem obtinere possunt*. Tertullianus lib. de testim. animae cap. 4. affirmat, *Animam pro meritis, aut cruciatui destinari, aut*

refrigerio, *utroque sempiterno*. Cyprianus in fine lib. ad Demetrianum scribit: *Quando isthinc excessum fuerit, nullus jam poenitentiae locus est, nullus satisfactionis effectus*. Irenaeus lib. 5. adv. haer. cap. 27. *Aeterna autem, et sine fine sunt a Deo bona: et propter hoc, et amissio eorum aeterna, et sine fine est*. Minucius Felix de gehenna scribens inquit: *Nec tormentis aut modus ullus aut terminus*. Lactantius lib. 2. div. inst. cap. 12. ita secundam definit mortem: *Mors est animarum pro meritis ad aeterna supplicia damnatio*. Gregorius nazianzenus orat. 15. tradit, *damnatis restare tormenta, et quod supra omnia est, abjici a Deo, et conscientiae pudorem, qui nullo fine clauduntur*. Hilarius can. 27. in Matth. de peccatore scribit: *Dominus adveniet, eumque a bonis quae spoponderat, dividet, portionemque ejus cum hypocritis in poenae perennitate constituet, quia mandatis non obtemperaverit*. Ambrosius lib. 2. de fide cap. 4. manichaeum alloquens, *Tu te*, inquit, *a diabolo creatum manichaee arbitraris. Ad illius ergo festina sedem, ubi ignis et sulphur, ubi non restinguitur ejus incendium, nec umquam poena moritur*. Hieronymus cujus auctoritate praecipue adversarii abutuntur comm. ad cap. 25. Matth. explicans illa verba, *Et ibunt hi in supplicium aeternum*, ita loquitur: *Prudens lector adverte, quod et supplicia aeterna sint, et vita perpetua metum deinceps non habeat ruinarum*. Comm. in Isaiam ad cap. 14. inquit: *Ubi sunt ergo qui dant diabolo poenitentiam, et dicunt illum posse mundari?* In cap. 3. Jonae ex professo Origenis refellit errorem dicens: *Sed hoc quia Scriptura sancta non dicit, et evertit penitus timorem Dei, dum facile homines labuntur ad vitia, putantes etiam diabolum qui auctor malorum est, et omnium peccatorum fons, acta poenitentia, posse salvari, de nostris mentibus abjiciamus, et sciamus peccatores in evangelio mitti in ignem aeternum qui praeparatus est diabolo et angelis ejus; et de his dici: Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur*. In apol. 1. adv. Ruf. sententiam hanc Origenis appellat apertissimam haeresim, eamque uti haereticam refellit. In cap. 4. Isaiae non solum daemonibus et infidelibus, sed peccatoribus etiam christianis assignat aeterna tormenta; ait siquidem: *Fame et siti peruent bonorum operum atque virtutum: et detrahentur in gehennam, ibique aeternis cruciatibus deputati potentiam et superbiam miseria cernent et humilitate mutari*. In cap. 3. Jonae praeter ea quae superius exscripsimus haec alia praeclarissima habet. *Si longos post circuitus, atque infinitis saeculis restitutio fiet ... quae distantia erit inter virginem et postribulum? Quae differentia inter Matrem Domini, et quod dictu quoque scelus est, victimas libidinum publicarum? Idemne Gabriel et diabolus? Idem apostoli et daemones? Idem prophetae et pseudo-prophetae? Idem martyres et peccatores? Finge quoslibet annos, et tempora duplicia, et infinitas aetates congere cruciatibus; si finis omnium similis est, praeteritum omne pro nihilo est: quia non quaerimus quid aliquando fuerimus, sed quid semper futuri simus*. Abeant ergo et glorientur si valent origenistae ac sociniani

de auctoritate Hieronymi. S. P. Augustini necesse non est afferre sententias quum ex professo opinionem refellat Origenis tamquam haereticam. Vide Fulgentium in lib. de fide ad Petrum cap. 43. Chrysostomum hom. 9. in 1. ad Cor. Leonem Magnum serm. 4. de collectis, Gregorium item M. lib. 34. mor. toto cap. 16. omnesque fere Patres.

Prob. 4. rationibus. I. angeli post peccatum et impii homines post mortem constituti sunt in termino. Qui autem in termino sunt statum mutare non possunt, juxta illud Eccle. cap. 11. *Lignum ... in quocumque loco ceciderit, ibi erit*. II. si finem damnatorum supplicia essent habitura liceret hominibus in hac vita degentibus pro illis orare sicut pro animabus in purgatorio existentibus. Non licet autem, ut patet ex praxi Ecclesiae tum ex Augustino de C. D. lib. 21. cap. 24. et ex M. Gregorio lib. 4. dial. cap. 44. III. talia sunt damnatorum supplicia ut plenam constituant pro impiis miseriam, sicuti beatorum proemia plenam constituunt pro illis felicitatem. Ast plena miseria stare nequit absque aeternitate, sicuti absque aeternitate consistere nequit plena felicitas. Atque allatae rationes pro iis valent qui Scripturarum admittunt auctoritatem cui singulae innituntur. Adversus illos autem qui verbum Dei revelatum contemnunt, sit

Prob. 5. ex omnium fere nationum consensu. Et veteres quidem judaeos aeternitatem admisisse poenarum satis ex Scripturis superius allatis apparet. Nec illas aliter a nobis intellexerunt, ut constat legenti Josephum lib. 2. de bello judaico, et lib. 8. antiq. cap. 2. De thalmudistis scribit Bartoloccius tom. 2. bibl. rabb. diss. de inferno, ex iis colligi, *infernum dari damnatorum, ibi ignem inextinguibilem, gelu, et alia tormenta reperiri: in eo animas tantum reperiri, et post judicium universale simul cum corpore impiorum usque in perpetuas aeternitates absque ulla spe salutis cruciandas fore*. Eamdem retinere fidem mahumetanos affirmat cl. Daniel Huetius in concord. fidei et ration. quamvis ad inferos non damnent nisi infideles. Eruditissimus idem scriptor ibid. lib. 2. cap. 24. haec scribit de graecis: *Nefarios detrudunt in horribile barathrum in quo fluvius ingens pyriphlegeton ex rapido et igneo fluvio Danielis, ut videtur, confictus ... spes illic omnis scelestis praecisa melioris sortis. Hinc Belidum inexplebile dolium, hinc aeterna illa Thesei sessio, hinc irremeabiles inferorum viae, hinc ferreae portae, et centum vectes ferrei*. Legatur Plato in Phoedone. Idipsum de damnatorum poenis credidisse romanos demonstrat Montfauconius tom. 5. antiq. illust. cap. 137. Et Virgilius de Thesei loquens supplicio scribit:

Sedet, aeternumque sedebit
Infelix Theseus, phlegiasque miserrimus omnes
Admonet, et magna testatur voce per umbras:
Discite justitiam moniti, et non temnere divos.

Diodorus siculus lib. 1. inquit aegyptios cum judaeis circa impiorum supplicia convenire. Unde mentitur apertissime auctor libri cui titulus, *protestans pacificus*, dum audacter affirmat neminem veterum in aeternitatem credidisse poenarum.

CAPUT VIII.

Praecipua adversariorum referuntur ac refutantur argumenta.

Obj. 1. cont. 1. th. Matth. cap. 8. ita daemones Christum alloquuntur: *Venisti ante tempus torquere nos*. Antehac itaque non torquebantur. II. et nullo quidem prorsus modo torquebantur, quoniam deprecabantur Christum ne detruderentur in abyssum, ut habetur Luc. cap. proxime laudato. Et cohaerenter utique ad illam Christi sententiam, Matth. cap. 25. *Ite in ignem aeternum paratum diabolo, et angelis ejus*. Si namque ignis paratus est diabolo, ab illo nunc non cruciantur, alioquin jam judicati essent; quum tamen judicium etiam angelorum non sit futurum nisi in novissimo die, dicente Apostolo ad Cor. 1. cap. 6. *Nescitis, quoniam angelos judicabimus?* III. et revera majorem habet probabilitatem sententia affirmans angelos malos ignis cruciatum manere post extremum judicium. Nam pro ea stant plerique Patrum. Eam tuetur sententiam Justinus martyr apol. 1. et Tertullianus apologet. cap. 17. et Tatianus orat. cont. gent. et Irenaeus lib. 5. cap. 26. et Minutius Felix in octavio, et Lactantius inst. lib. 7. cap. 29. et Epiphanius haer. 39. et Hieronymus in cap. 25. Isaiae, et Augustinus lib. 13. de C. D. cap. ult. et Theodoretus, Fulgentius, et alii quorum testimonia collecta invenies apud Petavium lib. 3. de ang. cap. 4.

Resp. ad 1. daemones fuisse de Christo conquestos quod venerit illos ante tempus torquere supplicio quo plectendi sunt in extremo judicii die, non quia venerit eos torquere supplicio simpliciter et absolute. Nam quamvis etiam nunc poena plectantur utraque, haec tamen non talis est quae augeri die judicii nequeat. Imo augebitur quam maxime, tum quia extrema illorum malitia toti manifestabitur orbi, tum quia non solum a Deo, sed a sanctis etiam hominibus quos semper odio habuerunt judicabuntur, tum denique quoniam ab eis omnis auferetur nocendi potestas. Quum Christus ergo daemones ab energumenis ejiciendo, potestatem ab eis nocendi hominibus abstulit, juxta illud Joan. cap. 12. *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*, conqueruntur dicentes, *Venisti ante tempus torquere nos*. Hinc apud Luc. cap. 8. sic daemon Christum alloquitur: *Obsecro ne me torqueas*, ac supplicii hujus rationem afferens Evangelista subdit: *Praecipiebat enim spiritui immundo, ut exiret ab homine*.

Ad 2. daemones autem Christum rogabant ne detruderentur in abyssum eo fine ut libera eis esset homines alios invadendi facultas, non vero ne poenis subjicerentur; nimia enim erga homines invidia exardescunt. Nec obstat quod ignis paratus dicatur diabolo et angelis ejus, nam dicitur id ad significandum eodem igne ac daemones torquendas esse animas impiorum, directa quippe sunt verba illa ad homines reprobos. Quod addunt de nihilo est. Nam angeli jam in judicio particulari judicati sunt, sed adhuc judicium experientur in universali consessu in

consummatione habendo saeculorum in quo etiam electi judices erunt ut inquit Apostolus.

Ad 3. Laudati in argumento Patres affirmant daemones non torqueri nunc poena sensus quoad locum in eo gradu et intensione qua cruciabuntur audita suprema judicis sententia, non absolute; ac si dicerent non omnes nefarios illos spiritus alligatos nunc in inferno retineri, nec tantam nunc illorum esse poenam quanta erit post extremam judicii diem. Quae duo vera utique sunt. Nam ex illis plurimos versari modo in aere animadvertimus tomo 3. de loco agentes angelorum. Et acerbius futurum eorum supplicium in novissimo die ex eo patet quod palam manifestabitur illorum malitia, atque potestas omnis nocendi hominibus auferetur illis a Deo. Nec ex quo nonnulli daemones versentur nunc in aere nec sint in inferis relegati consequitur sensus poena non cruciari. Nam quocumque daemones volitent sive in terris sive in aere ubique suam circumferunt gehennam, ut observat Beda in cap. 3. ep. Jacobi. Et quemadmodum angeli sancti tametsi ad hominum vigilent custodiam in terris, semper nihilominus vident faciem Patris qui in caelis est, ita et daemones quamvis nobiscum versentur in terra, debita tamen propriae malitiae experiuntur supplicia.

Obj. 2. cont. 3. prop. ex V. Testamento. Job cap. 24. legitur: *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, et usque ad inferos peccatum illius*. Loquitur hic certe Job de poenis inferni, et esse ibi ait calorem et frigus. Ast quod de frigore inquit intelligi nonnisi metaphorice potest, quum nec aquae ibi sint neque nives, dicente Zacharia cap. 9. de inferno: *Emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua*. Unde et ignis metaphorice sumendus est. II. Isaias cap. 66. haec habet: *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur*. En in inferno vermis et ignis. Verum quod ait propheta de vermibus numquid non accipitur metaphorice pro stimulis videlicet ac latratibus conscientiae? Neque enim vermis daemones corrodere potest aut animas quae entia sunt spiritualia vel ipsa corpora damnatorum quae in novissimo die resurgent incorruptibilia. Itaque metaphorice etiam accipi debet quod inquit propheta de igne.

Resp. ad 1. Missa illorum sententia qui putant esse in inferno ignem et glaciem, quae duo alternante caloris frigorisque cruciatu nefarios spiritus acerbius torqueant, Job laudatis in verbis minime loquitur de frigore atque calore quae sint in inferno, sed per aquas nivium nimiumque calorem vitia intelligit sibi contraria ad quae homines in hac mortali vita feruntur; ita ut sensus sit homines in hac vita peccatis sibi extreme contrariis saepe irretiri donec descendunt ad inferos. Ita M. Gregorius lib. 16. mor. cap. 27. cui consonat etiam Hieronymus.

Ad 2. dico 1. Etsi nomine vermis veniat etiam angor conscientiae, non est tamen consequens sumi non posse proprie etiam ac litteraliter. Nam Eccli. cap. 7. v. 19. legitur: *Vindicta carnis impii, ignis et vermis*. Et Judith cap. 16. v. 21. *Dabit ignem et vermes in carnes eorum*, quibus in locis de poenis damnatorum proculdubio Scriptura loquitur;

Quare S. P. Augustinus lib. 21. de C. D. cap. 9. ad illa Eccli. verba, *Vindicta carnis impii, ignis et vermis*, inquit: *Potuit brevius dici, vindicta impii. Cur ergo dictum est, carnis impii, nisi quia utrumque, idest, et ignis et vermis poena erit carnis?* Et Basilius in psal. 33. *In inferno*, ait, *vermium innumerabilium genus venenosum et carnivorum erit*. Sicut ergo in inferno vermes sunt litteraliter, ita et ignis. Quomodo autem ignis agere possit in spiritum et vermis in corpora incorruptibilia paullo post exponemus. 2. Non consistit comparatio. Non enim eodem modo de verme ac de igne loquendum est, nempe vermis tropice, ignis litteraliter est accipiendus; tum quia sacrae litterae quoties inferni describunt supplicia, semper ignem, rarissime autem vermem commemorant; tum etiam quoniam supremus judex in extrema die veluti per antonomasiam dicet damnatis, *Discedite a me maledicti in ignem aeternum*; tum denique quoniam repugnat veros esse in inferno vermes qui animas aut daemones crucient propter rationem in argumento allatam; non repugnat autem esse in inferno ignem qui animas impiorum ac desertores angelos et corpora quoque incorruptibilia miris sed veris modis exurat, ut deinceps ostendemus. Hinc S. P. Augustinus lib. 21. de C D. cap. 9. ad illa praecitata Eccli. verba, *Vindicta carnis impii, ignis et vermis*, inquit: *Eligat quisque quod placet, aut ignem tribuere corpori, animo vermem; hoc proprie, illud tropice; aut utrumque proprie corpori*. 3. Regula est Tichonii a S. P. Augustino adoptata et relata lib. 3. de doctr. chr. cap. 37. ut quoties aliquid in Scripturis occurrit quod litteraliter de uno enunciatur et mystice referatur ad aliud, non omnia et singula adamussim verificari de utroque debent: *Quod enim scriptum est apud Isaiam, quomodo caecidit de caelo lucifer mane oriens, et cetera quae sub figura regis Babyloniae de eadem persona, vel ad eamdem personam dicta sunt in ipsa contextione sermonis, de diabolo utique intelliguntur: et tamen quod ibi dictum est, Contritus est in terra qui mittit ad omnes gentes, non totum ipsi capiti congruit*. Hac posita regula facile intelligimus ignem apud eumdem Isaiam litteraliter, vermem figurate sumendum esse. Ad litteram enim vaticinatur propheta illorum exitum qui partes antiochi tenuerunt, mystice autem poenas describit damnatorum: unde non omnia congruere necesse est.

Obj. 3. cont. eamd. 3. thes. ex N. Testamento. Celebre illud testimonium divitis apud Lucam cap. 16. a theologis afferri solitum, *Crucior in hac flamma*, haud demonstrat inferorum ignem esse corporeum, quum ibi flamma tropice et figurate accipi debeat. Nam narratur ibidem divitem elevatis oculis et viso Lazaro in sinu Abrahae dixisse: *Mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, et refrigeret linguam meam*. Porro oculi lingua digiti metaphorice, non litteraliter tribuuntur animae. II. nec diversimode membra haec a flamma accipi debent. Nam Augustinus lib. 21. de C. D. cap. 10. ad illa, verba *Crucior in hac flamma*, inquit: *Dicerem quidem sic arsuros sine ullo suo corpore spiritus .... nisi convenienter responderi cernerem talem fuisse illam flammam, qua-*

les oculi quos levavit, *et Lazarum vidit*, *qualis lingua cui humorem exiguum desideravit infundi*, *qualis digitus Lazari de quo id sibi fieri postulavit*: *ubi tamen erant sine corporibus animae*. III. accedunt his etiam Patrum dicta. Gregorius M. lib. 15. mor. cap. 17. inquit: *Gehennae ignis cum sit incorporeus*, *et in se missos reprobos corporaliter exurat*, *nec studio humano succenditur*, *nec lignis nutritur*, *sed creatus semel durat inextinguibilis*. S. Joan. damascenus lib. 4. de fide orthod. cap. 28. *Tradentur*, inquit, *diabolus et daemones ejus*, *et homines*, *idest antichristus*, *et impii et peccatores in ignem aeternum*, *non materialem qualis est inter nos*, *sed qualem novit Deus*.

Resp. ad 1. Diversimode loquendum est de oculis et lingua divitis et digito Lazari, ac de flamma in qua dives cruciabatur, tum ob regulam S. P. Augustini superius traditam, tum ex quo nimis saepe in Scripturis dicitur ignis damnatorum supplicium, tum demum ex rerum ipsarum natura. Nam ideo oculi lingua aliaque humana membra metaphorice in allata historia vel parabola sumenda sunt, quoniam quum anima substantia sit mere spiritualis, repugnat humana illi adscribere membra quae sunt corporea. Ast non repugnat vel animas damnatorum vel malos angelos in flamma ignis torqueri, ut deinceps dicemus.

Ad 2. S. doctor laudato in loco demonstrat suam non carere probabilitate illorum sententiam qui affirmabant evangelicam de divite historiam narrationem quidem fuisse, sed per imaginariam visionem manifestatam. Nonnulli sane existimabant narrationem illam meram esse parabolam, alii autem veram historiam, quorum opinionem Augustinus lib. 33. contra Faustum tuetur, non pauci vero credebant illam veram quidem historiam, sed per imaginariam visionem manifestatam. Ut S. Pater pro sua singulari modestia ostenderet suam se non praeferre aliorum opinioni, inquit: *Dicerem quidem sic arsuros sine ullo suo corpore spiritus*, *sicut ardebat apud inferos ille dives* etc. nisi congruenter responderi posset omnia contigisse per ecstasim et imaginariam visionem; unde e vestigio subjungit: *Sic ergo incorporalis et illa qua flamma exarsit*, *et illa guttula quam poposcit*; *qualia etiam sunt visa dormientium*, *sive in ecstasi cernentium res incorporales*, *habentes tamen similitudinem corporum*. Ceterum si quis ambigere vellet Augustinum in lib. 21. de C. D. affirmare inferorum ignem esse corporeum manifestissime veritati contradiceret, a capite quippe 2. usque ad 9. totus est ut refellat incredulos asserentes non posse corpora damnatorum in ignis ustione esse perpetua. Cap. 9. variis ostendit argumentis in prophetica sententia, *Vermis eorum etc.* nomen ignis sumendum esse litteraliter, quamvis liberum faciat cuique intelligere illud de angore conscientiae. Cap. 10. ante allata in argumento verba haec alia habet: *Cur non dicamus*, *quamvis miris*, *tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse poena corporalis ignis affligi* ... *accipientes ex ignibus poenam*, *non dantes ignibus vitam*? Ac denique ita caput illud concludit: *At vero gehenna illa*, *quod etiam stagnum ignis et sulphuris dictum est*, *corporeus ignis erit*, *et cruciabit corpora damnatorum*.

Ex quibus apparet errasse Vellosillum atque Tournelium quorum primus affirmat Augustinum vim infirmare illorum verborum, *Crucior in hac flamma*, alter vero dubium fuisse de ignis inferni qualitate.

Ad 3. S. Gregorius appellat ignem inferni incorporeum, quoniam lignis non eget ut nutriatur, neque corporea virtute urit spiritum, ut ex ipsa verborum apparet lectione. Nam paullo ante recitatam sententiam dixerat: *Ignis corporeus ut esse ignis valeat, corporeis indiget fomentis. Qui cum necesse est, ut servetur, per congesta ligna proculdubio nutritur, nec valet nisi succensus esse et nisi refotus subsistere. At contra gehennae ignis etc.* Deinde putant eruditi viri Sixtus senensis, Petavius, et alii in Gregorii textu legendum esse non, *cum sit incorporeus*, sed e contra, *cum sit corporeus*, tum quia ita legitur apud S. Thomam, tum etiam quia id ferre videtur contextus. Damascenus autem vocat ignem inferni *non materialem*, comparate ad nostrum qui impurus admodum et crassus quum sit indiget fomentis ut servetur.

Obj. ultimo a ratione. Desertores angeli et animae impiorum entia sunt spiritalia quae a re corporea attingi non possunt. Spiritus namque sensum non habet qualis necessarius foret ut sensibili poena afficeretur. Unde ignis animas torquens ac daemones nequit esse corporeus. II. angeli mali nobiscum versantur in terra, et ab igne nihilominus cruciantur. Duo haec certa sunt. Verum si admittamus ignem a quo torquentur esse corporeum, jam universam terram incendio vastassent. Dicendum ergo non esse ignem illum corporeum.

Resp. ad 1. Non uno eodemque modo difficultatis hujus nodum theologi solvunt. 1. S. Bonaventura et Albertus magnus existimant ignem non esse per se spiritibus contrarium, ab eo tamen torqueri, quoniam ut contrarius ac disconveniens ab eis apprehenditur. Sed ab aliis opinio haec non admittitur propterea quod Scripturis et Patribus constat impios averni spiritus vere et proprie a vero realique igne torqueri. 2. Noster Aegydius et Okamus arbitrantur proficisci ex igne speciem quamdam quae in spiritibus impressa illos excruciet. Verum neque opinio haec satis firma videtur. Nam impressa illa species vel spiritualis est vel corporea. Si spiritualis, quomodo a materiali et corporeo igne emitti potest? Si corporea, nequit in spiritum agere sicuti agere in spiritum nequit ignis materialis. 3. Recentiores nonnulli thomistae censent ignem corporeum a Deo elevari ut agere in entia mere spiritualia valeat. Ast nullibi sive in Scripturis sive in Patribus legimus Deum hoc patrare miraculum ut supernaturalem igni corporeo tribuat virtutem. 4. Henricus Gandavensis et Suarez putant produci ab igne qualitatem quamdam spiritualem quae vim habeat nocendi spiritibus. Sed quomodo id quod mere corporeum est et materiale qualitatem producere possit spiritualem non satis percipitur. 5. Dicendum ergo cum Augustino nostro lib. 21. de C. D. cap. 10. *Si autem quisquam nulla habere corpora daemones asseverat, non est de hac re aut laborandum operosa inquisitione, aut contentiosa disputatione certandum*. Deinde dico animas impiorum ac daemones licet mere spi-

rituales sint, posse tamen ab igne materiali torqueri quatenus ipsi invito animo alligantur tamquam perpetuo carceri divinaeque justitiae instrumento. Praeter enim Petri ac Judae apostolorum testimonia superius frequenter memorata quae hoc innuere non obscure videntur, S. P. Augustinus loco nuper citato inquit: *Cur enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis, etiam spiritus incorporeos posse poena corporalis ignis affligi, si spiritus hominum etiam ipsi profecto incorporei, et nunc potuerunt includi corporalibus membris, et tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari? Adhaerebunt ergo, si eis nulla sunt corpora, spiritus daemonum, immo spiritus daemones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi: non ut ignes ipsi, quibus adhaerebunt, eorum junctura inspirentur, et animalia fiant, quae constent spiritu et corpore; sed ut dixi, miris et ineffabilibus modis adhaerendo, accipientes ex ignibus poenam, non dantes ignibus vitam.* Neque dici potest cum Petavio ejus modi poenam per alligationem pati posse a daemone etiam ab aere a glacie vel alio quovis corpore, quoniam a Deo igni, non aliis corporibus est indissolubiliter alligatus.

Ad 2. Ex dictis hactenus liquet quomodo angeli etiam qui in terra vel in aere versantur plectantur corporei ignis supplicio etiamsi secum ubique materialem non deferant ignem, sunt enim igni violenter alligati; et quamvis actu praesentem inferorum ignem non habeant, sciunt tamen alligationem sibi deberi, quod satis est ad angorem sensibileque tormentum in eis excitandum, quemadmodum ex aequo intuitiva gaudent angeli sancti ad hominum custodiam deputati visione ac qui actu vident faciem Patris qui in caelis est.

CAPUT IX.

Praecipua illorum qui poenarum negant aeternitatem referuntur ac refutantur argumenta.

Obj. 1. ex V. Testamento. David psal. 48. sic inquit: *Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi*. Et psal. 85. *Eruxisti animam meam ex inferno inferiori*. Quare veniet tempus in quo inferorum supplicia cessabunt. II. idem David psal. 139. de damnatis verba faciens affirmat, quod *cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos; in miseriis non subsistent*; atque idcirco vel penitus destruentur vel a poenis liberabuntur, in miseriis quippe non subsistent. III. eam esse dicit psalmista divinam misericordiam ut damnatorum misereri tamdem velit, psal. namque 76. ait: *Numquid in aeternum projiciet Deus, aut non apponet, ut complacitior sit adhuc? Aut in finem misericordiam suam abscindet a generatione in generationem; aut obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas?* Et psal. 102. *Dominus misericors non in perpetuum irascetur, neque in aeternum comminabitur*. IV. Isaiae cap. 24. *Congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, et claudentur ibi in carcere, et post multos dies visitabuntur*. Hic sermo

fit de damnatis in inferorum lacu seu carcere detentis. Quum autem sint visitandi, aliquando a suppliciis subtrahentur. V. nec mirum, nam Deut. cap. 25. dicitur quod *pro mensura peccati erit et plagarum modus*, et Apoc. 18. *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum*. VI. etiam Lucae cap. 12. legitur reddituros damnatos usque ad minimum quadrantem, unde fit ut damnatorum poenae sint aliquando finem habiturae.

Resp. ad 1. Davidem loqui de seipso adhuc vivente, non de animabus corpore solutis. Quum enim gravium scelerum suorum ob quae aeterna inferorum tormenta promeruerat, Dei adjuvante gratia poenitentiam tandem egerit, de collato beneficio gratias Deo agens confitetur se erutum esse ex inferno inferiori ac de manu redemptum inferorum, unde inquit ibidem, *Glorificabo nomen tuum in aeternum, quia misericordia tua magna est super me*.

Ad 2. In eodem psal. idem David de impio jam dixerat, *Usque in aeternum non videbit lumen;* unde cum postea inquit, *In miseriis non subsistent*, idem est ac si dixerit: miseriae illorum erunt intollerabiles. Imo si textus attendatur hebraicus contraria ibi continetur origenistis sententia, ubi enim nos legimus, *In miseriis non subsistent*, hebraice juxta Hieronymi versionem habetur, *Unde numquam emergent, ut non consurgant.*

Ad 3. Eadem Scriptura quae tam mirifice Dei misericordiam commendat extollit etiam plurimum divinam justitiam, ac docet ad poenas aeternas Deum animas impiorum damnare. David ergo memoratis in argumento locis et alibi saepe loquitur de misericordia quam Deus cum electis suis in hac vita exercet, quaque facit ut tentati non cadant vel si ceciderint de patrato malo poenitentiam agant atque resurgant. Hinc ait ibidem, *Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis*. Et S. P. Augustinus lib. 21. de C. D. cap. 24. *Omnium itaque*, ait, *miseretur vasorum misericordiae. Quid est omnium? Et eorum scilicet quos ex gentibus, et eorum quos ex judaeis praedestinavit, vocavit, justificavit, glorificavit, non omnium hominum, sed istorum omnium neminem damnaturus*.

Ad 4. Loquitur Isaias de visitatione non gratiae et misericordiae, sed poenae atque judicii. Significare quippe vult quod impiis post brevem hanc vitam claudentur in carcere, et in fine mundi sistent se coram supremo judice ad propriam audiendam sententiam. Patet id ex integri capitis lectione, et ex quo sumat visitationis nomen pro poena, quum dicat cap. 26. *Visitasti, et contrivisti eos*, et cap. 29. *Visitabitur in tonitruo*, et ex quo Sophonias etiam ad ultimum exprimendum judicium consimilem usurpet phrasim dicens, *Visitabo super viros defixos in foecibus suis*.

Ad 5. Nihil pro origenistarum sententia ex Deuteronomii et Apoc. textibus colligi potest; in primis quoniam relata verba non demonstrarent modo inferni supplicia non fore aeterna, sed nec diuturna, quod est contra mentem Origenis qui pro uno superbiae actu adscribit angelis malis plurium saeculorum tormenta. Nam si de temporis spatio laudati textus

forent intelligendi, qui minimam peccando expertus est voluptatem minuto temporis inferorum poenis torquebitur. Deinde *non propter aequale temporis spatium, sed propter vicissitudinem mali, idest, ut qui mala fecerit, mala patiatur, eamdem dictam fuisse mensuram*, inquit S. P. Augustinus lib. 21. de C. D. cap. 11.

Ad 6. Testimonium Lucae intelligitur revera de purgatorio in quo piorum animae detinebuntur donec reddiderint novissimum quadrantem, quum in regnum caelorum non ingrediatur aliquod coinquinatum et abominationem faciens. Quod si locus ille de suppliciis intelligatur reproborum particula, *donec*, idem valet ac, *numquam*, ut Gen. cap. 8. *Corvus non revertebatur, donec siccarentur aquae*, scilicet numquam reversus est, cujus generis exempla innumera sunt in Scripturis.

Obj. 2. ex N. Testamento. Qui fidem habet et baptismum, qui ad dominicam mensam accedit, qui stipem largitur pauperibus salutem consequitur et vitam aeternam. Nam Marci cap. 16. *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*. Joan. cap. 6. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam*. Matth. cap. 19. *Da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo*. Hi ergo saltem ab inferorum poenis aliquando subtrahentur, alioquin vana esset divina promissio. II. Apostolus in 1. ad Cor. cap. 3. *Si quis*, inquit, *superaedificaverit foenum, ligna, stipulam, salvus erit quasi per ignem*. Qui supra fidei fundamentum foenum ligna stipulam aedificat, credit quidem, sed peccat. De eo tamen dicitur quod salvus erit per ignem. III. ibidem cap. 15. haec alia habet Apostolus: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur ... Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus ejus. Novissima autem inimica destruetur mors. Omnia enim subjecit sub pedibus ejus. Cum autem dicat, omnia subjecta sunt ei, sine dubio praeter eum qui subjecit ei omnia. Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse filius subjectus erit ei qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus*. In hoc testimonio maxime fidunt adversarii, nam inquiunt 1. Juxta Apostolum omnes vivificari debent per Christum quomodo omnes per Adam moriuntur. Quare etiam damnati tandem vitam recipient. 2. Ait Paulus: *Novissima mors destruetur*. Quid est autem mors novissima nisi mors secunda? 3. Omnia tandem subjicienda erunt Deo, adeoque et damnati; unde ad Colos. cap. 1. idem Apostolus scribit Christum pacificaturum per sanguinem ejus sive quae in terris sive quae in caelis sunt.

Resp. ad 1. Qui recensitas in argumento virtutes exercuerit salutem habebit ac vitam aeternam dummodo absque lethalis macula peccati ex hac vita decedat. Principio itaque allatum argumentum nimis quam par sit demonstrat, videlicet si consistat, probat eum qui fidem habet aut ad Domini mensam accedat, vel stipem tribuat pauperibus, nullo modo neque ad tempus ad inferni supplicia fore damnandum, de illo quippe dicitur, *salvus erit, habebit vitam aeternam*. Sensus ergo Scripturae est hominem qui fidem habeat atque baptismum et ad mensam accedat do-

minici corporis, et eleemosynam pauperibus elargiatur, dummodo tamen totam impleat legem, vitam aeternam consecuturum. Inquit enim Jacobus in sua ep. cap. 2. *Fides sine operibus mortua est*. Et rursus: *Quid prodest, fratres mei, si quis dicat fidem se habere, opera autem non habeat? Numquid fides poterit salvare eum?* Et ille idem qui dixit, *Qui manducat meam carnem* etc. Et, *Date eleemosynam* etc. dixit etiam Matth. laudato cap. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Vide Augustinum lib. 21. de C. D. cap. 26. et lib. de fide et oper. cap. 14. et sequentibus, quibus in locis haec aliaque origenistarum solvunt argumentum.

Ad 2. Apostolum laudato in loco verba facere de illo qui peccat non lethaliter, sed venialiter, deque hujusmodi homine inquit: *Salvus erit quasi per ignem*. Eo enim in capite tria hominum genera distinguit. Alii, inquit, fidem habent, ac supra fidei fundamentum aedificant *aurum, argentum, et lapides pretiosos*, hoc est legis praecepta servant, *et hi mercedem* accipient. Alii supra fidei fundamentum aedificant *foenum, ligna, stipulam*, nempe venialiter delinquunt, atque hi salvi erunt *quasi per ignem*, scilicet vel per tribulationes in hac vita vel per purgatorii ignem in altera. Sunt denique et alii qui violant templum Dei, et disperdet illos Deus, hi nimirum fundamentum nullum habent, quia *qui ... homicidium, adulterium, fornicationem, idololatriam, et similia quaeque commiserit ... amisso fundamento, aeterno igne torquebitur*, inquit Augustinus lib. de 8. qq. Dulcitii q. 1. ubi fuse hoc versat argumentum. Et revera non quaecumque fides, juxta Apostolum, est fides Christi, et ideo ejusmodi quae valeat poni in fundamento Christo, sed fides *quae per dilectionem operatur*.

Ad 3. Apostoli scopus laudato in loco est hortari fideles, et quidem justos ad patienter praesentis vitae calamitates sustinendas; assumens pro motivo gloriosam ipsorum futuram in die judicii resurrectionem, ac dicens omnes ad Christi imitationem resurrecturos, *Primitiae Christus, deinde ii qui sunt Christi, qui in adventu ejus crediderunt*. Hac autem occasione fuse explicat quae facturus est Christus in fine saeculi. Unde cum inquit, *In Christo omnes vivificabuntur*, idem est ac si dicat omnes justi per merita Christi resurgent. Cum addit, *novissima autem destruetur mors*, exprimere intendit quod in extrema judicii die Deus pater primo sub pedibus filii sui ponet omnes inimicos, videlicet daemones atque reprobos, novissime autem et ipsa mors destruetur quoniam corpora electorum evadent incorruptibilia ut mors ultra illis non dominetur. Hinc S. P. Augustinus lib. 6. op. imp. cont. Jul. cap. 37. *Tunc utique*, inquit, *novissima destruetur* (mors) *cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem. Quod proculdubio de resurrectione corporis quae tunc erit, contra mortem corporis quae nunc est, dictum esse perspicimus*. Hactenus S. Pater. Tandem absoluto judicio, *Filius subjectus erit ei qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus*. Christus scilicet per suam humanitatem subjiciet se Patri, eique subjiciet etiam omnes electos quos redemit: *Quid*

est enim aliud, inquit S. P. Augustinus lib. 22. de C. D. cap. 30. *quod per profetam dixit, Ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi plebs, nisi ego ero unde satientur ...? Sic enim et illud recte intelligitur quod ait Apostolus: ut sit Deus omnia in omnibus*. Nullimode ergo origenistarum caussam juvat prior illa ex Apostolo allegata sententia. Sed neque altera quam ita explicat Augustinus enchir. cap. 62. *Instaurantur quippe* (in Christo) *quae in caelis sunt, cum id quod inde in angelis lapsum est, ex hominibus redditur: instaurantur autem quae in terris sunt, cum ipsi homines qui praedestinati sunt ad aeternam vitam, a corruptionis vetustate renovantur*.

Obj. 3. pro pravo systemate socinianorum. I. Apoc. cap. 21. legitur: *Qui sedebat in throno* (dixit,) *Ecce nova facio omnia*. Quare etiam damnati sunt renovandi. Renovare autem aliquid est in pristinam formam illud restituere, atque si de rationali creatura loquamur est omni illam vitio exuere ac pristino reddere candori pront *vetus* et *novum* in sacris litteris usurpatur. II. in ep. ad Rom. cap. 9. sors reproborum post mortem appellatur *interitus*. Matth. cap. 6. dicitur *perditio*. Et in Apoc. vocatur *mors*. Animae itaque damnatorum et angeli mali in nihilum tandem redibunt. III. etsi Deus in Scripturis aeternas comminatus sit poenas damnatis, non sequitur proinde futuras illas esse aeternas. Nam hoc est inter promissiones ac comminationes discrimen, quod promissor jus alteri tribuit adversus seipsum, qui autem minatur jus retinet minas exequendi vel non exequendi. Accedit quod multae propositiones quae in sacris litteris videntur absolutae, revera comminatoriae sunt et conditionatae ut a ninivitarum arguere possumus exemplo.

Resp. ad 1. Verba Apoc. de gloria intelligenda sunt ac felicitate sanctorum quatenus post saeculi finem nullum aliud subeundum illis erit judicium, sed vitam aeternam cum corporis incorruptibilitate possidebunt. Nam paullo ante allata verba graphice veluti descripserat novam Jerusalem sanctam civitatem descendentem de caelo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo, tum ait se omnia vidisse innovata, postea concludit: *Qui vicerit, possidebit haec*. Nonne haec intelligenda sunt de animabus sanctorum? E contra capite praecedenti de diabolo qui seducebat homines loquens inquit missum esse in stagnum ignis et sulphuris ubi torquebitur in aeternum: *Bestia et pseudo-propheta cruciabuntur die ac nocte in saecula saeculorum*. Et cap. eodem 21. haec de peccatoribus scribit: *Timidis autem, et incredulis, et excaecatis, et homicidis, et fornicatoribus, et veneficis, et idololatris, et omnibus mendacibus, pars illorum in stagno ardente igne et sulphure, quod est mors secunda*, quae duratura est in aeternum, quoniam in vitam aeternam *non introibit aliquid coinquinatum et abominationem faciens, nisi qui scripti sunt in libro vitae agni*, ait ibidem Joannes.

Ad 2. *Interitus, perditionis, ac mortis* nomine sacra Scriptura ubi loquitur de damnatis intelligit diras illorum poenas et quidem aeternas, non illorum reditum in nihilum. Idque non solum patet ex SS. PP. qui sem-

per eo sensu acceperunt memoratas phrases, sed ex eadem quoque Scriptura, et in allegatis in argumento locis. Christus Judam appellat filium perditionis, sed statim subdit, *Melius illi erat, si natus non fuisset*. Quod si Judas proditor perdendus esset in sensu socinianorum numquid recte Christus dixisset, *Melius illi erat, etc*? Paulus qui in ep. ad Rom. impios abituros inquit in interitum de iisdem impiis loquens in ep. ad Colos. cap. 1. inquit: *Poenas dabunt in interitu aeternas*. Joannes in Apoc. optime explicat quomodo impii in inferis moriantur dicens: *Pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure: haec est mors secunda*. Ratio autem cur Scriptura his appellet nominibus supplicia damnatorum affertur ab Augustino serm. 306. de sanctis, alias 112. de divers. cap. 5. *Sed vide Scripturam loquentem et discernentem: non est dignata talem vitam vocare vitam. In cruciatibus, in tormentis, in ignibus sempiternis noluit appellare vitam: ut ipsum nomen vitae laudis sit, non moeroris; ut ubicumque audis vitam, tormenta non cogites. Nam in tormentis esse semper, aeterna mors est, non aliqua vita. Ipsam vocant Scripturae mortem secundam, post hanc primam quam omnes humanae conditioni debemus*.

Ad 3. Non inquirimus modo quid Deus facere possit, sed quid sit ipse facturus. Deus plane de potentia absoluta potest damnatorum poenis finem tandem imponere, sed postquam tam expresse tam luculenter in Scripturis revelavit velle se de peccatoribus reprobis vindictam sumere *in perpetuum, in aeternum, in saecula saeculorum*, affirmare velle tandem parcere damnatis non est facere Deum mutabilem? Neque regeri potest sententias ubi sermo fit de aeterno impiorum cruciatu comminatorias esse atque conditionatas ut illa fuit adversus ninivitas lata. Nam nec minima apparet circumstantia quae meram indigitet comminationem, sed ubique Deus absolute loquitur, ut ex locis allatis apparet.

Obj. 4. ex SS. PP. Justinus martyr in dial. cum Tryph. adstruere videtur impiorum tandem animas esse interituras, ait enim: *Atque ita animae quae Deo dignae apparuerint, non moriuntur amplius: illae vero* (impiorum) *puniuntur, quandiu eas et esse et puniri Deus voluerit*. II. adstipularet Irenaeus lib. 2. cap. 64. dicens animas tamdiu existere, *quoadusque eas Deus et esse et perseverare voluerit*. III. Arnobius adv. gent. lib. 2. affirmat damnatorum animas esse mediae et ancipitis naturae inter mortem et vitam, et explicans in quo medietas haec et ambiguitas consistat, inquit consistere in eo quod impiorum animae interiturae sint aliquando. IV. Gregorius nyssenus in orat. catech. 26. sic ait: *Post longos temporis circuitus auferendum a natura malum, hominem a malitia liberandum, ipsumque mali inventorem* (diabolum) *sanandum, ut omnibus in pristinum statum restitutis, creatura omnis una voce gratias agat*. Cap. autem 36. subdit: *Manifestum est autem, auro adulterino, confusoque et non sincero convenire fornacem, ut cum eis mixtum vitium fuerit liquefactum, longis postea saeculis Deo pura conservetur natura*. V. alter autem Gregorius nempe nazianzenus orat.

in sanct. lum. de novatianis haereticis loquens scribit: *Atque hi quidem nostra, si velint, atque adeo Christi via; sin minus sua insistant. Forte illi baptizabuntur ultimo baptismo, qui laboriosior est et longior, quique materiam, ceu foenum depascitur, et omnis malitiae levitatem consumit*. Et orat. 40. ad fidem non pertinere docet sententiam illorum qui vel tenent vel negant aeternitatem poenarum. Ait quippe: *Atque his formidabilior est adhuc ille qui cum insomni illo verme conjunctus est, nec umquam extinguitur; verum in sceleratorum hominum poenas sempiternus est. Hi enim omnes eam vim habent ut perdant; nisi malit quisquam hoc humanius, et ut puniente dignum est, intelligere*.

Resp. ad 1. S. Justinus in dial. cum Tryph. de animarum pertractat immortalitate, ac diserte statuit animas esse revera immortales. *Verum enim vero* (inquit paullo ante commemorata in argumento verba) *non mori universas animas affirmo. Revera enim malis optandum id, et opportunum esset*. Inquirit deinde quomodo animae sint immortales, an natura sua ut Deus, an ex ejusdem Dei voluntate ac beneplacito, aitque immortales esse ex Dei voluntate qui eas destruere potest quandocumque illi libuerit. En illius verba: *Quaecumque secundum Deum sunt aut erunt umquam, ea naturam corruptibilitati obnoxiam obtinent, abolerique, et ulterius non extare possunt. Solus autem ingenitus et incorruptibilis Deus, et propterea Deus est; omnia vero reliqua genita sunt et corruptibilia*. Quare cum S. martyr addit animas impiorum punitum iri a Deo, *quandiu eas et esse et puniri Deus voluerit*, idem est ac si dicat animas illas immortalitate ut Deus non gaudere ex natura sua, quod ipse eo loci demonstrandum assumit. Ceterum in apol. ad senatum ubi christianorum sui temporis sententiam ex professo recitat haec luculentissima inter cetera habet: *Quoniam Deus ab initio liberum angelorum et hominum genus creavit, merito eorum quae peccaverint in aeterno igne persolvent. Sed ne quis dicat id quod ab iis etc.*

Ad 2. eadem sit solutio. Nam etiam Irenaeus demonstrat ibi animarum immortalitatem a libera Dei pendere voluntate, ita enim ante memorata verba scribit: *Quae autem sunt ab illo omnia quaecumque facta sunt et fiunt, initium quidem suum accipiunt generationis, et per hoc inferiora sunt ab eo qui ea fecit, quoniam non sunt ingenita: perseverant autem et extenduntur in longitudinem saeculorum secundum voluntatem factoris Dei, ita ut sic initio fierent: et postea ut sint eis donat*. Quod vero Ireneus poenarum admiserit aeternitatem patet ex iis quae superiori capite adduximus, et ex iis quae lib. 5. cap. 27. habet ubi tradit Dominum in fine saeculorum venturum *colligere zizania, et fasciculos alligare, et comburere igne inextinguibili: et agnos quidem vocare in perpetuum regnum, hoedos autem in aeternum ignem mittere*.

Ad 3. Nonnulli respondent Arnobium libros septem cont. gent. scripsisse antequam christianae religionis mysteriis initiaretur eo fine ut africanos episcopos de sincera sui conversione dubitantes redderet sibi benevolos, unde nil mirum, inquiunt, si de poenarum aeternitate homo stoi-

cus non tam recte pertractat. Sed obscura Arnobii sententia interpretari commode potest in sensu superius exposito. Is nempe denegare videtur animae illam immortalitatem quae competit Deo. Ait enim ibidem: *Non ergo natura, sed voluntate Dei patris ac munere. Quo igitur pacto immortalitatis largitio est donum Dei, certe prolatis, et animas hoc pacto dignabitur immortalitate donare, quamvis ea mors saeva posse videatur extinguere, et ad nihilum redactas irremeabili abolitione delere.* Ideo autem animae conditionem appellat mediae ancipitisque naturae inter vitam et mortem, quoniam triplicis generis adstruit ens, immortale videlicet natura sua et est Deus, mortale et sunt corpora omnia, et mediae naturae inter vitam ac mortem et est anima cujus immortalitas a divina pendet voluntate. Ceterum Arnobius in eodem opere aperte tradit poenarum aeternitatem scribens: *Audetis ridere nos, cum gehennas dicimus, et inextinguibiles quosdam ignes in quos animas dejici ab earum hostibus, inimicisque cognovimus.*

Ad 4. Nonnulli vim sentientes argumenti, verborum Nysseni sensum mirifice extorquent. Probabilior mihi illorum responsio videtur qui dicunt praeclarissimi patris hujus scripta ab origenistis ut auctoritatem proprio conciliarent errori fuisse interpolata. Nititur solutionis hujus veritas Germani patriarchae C-P. fidei, et Photii critici emunctissimae naris, et Nicephori non infimi subsellii historici. S. Germanus in lib. *retribuens et legitimus*, tradit, *Gregorium nyssenum episcopum, ejusque scripta ab Origenis errore esse immunia*. Ita apud Photium in bibliot. cod. 233. qui postquam laudata S. Germani verba exscripsit ita subdit: *Etenim quibus delirium illud placet, daemonibus et hominibus in aeternam poenam conjectis liberationem inde esse expectandam; illi quod viri doctrinam singularem et eloquentia insignem cum agnoscerent, claramque sanctitatis existimationem per omnium ora decantatam viderent, aggressi sunt claris, ac salutaribus ejus scriptis obscura ac perniciosa origeniani somni venena admiscere ... Quare partim additamentis falsis, partim rectis argumentis violenter detortis, multa ex irreprehensibilibus ejus monumentis calumniari conati sunt. Contra quos Germanus etc.* Prosequitur subinde Photius apologiam S. Gregorii contexere, ad cujus finem inquit: *Libri autem quos excipere insidiis haeretici moliti sunt, et quos Germanus veritatis propugnator primarius a latronum insultu sine noxa servavit, sunt dialogus ad Macrinam sororem de anima, et liber catechisticus, et ille qui de perfecta vita rationem continet.* Eadem habet Nicephorus lib. 2. H. E. cap. 19. ubi narrat origenistas Gregorii nysseni librum de anima ad Macrinam Sororem interpolasse. Nihil ergo ex Gregorio nysseno conficere novi origenistae possunt.

Ad 5. Quod Gregorius nazianzenus diuturniores appellet damnatorum quam aliorum poenas, non demonstrat ipsum existimasse aeterna impiorum tormenta non esse. Nam et nos dicimus et quidem recte longiorem esse inferni quam purgatorii cruciatum. Vel dici etiam potest Nazianzenum credidisse non adeo novatianorum errorem gravem fuisse ut

supplicia mereretur inferorum. Nam Basilius quoque in ep. 1. ad Amphil. novatianorum sententias dicit *medicabiles quaestiones*. Aliud ex eodem Gregorio desumptum facile explicatur si dicamus dubitationem illius versari non circa poenarum durationem sed circa illarum intensionem et acerbitatem, ac si dicat se non repugnare si quis credat non tantae futura acerbitatis damnatorum supplicia ut vulgo dici solet. Quod vero nobiscum S. doctor sentiat, constat ex illius orat. 15. ubi praeter ea quae superiori capite citavimus praeclarissima haec alia habet: *Hos* (reprobos) *autem simul cum aliis, vel potius ante alia istud excruciabit, quod a Deo projecti sint, atque inustam in conscientia sempiternae ignominiae notam gerant*.

Obj. 5. S. Hieronymus comm. in cap. 66. Isaiae exponens illa verba, *Ignis eorum non extinguetur*, plura congerit testimonia Scripturarum origenis opinioni faventia, ea recitat nec refellit. Et in ep. ad Gal. *Nullam*, inquit, *rationabilium creaturarum apud Deum perire in perpetuum*. II. in cap. 66. citatum Isaiae non modo non refellit, sed etiam origenianam sententiam approbare videtur; sic enim ibidem ait: *Sicut diaboli, et omnium negatorum atque impiorum qui dixerunt in corde suo: Non est Deus, credimus aeterna tormenta; sic peccatorum ac impiorum, et tamen christianorum quorum opera in igne probanda sunt atque purganda, moderatam arbitramur, et mixtam clementiae sententiam judicis*. Hoc idem repetit in dial. adv. Pelag. ubi ita scribit: *Si autem Origenes omnes rationales creaturas dicit non esse perdendas, et diabolo tribuit poenitentiam, quid ad nos qui et diabolum et satellites ejus, omnesque impios et praevaricatores dicimus perire perpetuo, et christianos, si in peccato praeventi fuerint, salvandos esse post poenas?* Alia ibidem hujus salivae habet.

Resp. ad 1. Hieronymum laudatis in locis recitare quidem sententiam Origenis, Scripturarum afferre testimonia quibus origenistae abutuntur, illaque non explicare, sed nihil proinde contra nostram sententiam deduci potest. Nam si non refellit errorem illum, tamen non approbat, et interim alibi a S. doctore refutatur. Quod recitet dumtaxat sententiam Origenis patet tum ex quo series illa orationis quam Hieronymus ibi habet, ad verbum reperitur in Origene tom. 2. hom. 9. in Matth. et ex quo post verba ex comm. in ep. ad Gal. recitata subjungat, *hucusque Origenes*, tum etiam ex familiari Hieronymi consuetudine referendi promiscue in commentariis placita aliorum nulla nota distinctionis apposita, in quo reprehensus olim a Rufino magnorum sese excusat virorum exemplo, quos inter citat etiam Origenem. Quod vero Origenis non approbaverit errorem patet ex quo cum Rufinus id illi exprobrasset apol. 1. adv. Ruf. cap. 4. ita calumniam a se propulsat: *Ego in commentariis sic Origenem et Dydimum et Apollinarem secutus sum, qui certe contraria inter se habent dogmata, ut fidei meae non amitterem veritatem*. Ac denique quod alibi hunc errorem Origenis strenue refutaverit tam ex ejus sententiis superiori capite allatis tam ex iis quae habet in cap. 3.

Jonae, ubi eorum recitata opinione qui tenent diabolum poenitentiam acturum, ita disserit: *Sed hoc quia sacra Scriptura non dicit, et evertit penitus timorem Dei, dum facile homines labuntur ad vitia, putantes etiam diabolum qui auctor malorum est et omnium peccatorum fons, acta poenitentia, posse salvari, de nostris mentibus abjiciamus: Et sciamus peccatores in evangelio mitti in ignem aeternum qui paratus est diabolo et angelis ejus: de his dici: Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur.* Non patrocinatur ergo Hieronymus origenistarum errori.

Ad 2. Affirmat Hieronymus iniquos et peccatores christianos non perire in aeternum si ex hac vita cum solo veniali, non autem si cum lethali peccato decedant. Hanc esse illius mentem colligitur vel ex ipsis recitatis verbis. In priori enim allato testimonio loquitur de christianis peccatoribus, *quorum opera in igne probanda sunt atque purganda*. Et in altero, quum primo dicat, *diabolum et satellites ejus, omnesque impios et praevaricatores perire perpetuo*, addens subinde, *christianos si in peccato praeventi fuerint, salvandos esse post poenas*, satis superque demonstrat se verba facere de iis qui ex hac vita cum veniali dumtaxat discedunt; proindeque non de inferni sed de purgatorii se loqui tormentis. Non dubito quin haec fuerit Hieronymi mens, alioquin novi fuisset inventor systematis, diversimode nempe de daemonibus et infidelibus ac de peccatoribus christianis sensisset, contra quam fecerit Origenes, cujus tamen erroris a nemine veterum redarguitur. Deinde turpiter admodum sibi contradiceret, quum catholicam sententiam pro aris et focis alibi propugnaverit, ut in superioribus vidimus. Ac denique nimis clare S. doctor allegatis in locis duo genera distinguit peccatorum quorum alios appellat *impios*, alios simpliciter *peccatores* et *iniquos*. Inquit enim: *Omnis impius iniquus est et peccator, nec reciprocatur ut possimus dicere: omnis peccator et iniquus etiam impius est.* Nomine impiorum intelligit atheos, infideles, haereticos, et in legem graviter delinquentes. Per peccatores autem et iniquos eos intelligit quos patratorum poenituit jam delictorum, vel venialiter tantum deliquerunt. Nam de peccatoribus et iniquis Hieronymus addit: *Unde scriptum est: Multa flagella peccatoris, et non interitus sempiternus; et per omnia flagella et cruciatus emendatur Israel; quem enim diligit Dominus corripit; flagellat autem omnem filium quem recipit.* Quare cum inquit iniquos et peccatores non perire in aeternum, loquitur de iis qui cum solo veniali vel cum lethali cujus illos poenituit ex hac vita decedunt. Si quis autem quaerat cur iis in locis tales affixerit Hieronymus nominibus *impiorum* ac *peccatorum* notiones, respondendum est quia agebat contra pelagianos qui inter lethale ac veniale peccatum non distinguentes, sententiam illam, *In die judicii, impiis et peccatoribus non est parcendum, et aeternis ignibus exurendi sunt*, ceteroquin catholicam, usurpantes affirmabant quemlibet hominem ex hac vita cum solo veniali discedentem aeternis fore cruciatibus plectendum, purgatorium denegantes. Ita pelagianos sensisse docet

Augustinus de gest. Pelag. cap. 3. Unde apposite Hieronymus inquit: *Quidquid Origenes de inferni poenis crediderit, cujus opinionem non approbo, christiani si in peccato veniali fuerint praeventi, salvi erunt post poenas.*

Obj. ultimo. Poenarum aeternitas opponitur I. divinae justitiae. Nam divinae justitiae dos est rependere culpae poenam aequalem. Verum ubi est aequalitas, si peccato temporis momento patrato suppliciorum assignetur aeternitas? II. divinae providentiae quae rationalem condidit creaturam propter intuitivam Dei visionem, ut ex indita nobis ad summum bonum inclinatione colligitur. Frustratur autem haec inclinatio si inferorum tormenta finem aliquando non sint habitura. III. divinae misericordiae qua major cogitari non potest. Ast poenarum posita aeternitate Deus non misericors, sed saevus foret atque crudelis, quum non emendationem sed inutilem punitionem a sontibus quaereret.

Resp. Quaestionem hanc de poenarum aeternitate, hujusque generis alias non ab humana esse ratiocinatione definiendas, sed Scripturarum oraculis ac traditionis auctoritati esse acquiescendum. Quare etiamsi allata a ratione argumenta insolubilia forent, non proinde nostram sententiam abjiceremus, quum clare nimis in Scripturis contineatur et traditione. Verum non tanti ponderis allatae argutiunculae sunt, ut levissimo solvi non queant brachio. Unde ad 1. Nonne inter Deum et creaturas infinita existit distantia? Patet id collatione inter divinas humanasque operationes. Quis itaque homo tam audax erit ut mensuram definire praesumat quam Deus in creaturarum puniendis sceleribus debeat adhibere? Optime Augustinus cont. manich. lib. de nat. boni cap. 31. ajebat: *Quia cuique culpae qualis et quanta debeatur poena, divini judicii est, non humani, sic scriptum est: O altitudo divitiarum etc.* Deinde inter poenam et culpam proportio non a tempore sumenda est quo fuit illa patrata. In humanis constrictus vinculis pendit annosas poenas servus qui verbo vel ictu celerrime transeunte vel lacessivit dominum vel plagavit: alii ignominia, exilio, servitute sic damnantur ut nulla venia eis umquam relaxentur: item alius aufertur in sempiternum de societate viventium propter homicidium, adulterium, sacrilegium quae brevissimo tempore perpetrantur; et qui temporis puncto lethale patravit peccatum in inferorum suppliciis deberet a Deo detineri temporis uno momento? Gravitas ergo poenarum dimetienda est a gravitate peccati, quae quum comparate ad personam offensam sit infinita, vel saltem ita summa ut limites ejus a nobis ignorentur, correspondere utique ei debet aeternum supplicium etiamsi fuerit in temporis puncto patrata; quemadmodum martyrio temporis puncto consummato rependit Deus in caelis aeternam mercedem.

Ad 2. Haud divinae providentiae aeternitas repugnat suppliciorum. Deus utique hominem creavit propter intuitivam sui visionem, sed condidit illum liberum legisque subditum observationi, cum ea scilicet conditione, ut si latam sibi legem servaret Deo frueretur, sin minus poenas suae transgressionis sustineret. Quare si homo beatitudinem quam naturaliter appetit non consequitur, ipsius culpae id non divinae deputandum est providentiae; poterat enim beatitudinem consequi si voluisset.

Ad 3. Si Belii argumentum consisteret debuisset Deus hominem condere impeccabilem, vel saltem nullum hominem, nec ad temporis momentum ad inferorum damnare supplicia. Itaque quantumvis magna sit, imo infinita divina misericordia, adversari tamen non potest divinae justitiae, quae etiam summa est et infinita. Divina autem justitia exigit ut qui peccavit donec in peccato obfirmatus persistat, ut in damnatis ac daemonibus accidit, poenam de illo sumat. Atque haec potiora sunt quae ab origenistis socinianis atque philosophantibus adversus catholicum de poenarum aeternitate dogma objici solent. Deus interim per merita filii sui gratiam nobis largiatur ut per viam mandatorum ejus currentes in aeternam beatitudinem ad laudandum sanctum nomen ejus recipiamur.

CAPUT X.

De Purgatorio.

Aeterna ergo inferorum supplicia manent eos qui divinae voluntati resistentes graviter legem transgrediuntur. Ast quid si legem quis infringat leviter seu venialiter? Is scilicet sic salvus erit quasi per ignem, hoc est damnabitur ad ignis cruciatus ad tempus, et donec quoad ultimum quadrantem satisfecerit, quum nihil coinquinatum in regnum ingredi possit caelorum. In quem Purgatorium ignem detrudetur etiam ille cui mortale peccatum ac poena aeterna ei adnexa sint per sacramentum sive in re sive in voto susceptum dimissa, sed poena temporalis pro lethali peccato contracta luenda adhuc illi remaneat. Haec est catholicorum omnium circa purgatorium de fide sententia.

Eam tamen lutherani et calvinistae non modo rejiciunt, sed ut noviter inventam ac superstitiosam ad quaestum captandum proscindunt calumniis. Qui perniciosissimus error non ab iis primitus sicut in aliis bene multis fecerunt traditus est, sed haereditate acceperunt a petrobusianis, waldensibus, albigensibus aliisque duodecimi ac tertii decimi saeculi damnatis haereticis; atque hi mutuo acceperunt ab Aerio qui post saeculi quarti dimidium vexavit Ecclesiam. Pro catholica ergo veritate pugnantes, sit

CONCLUSIO

Purgatorium existit.

Prob. 1. ex V. Testamento, in libris Reg. 1. ac 2. infausta describitur regis Saulis mors, et quomodo ad consciscendam sibi mortem violentas in se immiserit manus. Sed quia de nemine quamdiu in hac vita vivit absolute desperandum est, cives Jabes et quod magis est David divinae misericordiae confisi, quod infelix ille rex in extrema vitae suae periodo redierit ad cor, poenitentiam de tanto facinore egerit, pro aeterna illius salute fleverunt ac per dies aliquot jejunaverunt non solum in moe-

stitiae atque doloris significationem, sed etiam ut anima defuncti per eorum preces juvaretur. Nam de Davide legimus pro filiolo suo aegrotante, ut incolumitati redderetur, orasse ac jejunasse. Sed habita mortis illius notitia quum optime nosceret non indigere in altera vita levamine, puer enim erat, surrexit et ab oratione ac jejunio cessavit. Quare jejunium et oratio pro Saule ad hoc directa fuisse videntur ut animae illius suffragaretur. Unde cives Jabes ac S. propheta David credebant dari locum in quo animae non plene purgatae detinentur. II. Tobias, prout in libro sui nominis cap. 4. v. 18. legitur, haec ajebat: *Panem tuum et vinum super sepulturam justi constitue, et noli ex eo manducare et bibere cum peccatoribus*. Quae sententia non sic accipienda est quasi convivia super mortuorum sepulcra more gentilium qui stulte putabant conviviis mortuos suos delectari, sint instruenda. Absit, sed ita a theologis intelligitur ut elargiantur pauperibus eleemosinae eo fine ut animabus mortuorum adprecentur a Deo requiem et pacem in altera vita, juxta illud Chrysostomi locum hunc explicantis: *Cur post mortem tuorum pauperes convocas? Cur presbyteros ut pro illis velint orare obsecras?* Persuasum ergo sancto illi viro erat animas justorum aliquid labis adhuc habentes in ignibus detineri purgatoriis. III. peremptorium autem adversus haereticos illud est quod narratur in lib. 2. Mach. cap. 12. de Juda machabaeo in haec verba: *Facta collatione, duodecim millia dracmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans (nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare pro mortuis) et quia considerabat, quod hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare ut a peccatis solvantur*. Mortui autem illi pro quibus sacrificium offerri voluit Judas erant milites qui in bello occubuerant et inventi sunt habentes sub vestibus contra legis praescriptum donaria idolorum, de qua culpa eos milites poenituisse sanctus vir confidens existimabat poenis in altera vita subjici ad eam ex integro diluendam. Hinc sacri auctoris in hac sententia scopus esse videtur demonstrare sanctam esse ac salubrem pro defunctis orationem, unde pericopen illam concludit dicens: *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare*. Ast ad quid oratio si omnes defunctorum animae vel in aeternam vitam vel in mortem aeternam non in purgatorium post mortem aliquae recipiantur? Viventium enim pro defunctis oratio eo directa est ut a peccatis solvantur, hoc est ut supplicia peccatis debita mitigentur. Ut autem sacer auctor propositi sui ostendat veritatem provocat ad consuetudinem et fidem orationes fundendi pro mortuis quam in populo suo vigere supponit, et ait: *Nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur, et vanum orare pro mortuis*. Verum unde haec invaluit inter judaeos consuetudo nisi ex certa fide purgatorii? Ac demum sumit inde argumentum commendandi studium Judae machabaei quia pecunias undique conquisierit mittendas Jerosolymas ad sacrificium

offerendum pro illis qui occumbentes in bello cum idolorum donariis sub vestibus culpae veniam antequam migrarent a Dei misericordia obtinuerant, et adhuc eis supererat luenda temporalis poena.

Nullum protestantes non movent lapidem ut argumentum ex hoc loco depromptum eludant, et ajunt I. non est liber 2. Machabaeorum inter canonica scripta accensendus, adeoque ad fidem faciendam non valet. II. et merito quidem volumen illud amandandum est ad apocrypha vel ex hoc ipso, quod cum elogio recenseat Judam machabaeum preces ac sacrificia pro militibus obtulisse qui fuerant in bello perempti. Hi enim quum idolorum donaria quae contra expressam Dei legem in Deut. latam rapuerant adhuc retinebant sub vestibus, e vita proculdubio migrarunt in statu lethalis peccati, adeoque aeternam incurrerant damnationem. Illius ergo voluminis auctor approbans quod a Juda factum esse narrat jam pro certo supponit animas in inferorum suppliciis detentas posse aliquando veniam obtinere scelerum, quod est fidei contrarium. III. et quamvis omnem concederemus lib. 2. Machabaeorum auctoritatem, quid inde inferri posset? Unius Judae factum ad regulam figendam non sufficit, praesertim cum nullum ibi habeatur orandi pro mortuis praeceptum. IV. neque legitima illatio est, ex quo judaei pro mortuis orarunt et sacrificia obtulerunt, animas eorum in purgatorio detineri. Potuerunt enim ea facere vel ad propriam manifestandam erga mortuos dilectionem vel ad moeroris ac tristitiae solatium, non in signum religionis.

Verum haec satis non sunt ad argumenti nostri ex 2. Machabaeorum deducti vim elevandam. Et quoad 1. pertractantes nos de locis theologicis jam demonstravimus librum illum esse canonicum ac divinae auctoritatis, quod nunc tamquam rem certam supponimus. Sed etiamsi auctoritatem in se non haberet divinam, ad catholicam nihilominus de purgatorio sententiam tuendam magni roboris suppeditaret argumentum. Nam si non divinam, humanam tamen fidem, qualem videlicet humanae historiae scriptores habent, ei protestantes denegare non possunt. Narrat autem auctor non Judam modo sed universum israeliticum populum qui cum eo erat praeces ad Deum fudisse, ac sacrificia offerre fecisse pro mortuis ut a peccatis, hoc est peccatorum poenis solverentur. Erat itaque apud Judaeos firma de purgatorii existentia fides ubi animae beatam spem expectantes detineantur. Unde autem haec in eis fides nisi ex Dei veteribus patribus facta revelatione?

Ad 2. Etiamsi judaei milites qui in pugna cum hostibus interempti inventi sunt habere sub vestibus donaria idolorum legem in Deuteronomio latam infregerint, nonne Judas et contribules sui existimare potuerunt milites illos in extremis constitutos poenitentiam de admisso scelere egisse, luendam tamen eis remansisse poenam temporalem pro peccato? Etiam nos ita de iis cogitamus quorum pessimam vitam novimus si repentina morte decedere videamus. Mitto solutionem illorum qui putant milites illos non lethaliter sed venialiter in legem deliquisse, quia non irreligionis sed praedae caussa idolorum donaria de Jamnia subripuerant.

Nam littera legis quae in Deuteronomio habetur sub arctissimo jure vetat contingere vel domi retinere quidquid ad idola spectat, hac addita ratione, *quia anathema est*. Hinc libri 2. auctor Machabaeorum testatur milites illos *ob hanc caussam occubuisse*.

Ad 3. Factum quod auctor ille narrat non unius Judae machabaei sed israelitarum omnium fuit. Nam narratur ibi, quod *omnes qui cum Juda erant ad preces se converterunt*. Et facta collatione ab omnibus pecuniam recepisse, et Jerosolymis sacrificia pro mortuis ad Judae suorumque commilitonum mentem Deo oblata fuisse. Quare universalis erat in judaeorum ecclesia fides de precibus ac sacrificiis Deo offerendis pro mortuis. Adde his modum quo historia ab auctore narratur, Judam scilicet suosque populares sancte ac religiose de resurrectione cogitasse, et sanctam esse et salubrem cogitationem pro defunctis exorare ut a peccatis solvantur, et Judam de genere fuisse sacerdotali cui ignota esse non poterat gentis suae consuetudo. Quae juncta iis quae in aliis Scripturae locis et in traditione habentur invictum suppeditant pro purgatorii existentia argumentum.

Ad 4. Neque regeri potest fecisse illa judaeos ad amoris sui erga mortuos manifestationem vel ut a moerore ac tristitia levarentur viventes. Nam actio tota religiosa fuit, et actionis illius finis erat ut qui cum pietate dormitionem acceperant a poenis solverentur peccatorum. Pompa quidem funebris, celebritas, apparatus et alia hujusmodi in mortuis ad sepulcrum deferendis fieri solita, non autem preces et sacrificia esse possunt amoris erga mortuos argumentum et solatium viventibus. In suo ergo robore remanet argumentum ex 2. Machabaeorum pro existentia purgatorii deductum.

Prob. 2. ex N. Testamento I. Matth. cap. 5. v. 25. haec occurrunt: *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro, et in carcerem mitteris. Amen dico tibi, non exies inde donec reddas novissimum quadrantem*. Christus qui in parabolis loquebatur discipulis suis ut hortetur homines ad poenitentiam agendam dum adhuc in via sunt, et obtinere veniam a Deo possunt hanc usurpat comparationem, et obvius sensus est quod sicut inconsulte agit qui judicio contendere vult cum eo qui certam habet actionem nulla exceptione elidendam, quia demum trudetur in carcerem unde non exiet donec reddat novissimum quadrantem; ita stultus est ille qui Deum habens creditorem qui placari in tempore potest, aequas sibi oblatas acceptare detrectat conditiones, ut nempe via relicta tenebrarum ambulet in luce, quia post mortem mittetur in carcerem unde non exiet donec pro debito suo plenarie satisfecerit. Datur itaque in altera vita locus veluti carcer unde justorum animae non egredientur donec novissimum reddant quadrantem, videlicet donec debitum pro culpis contractum ex integro solverint.

Novi veteres nonnullos patres carceris nomine intelligere hoc in loco gehennam. Sed alii sunt bene multi inter quos Tertullianus de anima

cap. 17. Cyprianus ep. 2. Origenes hom. 35. in Luc. et alii qui pro carcere illo evangelico intelligunt purgatorium. Et harum quidem intelligentia optime convenit cum scopo parabolae, ubi non ex gravissimo aliquo crimine, cui carcer debetur perpetuum, sed ex debito pecuniario quod per carcerem ad tempus solvitur, desumpta est comparatio.

II. Idem Christus Dominus Matth. cap. 12. v. 32. *Quicumque*, inquit, *dixerit verbum contra filium hominis remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum sanctum non remittetur ei neque in hoc saeculo neque in futuro*. Aliqua ergo sunt peccata quae in altero saeculo condonantur et quoad culpam et poenam si levia sint, et quoad poenam tantum temporalem si gravia. Unde bene Augustinus lib. 21. de C. D. cap. 24. scribit: *Neque enim de quibusdam veraciter diceretur, quod non eis remittatur neque in hoc saeculo neque in futuro, nisi essent quibus etsi non in isto, tamen remittetur in futuro*.

III. Apostolus in 1. ad Cor. cap. 15. v. 29. ait: *Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt? Ut quid baptizantur pro illis?* Duplex est horum verborum intellectus. Unus Tertulliani, Crysostomi, Ambrosii, aliorum qui arbitrantur alludere Apostolum ad quamdam consuetudinem quae ab Ecclesiae incunabulis apud nonnullos invaluit ut baptizarentur pro catechumenis mortuis in contestationem resurrectionis eorum qui sine baptismo decesserunt, ait Tertullianus in lib. de resur. car. Alter est aliorum Patrum qui ita textum interpretantur: *Quid facient qui baptizantur*, hoc est qui lacrymis ac jejuniis se macerant et orationes fundunt et eleemosinas distribuunt pauperibus *si mortui non resurgunt?* Neque vero coacta est et violenta haec expositio. Nam nomen baptismi juxta phrasim sacrae Scripturae animi angustias et afflictiones quam saepissime significare patet ex Marc. cap. 10. v. 38. ubi Christus discipulis suis ajebat: *Potestis bibere calicem quem ego bibo, aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Loquebatur autem de passione sua. Cui cum proximus esset dixit: *Baptismo habeo baptizari*. Unde Cyprianus in serm. de coena Dom. inquit: *Lacrymis se baptizat*. Per Apostolum ergo nonnulli suo tempore erant fideles qui vel baptismum aquae juxta priorem interpretationem in se recipiebant, vel opera multa pietatis juxta alteram exercebant pro mortuis. Quare hoc? Nempe vel ut corporum resurrectionem vel ut veniam et pacem in altera vita pro eis obtinerent. Hinc vel ipse Grotius annot. in hunc locum scribit: *Credo autem inter alia usurpatum illum vicarium baptismum ut Ecclesia pro defunctis oraret. Non solebant enim publicae preces fieri pro catechumenis, quamquam eleemosinas pro eis licebat dare*.

Prob. 3. ex SS. PP. in quorum recensendis testimoniis quae legi possunt apud amplissimos controversiarum tractatores praesertim Natalem Alexandrum et Bellarminum parcus ero, quoniam protestantes duce Calvino affirmant errorem hunc, ut ab ipso putido ore appellatur, vel a secundo christiano saeculo invalescere caepisse in Ecclesia. Sic enim lib. 3. instit. cap. 5. scribit: *Cum mihi objiciunt adversarii, ante mille et tre-*

centos annos usu receptum fuisse , ut precationes fierent pro defunctis , etiam vicissim interrogo , quo exemplo factum ? Atque ipsi etiam veteres qui preces fundebant pro mortuis , et mandato Dei et legitimo exemplo hic se destitui videbant . Cur ergo audebant ? In eo dico aliquid humani passos esse ... Certe quisquis mediocri prudentia pollet , facile agnoscit quidquid de hac re legitur apud veteres , publico mori et vulgi imperitiae fuisse datum . Abrepti etiam ipsi fateor in errorem fuerunt , nempe ut inconsiderata credulitas privare judicio solet hominum mentes . Pauca itaque dabo non ad haereticorum convictionem sed ad eruditionem potius tyronum Patrum monumenta . In actis martyrii SS. Felicitatis et Perpetuae quae genuina esse post tot perspicua Patrum testimonia nemo nisi impudentissimus negaverit, narratur quomodo fletibus atque orationibus S. Perpetua Dinocratis fratris sui nuper defuncti liberationem a poenis , quas ob leve peccatum incurrerat , a Deo obtinuerit . Tertullianus lib. de cor. mil. cap. 3. inquit : *Oblationes pro defunctis , pro natalitiis annua die facimus* . Et cap. 4. variis enumeratis sanctis consuetudinibus inter quas oblationes etiam recenset pro defunctis subdit : *Harum et aliarum hujusmodi disciplinarum , si legem expostules Scripturarum , nullam invenies . Traditio tibi praetenditur auctrix : consuetudo confirmatrix : fides observatrix* . S. Cyprianus in ep. ad cler. et pleb. furnit . *Episcopi* , inquit , *antecessores nostri religiose considerantes ne quis frater excedens ad tutelam vel curam clericum nominaret : ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo , nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur* . En consuetudo offerendi ac celebrandi sacrificia pro mortuis . Origenes hom. 28. in Num. scribit : *Sunt aliqua peccata quae si proposito ac voluntate committimus decernitur nobis , credo , et praeparatur ex praecepto Dei locus aliquis ubi ad certum tempus habitare debeamus* . Arnobius lib. 4. adv. gentes conqueritur quod christianorum diruerentur oratoria , loca in quibus orationes fundebantur *pro hominibus adhuc vitam degentibus , et resolutis corporum vinctione ad pacem a Deo et veniam cunctis obtinendam* . Cyrillus jerosol. catech. 5. myst. ait : *Denique pro omnibus oramus , qui inter nos vita functi sunt, maximum esse credentes animarum juvamen pro quibus offertur precatio sancti illius et tremendi quod in altari positum est sacrificii* . Gregorius nyssenus orat. pro mortuis affirmat , *vel in praesenti vita sapientiae studio et precibus purgatos , vel post obitum per expurgantis ignis fornacem expiatos , ad sempiternam felicitatem pervenire* . Gregorius nazianz. orat. in S. Lumina : *Ceterum* , inquit , *quae pro mortuis concipiuntur praeces iis utiles sunt, tametsi non omnes culpas extinguant* . Verba haec Gregorii habentur in Epiphanio haer. 75. quae est aerianorum ubi errorem hunc adversus purgatorii existentiam ab Aerio propagatum ex professo refellit . Ne nimius sim silentio praetereo Eusebium lib. 4. de vita Constantini , Chrysostomum pluribus in homiliis , Basilium in cap. 9. Isaiae, Hieronymum ep. 66. ad Pammach. et Patrum agmen claudant Ambrosius et Augustinus , quorum primus in or. fun. de obitu Sa-

tyri fratris sui, *Tibi nunc*, inquit, *omnipotens Deus*, *innoxiam commendo animam*; *tibi hostiam meam offero*: *cape propitius et serenus fraternum munus*, *sacrificium sacerdotis*. Et in orat. de obitu Valentin. scribit: *Date caelestia sacramenta*. *Piam animam nostris orationibus prosequamur*. Et infra Valentinianum et Gratianum alloquens addit: *Beati ambo*, *si quid meae orationes valebunt*. *Nulla dies vos silentio praeteribit*, *nulla inhonoratos vos mea transibit oratio etc.* Legatur et oratio de obitu Theod. Longus fierem si praeclariora tantum S. P. Augustini loca ad rem facientia proferre vellem. Delibabo aliqua. In lib. 9. conf. cap. 12. ubi de matris suae funere loquitur inquit: *Cum ecce corpus elatum est*, *imus*, *et redimus sine lacrymis*. *Nam neque in eis precibus quas tibi fudimus*, *cum offerretur pro ea sacrificium pretii nostri ... nec in eis precibus ego flevi*. Orat deinde eos qui legerint haec ut ad altare Dei meminerint Monicae et Patritii parentum suorum. In lib. de cura pro mortuis gerenda cap. 1. inquit: *In libris Machabaeorum legimus oblatum pro mortuis sacrificium*. *Sed etsi nusquam in scripturis veteribus omnino legeretur*, *non parva tamen est universae Ecclesiae*, *quae in hac consuetudine claret auctoritas*, *ubi in precibus sacerdotis quae Domino Deo ad ejus altare funduntur*, *locum suum habet etiam commendatio mortuorum*. Legatur integrum ejusdem operis cap. 4. et cap. 110. Enchiridii serm. 172. de verb. Apost. *Orationibus*, inquit, *S. Ecclesiae*, *et sacrificio salutari*, *et eleemosynis quae pro eorum spiritibus erogantur*, *non est dubitandum mortuos adjuvari*: *ut cum eis misericordius agatur a Domino*, *quam eorum peccata meruerunt*. *Hoc enim a Patribus traditum universa observat Ecclesia etc.* Paria his habent Gregorius M. Isidorus hispalensis, omnes uno verbo Patres: quibus consentiunt concilia carthaginensia 3. et 4. quorum primum can. 29. statuit ut pro mortuis sacrificium offeratur de mane. *Quod si aliquorum pomeridiano tempore defunctorum ... commendatio facienda est*, *solis orationibus fiat*. Et alterum can. 79. *Poenitentes*, inquit, *qui attente leges poenitentiae exequuntur*, *si casu in itinere vel in mari mortui fuerint*, *ubi eis subveniri non possit*, *memoria eorum et orationibus et oblationibus commendetur*.

Prob. 4. ex antiquissima perpetua et constanti Ecclesiae praxi seu consuetudine quae semper fuit ut fideles omnes orent et sacrificia offerant pro defunctis ad pacem illis ac requiem a Deo impetrandam. Quae universalis consuetudo non modo ex sanctis patribus quorum testimonia recitavimus luculentissime apparet, sed praeterea etiam ex liturgiis omnibus sive graecis sive latinis sive antiquis sive recentioribus ex quibus testimonia excerpere opus non est, quum adversarii ipsi id ultro concedant.

Sed ad invicti hujus argumenti vim enervandam duo confidenter admodum reponere solent protestantes. Primum quod fideles juxta Basilii, Chrysostomi, Gregorii nazianzeni et Cyrilli liturgias pro mortuorum spiritibus ex aequo ac pro omnibus sanctis, imo et pro ipsa B. Virgine preces offerrent et sacrificia. Alterum vero quod in ea consuetudine Eccle-

sia sine auctoritate et exemplo Scripturarum introducta turpissime erraverit.

Falsi tamen sunt in utroque capite protestantes. Et quoad 1. aut liturgiae illae numquam manus illorum ascenderunt, aut legerunt eas admodum oscitanter et caligantibus oculis. Nam etsi commemoratio in illis fiat sanctorum omnium et beatissimae etiam Mariae Virginis, lippus tamen sit oportet qui non videt esse illam meram patrocinii sanctorum invocationem ut a Deo nobis fieri quod petimus intercedant. Et revera in communi nostra Leonis, Gelasii, Gregorii liturgia sanctis ac B. Maria Virgine invocatis e vestigio additur: *Quorum meritis precibusque concedas ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio*. In altera S. Joan. Chrysostomi sacrificium offerri dicitur *in honorem et memoriam super omnes benedictae gloriosae reginae nostrae Deiparae et semper Virginis Mariae, cujus precibus suscipe Domine sacrificium istud*. Sequitur deinde prophetarum, apostolorum, aliorumque memoria sanctorum cum additione, *Quorum precibus protege nos Deus*. In liturgiis quoque Basilii, Gregorii nazianzeni, et Cyrilli alexandrini facta B. Virginis et sanctorum commemoratione subnectitur: *Quorum precibus et intercessionibus nostrum miserere*, vel *dimitte iniquitates nostras propter deprecationes eorum*. Eaedem habentur phrases in aliis liturgiis quae sub nomine sanctorum Petri, Jacobi, Xysti romani circumferuntur. Nullum ergo ex sanctorum commemoratione quae in publicis precibus fecit et adhuc facit Ecclesia protestantes desumere possunt praesidium ut in errore detineantur.

Multo minus caussam illorum juvat alterum quo argumenti nostri ex traditione deducti vim eludere conantur, Ecclesiam videlicet ab antiquo errasse. Quis enim sibi suadeat Ecclesiam quae columna est et firmamentum veritatis jam a secundo saeculo a veritatis tramite recedendo fabulosam invexisse consuetudinem orandi pro mortuis? Calvinus ipse qui haec effutire non veretur alibi confitetur perseverasse in Ecclesia usque ad saeculum 4. puritatem doctrinae circa fidei dogmata morumque regulas. Quomodo ergo nunc sui oblitus secundi saeculi fideles erroris ac superstitionis audet insimulare? Quomodo non animadvertit saeculo Ecclesiae secundo adhuc superstites fuisse multos qui in carne viderant apostolos, atque ab eis doctrinam didicisse de fide, moribus ac disciplina? Nisi quod hoc est a veritate semel aberrare, ut ad praejudicatam tuendam opinionem paradoxa quaeque etiam incredibilia veluti totidem axiomata adsciscantur. Faciat Deus ut a tenebris errorum ad lucem redeant veritatis.

CAPUT POSTREMUM

Satisfit argumentis quae ab haereticis afferuntur contra catholicum de purgatorio dogma.

Eamdem quam nos tenuimus in catholica demonstranda veritate methodum et protestantes sequuntur dum eam destruere conantur et a veteri, ut nos fecimus, incipiunt Testamento.

Obj. itaque I. in psal. 126. legitur justos homines qui absque lethali macula ex hac mortali vita discedunt sibi pollicitam haereditatem statim sine ulla interposita mora possidere, sunt quippe Dei dilecti: *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce haereditas Domini*. Falsum autem id esset si ob levem aliquam culpam quae Dei amicitiam non dirimit, inter purgatorios ignes aliquandiu detinerentur. II. neque dici potest in tertio illo loco quem purgatorium vocant justorum animas a Deo detineri donec pro temporali poena vel ob lethalem vel ob levem culpam promerita plenarie satisfacerint. Si namque ita esset, recordaretur Deus iniquitatum hominum quas dimiserat, quod est contra sponsionem a se factam per Ezechielem cap. 18. v. 21. *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis quae operatus est, et custodierit omnia praecepta mea, et fecerit judicium et justitiam, vita vivet, et non morietur*. III. quid? quod in altera vita nequeunt animae vel minimam dare pro patratis in hac vita sceleribus satisfactionem! Ecclesiastes enim cap. 9. v. 10. *Quodcumque*, inquit, *facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus nec ratio nec sapientia erunt apud inferos, quo tu properas*. IV. cujus rei rationem reddit cap. seq. 11. v. 3. dicens: *Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*. Homo videlicet post mortem vel ad aquilonem cadit nempe ad infernum, et ibi nulla est redemptio, vel ad austrum, hoc est ad gloriam transmittetur, et ibi locum poenitentia ad satisfaciendum non habet. Atque ita tertius ille animarum locus post mortem est omnino Scripturis contrarius.

Resp. ad 1. Sensus verborum psalmistae optime cum catholica de purgatorio sententia consistit. Nam quum animae quae illuc mittuntur in Dei adhuc permaneant amicitia et dilectione, statim post mortem haereditate ipsis promissa potiuntur, certae videlicet fiunt haereditatem eis deesse non posse, sicuti nequeunt a Dei amicitia recedere; quomodo poterat eis accidere quando nobiscum versabantur in terra. Deinde indubitatum omnino non est nomine haereditatis in allato psalmi testimonio venire aeternam gloriam. Intelligi namque potest etiam de generali corporum resurrectione. Ac denique observandum est quod ubi nos in nostra vulgata legimus, *ecce haereditas*, in hebraico textu habetur, *sic dabit haereditatem*, quae phrasis futurum ac indeterminatum tempus significat.

Ad 2. Hoc sensu ait Deus per prophetam non recordari iniquitatum eorum qui egerint poenitentiam, quod non sit eos amplius ad aeterna supplicia damnaturus, quum sint jam per poenitentiam peccata dimissa. Ceterum id non impedit quin ad satisfaciendum divinae justitiae debeat de merita pro gravi peccato temporali poena, vel de levi aliqua culpa vindictam in purgatorio suscipere. Et quemadmodum opera justi qui a justitia descivit, non praeterit Deus absque aliquo temporali proemio, quamvis per eumdem prophetam dicat ibidem, *Omnes justitiae ejus non recordabuntur*, ita impunitas omnino non relinquit animas ob leves in quas inciderunt culpas, sic exigente divina justitia. Aptissima est etiam

ad argumentum solvendum expositio illorum verborum S. Hieronymi qui in hunc locum ita scribit: *Considerandum qualem impium et peccatorem suscipiat poenitentem. Si omnia peccata derelinquat, et cuncta deseruerit mala, ego omnium iniquitatum ejus quas operatus est, obliviscar*. Quis autem tam perfecte poenitentiam agit?

Ad 3. respondeat Gregorius Magnus qui lib. 4. dial. cap. 39. ita scribit: *Salomon dicit: quodcumque facere potest manus tua etc. Ex quibus constat quia qualis hinc egreditur quisque, talis in judicio praesentatur. Sed tamen de quibusdam levibus culpis esse ante judicium purgatorius ignis credendus est.* Vult ergo Salomon in altera vita non habere locum neque meritum neque demeritum, non excludit tamen purgatorium.

Ad 4. Hoc idem ad sequens valet solvendum argumentum. Post mortem enim in eo statu permansurus est homo in quo ex hac vita discessit, in statu nimirum gratiae si justus, in statu peccati si impius fuerit. Hoc significare voluit auctor Ecclesiastis dicens, *Lignum in quocumque loco ceciderit, ibi erit*, ut hortaretur homines ad meritum bonis sibi comparandum operibus quandiu in hac vita sunt, quia homo post mortem ibi erit ubi ceciderit, nempe vel in statu peccati inter inferni supplicia, vel in statu gratiae sive in purgatorio sit sive in caelesti beatitudine si justus ex hac vita migraverit.

Obj. 2. ex N. Testamento. Ubi Scripturae novi foederis de animarum in altera vita statu loquuntur, duo dumtaxat loca commemorant, nimirum vel caelestem gloriam in quam recipiuntur justi, vel tormenta inferorum quibus addicuntur injusti, nulla tertii loci qui purgatorium dicitur facta mentione. Nam Joan. cap. 5. v. 24. Christus inquit: *Amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam aeternam, et in judicium non venit, sed transit a morte in vitam*. Marci cap. 16. v. 16. *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur*. En duo loca, vita et mors, salus et damnatio. Matth. tandem cap. 25. v. 34. *Tunc dicet rex his qui a dextris ejus erunt: Venite benedicti ... possidete paratum vobis regnum etc. Discedite a me maledicti in ignem aeternum*. Ubi est tertius locus a catholicis excogitatus? Destituuntur ergo praesidio Scripturarum. Imo in Apoc. cap. 14. v. 13. locus ille apertissime excluditur, dicente Joanne, *Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos*. Quod si multi ex iis qui in Domino moriuntur ad purgatorium ignem damnantur, quomodo a laboribus suis requiescunt? II. bonus ille fur, ut vulgo appellatur, qui fuit una cum Christo cruci affixus statim post mortem assumptus est in paradisum, dixit enim illi Christus, *Hodie mecum eris in paradiso*, et multa nihilominus patraverat scelera pro quibus, si vera esset catholicorum sententia, satisfacere in purgatorio debuisset. Non satisfecit tamen; unde commentitius est tertius ille locus. III. et revera, inqnit Apostolus ad Rom. cap. 8. v. 1. quod qui semel Christi justitiam perceperunt, nihil in se damnationis habent per quod

satisfacere teneantur: *Nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu*. IV. juxta eumdem Apostolum in 2. ad Cor. cap. 5. *Unusquisque referre debet ad tribunal judicis prout gessit, sive bonum sive malum.* Id autem falsum esset si animae mortuorum orationibus ac sacrificiis viventium juvarentur in altera vita.

Resp. ad 1. Nonnulla Scripturae testimonia in argumento allegata intelligenda sunt non de tempore quod de morte et deinceps fluit, sed de tempore extremi judicii; alia vero de hominibus perfecte justis qui sine ullo vel levissimo peccato vel temporalis poenae debito ex hac vita decedunt. Ita quae occurrunt Joan. cap. 5. referenda sunt ad tempus judicii, quoniam e vestigio haec Christi verba subduntur: *Nolite mirari hoc, quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei, et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii*. Eodem sensu accipienda esse verba Matth. cap. 25. ex sola manifestum est lectione, quum ibi describat universale judicium. Ast post finale judicium non erit certe amplius locus a quibusvis mundentur peccatorum reliquiis, quoniam eo absoluto tradet se Christus et regnum suum (nempe electorum) Patri, ut sit Deus omnia in omnibus. Reliqui vero textus accipiendi sunt de hominibus qui ex hac vita migrant in statu perfectae justitiae. Apud Marcum enim loquitur Christus de statu in quo reperitur homo post acceptum baptismum: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*, in quo nihil plane est quod ab ingressu in regnum caelorum remoretur. Et Joannes in Apoc. verba facit de martyribus, quum ante allata in argumento verba scribat: *Hic patientia sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei, et fidem Jesu. Et audivi vocem dicentem mihi: Scribe: Beati mortui etc.* Martyres autem stolas suas lavant in sanguine agni, adeoque nulla indigent purgatione.

Ad 2. Ex quo latro in cruce pendens audierit a Christo, *Hodie mecum eris in paradiso*, non sequitur vanam esse catholicorum de purgatorio sententiam. Nam mirabilis fidei ea in circumstantia edita confessio, in qua vel ipsi apostoli magistrum negabant, dira crucis mors quam patientissime tolerabat, objurgatio socio poenarum facta quod Christo malediceret, argumenta sunt tam perfectae a Deo acceptae caritatis ut satis fuerit ad praeteritae impietatis suae meritas omnes temporales poenas diluendas, unde secuta morte receptus est in paradisum.

Ad 3. In ep. ad Rom. cap. 8. sermo fit de hominibus perfecte justis. Et revera qui sunt in Christo Jesu per baptismum, adeo nihil habent in se damnationis, ut si statim ex hac vita decedant ad Deum intuitive videndum sine ulla mora abeant. Atque si in eo justitiae statu perseverent, etiam post diutinum vitae tempus vocantur in sortem sanctorum; unde addit Apostolus, *Iis qui non secundum carnem ambulant*, immunes nimirum a quavis levi culpa.

Ad 4. Orationes vivorum quae funduntur pro defunctis partem conficiunt meriti animarum quae cruciantur in purgatorio, et ita *unusquisque*

refert propria corporis sui, prout gessit, sive bonum, sive malum. Expositio est S. P. Augustini in enchir. cap. 110. ubi sic inquit: *Hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quispiam vel gravari. Non igitur ista quae pro defunctis frequentat Ecclesia illi apostolicae adversa sunt sententiae: Omnes enim adstabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque etc. quia etiam hoc meritum sibi quisque cum in corpore viveret, comparavit, ut ei posset prodesse. Non enim omnibus prosunt. Et quare nisi propter differentiam vitae quam quisque gessit in corpore?*

Obj. 4. nonnulla dicta Sanctorum. I. S. Cyprianus tract. cont. Demetrian. diserte tradit nullum esse post hominis mortem locum poenitentiae et satisfactioni, adeoque nullum existere purgatorium; ait enim: *Quando isthinc excessum fuerit, nullus jam poenitentiae locus est, nullus satisfactionis effectus*. II. quidpiam simile tradit etiam Ambrosius in lib. de bono mort. scribens: *Qui enim hic non acceperit remissionem peccatorum, illic non erit, nimirum in patria beatorum*. Quare non remittuntur per purgatorios ignes levia peccata defunctis. III. clarius etiam loquitur Chrysostomus dicens neminem posse post mortem diluere commissa aut spem percipere consolationis. Sic habet in hom. de Lazaro: *Cum hinc discesserimus, non est in nobis situm poenitere, neque commissa diluere ... Neque enim qui in praesenti vita peccata non abluerunt, postea consolationem aliquam inventuri sunt*. IV. S. Hieronymus in cap. 6. ep. ad Gal. ad illa Apostoli verba, *Unusquisque opus suum portabit*, ita disserit: *Dum in praesenti saeculo sumus, sive orationibus sive consilio invicem posse nos coadjuvari. Cum autem ante tribunal Christi venerimus, non Job, non Daniel, nec Noe rogare posse pro quoquam, sed unumquemque portare onus suum*. V. neque vero dici potest cum Bellarmino loqui ibi S. doctorem de extrema judicii die, ex quo dicat, *cum ante tribunal Christi venerimus*. Quum enim opponat praesentis vitae statum in quo juvari nos possumus orationibus sive consiliis statui vitae futurae, loqui videtur de judicio particulari, non universali, ubi ait, *cum ante tribunal Christi venerimus*.

Resp. ad 1. mens Cypriani est homini qui ex hac vita in statu mortalis peccati discedit, locum amplius non esse poenitentiae vel satisfactioni pro culpa, non negat autem dari post mortem satisfactionem pro poena, qualis est illa quae ab animabus in purgatorio existentibus penditur. Hunc esse verborum Cypriani sensum patet ex antecedentibus verbis, *Hortamur dum adhuc aliquid de hoc saeculo superest, Deo satisfacere, et ad verae religionis candidam lucem de profundo tenebrosae superstitionis emergere*.

Ad 2. Legas S. Ambrosii sententiam hoc modo: *Qui enim hic non acceperit remissionem peccatorum lethalium, illic non erit*, et nulla erit difficultas. Et de remissione quidem loquitur mortalium, quum statim sequatur et addat: *Non erit autem, quia ad vitam aeternam non poterit pervenire, quia vita aeterna remissio peccatorum est*. Ast vita aeterna

consistit in remissione non levium sed gravium peccatorum, seu in justificatione.

Ad 3. Non diversus est verborum Chrysostomi sensus, et ipse videlicet de gravibus non de levibus maculis loquitur, ut patet ex epulonis exemplo quod in eadem homilia affert, cui post mortem nec poenitentiae nec satisfactioni locus datus est. Ast epulonis peccata gravissima procul-dubio erant.

Ad 4. et 5. Hieronymi scopus laudata in argumento sententia est, debere hominem in hac vita poenitentiam agere, et de admissis sceleribus Deo satisfacere, quoniam in die judicii sive universalis sive particularis unusquisque ante tribunal Christi onus suum portabit, nec orationibus aut consiliis aliorum juvari poterit. Idque affirmat adversus nonnullos qui existimabant justos parentes posse orationibus filios suos a gehennae poenis liberare. Ceterum de animarum poenis in purgatorio ob leves maculas solvendas nequidem eo loci S. doctor cogitavit. Audiatur comm. in cap. 14. Ezech. ad quem locum alludit ubi sententiam exponit Apostoli in ep. ad Gal. *Quod si Noe, Daniel, Job pariter congregati et in uno loco post peccatricem terram, hoc est eos qui in terra habitant, non possunt irae Dei subtrahere: quid dicendum est de iis qui putant merito parentum atque virtutibus posse filios peccatores de gehennae ignibus liberari? Unde nec peccatorem filium justus pater poterit liberare, nec sanctae conversationis mater impudicae filiae dabit proemia pudicitiae.* Vult ergo S. doctor orationes vivorum suffragari non posse animabus in gehenna ignis propter gravia peccata existentibus, non animabus mortuorum in purgatorio detentis ob leves aliquas maculas.

Obj. 5. auctoritatem S. P. Augustini. I. negat S. doctor Deum poenam expetere ab iis quibus per poenitentiam sunt peccata dimissa. Nam exponens illa psal. verba, *Beati quorum tecta sunt peccata*, sic inquit: *Si texit peccata, noluit advertere; si noluit advertere, noluit animadvertere, si noluit animadvertere noluit punire; si noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere*. Non dant itaque homines post mortem poenas pro temporalibus in hac vita poenis promeritas. II. idem S. pater in ep. ad Hesich. nonnisi duos animarum post hanc vitam status agnoscit, scribit enim: *In quo quemque invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendit novissimus mundi dies, quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo judicabitur*. Quod si ultimus vitae dies duceret aliquos ad purgatorios ignes, in extrema die judicii per supremi judicis sententiam in purgatorii suppliciis confirmarentur. III. et in ep. ad Maced. diserte negat purgatorium, quoniam expresse ait non esse post mortem corrigendis moribus locum. IV. quae Augustini doctrina cohaeret cum aliis operum suorum locis et cum iis maxime quae docet in lib. 1. de peccat. merit. cap. 28. et in serm. 14. de verbis Apost. in quibus fuse demonstrat non dari in altera vita tertium aliquem locum ubi animae defunctorum reponantur, sed duos tantummodo esse status, regnum caelorum atque gehennam. V. quod idem repetit auctor hypognost. qui ex Augustini sententiis integrum opus suum

concinnavit. Ita autem habet cap. 5. lib. 5. *Primum locum fides catholicorum divina auctoritate regnum credidit caelorum. Secundum gehennam, ut ibi omnis apostata vel a Christi fide alienus aeterna supplicia experietur. Tertium penitus ignoramus, nec esse in scripturis sanctis invenimus.*

Resp. ad 1. Quum Augustinus tract. 124. in Joan. expos. in psal. 50. et alibi saepe doceat Deum propter gravia peccata exigere ab hominibus praeter aeternas, temporales quoque poenas, consequens fit ut enarr. in psal. 31. nonnisi de poena aeterna loquatur; sensusque sit Deum gravia tegere peccata quatenus dimissa quoad culpam, dimissa intelliguntur etiam quoad poenam aeternam, non exclusa tamen poena temporali.

Ad 2. Homo post temporalem hanc vitam constitutus in termino, juxta catholicam fidem nequit amplius meritum sibi vel demeritum comparare. Hoc sensu S. pater inquit quod homo talis in novissimo die coram judice invenietur qualis inventus est in die novissimo vitae suae. Loquitur enim ibi de tempore quo homo bonis operibus mereri vel operibus malis demereri potest vitam aeternam, non de loco quo pergere debeat post exactam vitam.

Ad 3. In ep. ad Maced. dicens Augustinus non esse post mortem locum moribus corrigendis, idem est ac si dicat hominem post mortem pravos emendando mores non posse acquirere amplius vitam aeternam. Quid vero hoc contra purgatorii existentiam ubi degunt animae ut poenas de levibus culpis luant?

Ad 4. et 5. S. P. Augustinus et auctor hypognost. locis in argumento citatis insectantur haereticos pelagianos qui negantes in parvulis immatura morte ante baptismum praeventis originale peccatum, docebant abire eos non in gehennam utpote immunes peccato, neque in regnum caelorum quo nullus ingreditur absque baptismo, sed in tertium quemdam locum a gehenna et regno caelorum distinctum quem ipsi appellabant vitam aeternam. Jure ergo et Augustinus et auctor hypognost. clamant tertium hunc locum neque in Scripturis neque in Ecclesiae traditione, sed in pelagianorum mente dumtaxat habere fundamentum. Vide quae de hac re diximus in opusc. de peccato orig. Hic est itaque tertius locus, non purgatorium in laudatis operibus conclamatum.

Obj. 6. et ultimo. Christum Dominum pro omnium hominum peccatis satisfecisse non solum sufficienter, sed et superabundanter res est quae haberi inter demonstrata fidei dogmata debet. Ast admisso semel purgatorio in quo jacent animae ut tum pro levibus culpis tum pro temporali gravium poena satisfaciant, Christi satisfactio evacuatur. II. et revera quum satisfactio per Christum infiniti sit valoris, nonne omnia delet hominum peccata? Multo ergo magis valebit ad delendam poenam. III. virtus communicata baptismo adeo efficax est ut non modo culpam, sed et poenam omnem tum aeternam tum temporalem remittat. Verum ejusdem satisfactionis virtus communicata est etiam poenitentiae. Quare et haec praeter peccata omnes diluit et aeternas et temporales poenas.

IV. uni peccato una debetur satisfactio. Porro si admittamus purgatorium in sensu catholicorum duplex pro uno peccato erit satisfactio, Christi videlicet, et nostra, quod repugnat.

Resp. ad 1. De satisfactione Christi et quomodo satisfactio nostra ei non deroget, jam alibi fuse pertractavimus, interim ad allati argumenti solutionem satis sit animadvertere redemptionem per Christum utpote infiniti valoris satisfecisse pro nobis quatenus caussa fuit, et pro peccatis nostris universale remedium instituit, cum ea tamen conditione ut meritum redemptionis per sacramenta et opera nostra bona nobis applicaretur. Rem luculenter explicat catechismus romanus p. 11. cap. Quare satisfactio nostra injuriam satisfactioni Christi non irrogat, praesertim cum a pretio Sanguinis ejus totam accipiat virtutem. Hinc animae quae in hac vita sive pro levibus culpis sive pro gravium temporalibus poenis non satisfecerunt possunt utique per purgatorios ignes divinae justitiae satisfacere, et nos orationibus nostris levamen illis afferre absque crucis injuria.

Ad 2. Supposito semel quod opera nostra bona ad satisfaciendum non valeant nisi quatenus animata sunt a satisfactione per sanguinem suum data a Christo, jam allata vis argumenti evanescit. Nam ut Christi merita suum producant effectum applicanda nobis sunt per opera nostra satisfactoria. Atque ita satisfactio nostra satisfactio Christi est. Et quemadmodum licet Christus pro nobis contristatus fuerit, oraverit, ac jejunaverit, nihilominus praecipit nobis ut affligemur, oremus, crucemque feramus post eum, ita etsi pro peccatis satisfecerit nostris, vult ut et nos satisfaciamus pro illis. Si quis autem id in praesenti vita executus non fuerit satisfacere debet in altera vita.

Ad 3. Utrique sacramento, baptismo scilicet et poenitentiae satisfactionis Christi virtus communicata est, sed diversimode. Baptismo tamquam sacramento regenerationis, atque idcirco immunem reddit animam non solum a culpa, sed a quavis etiam poena; est enim nova nativitas. Poenitentiae autem communicatur veluti sacramento sanationis in quo recipiendo majores in infirmo requiruntur dispositiones; unde appellatur a patribus baptismus laboriosus ac lacrymarum, et secunda post naufragium tabula. Legatur concilium tridentinum sess. 14. cap. 8.

Ad ultimum. Unicam nos admittimus pro peccatis satisfactionem, eamque nostram per cordis contritionem ac poenitentiam. Verum satisfactio haec non acceptatur a Deo nisi convalidata esset a Christo qui sanguinem fundendo et oppetiendo mortem gratiam nobis promeruit sine qua poenitentiam agere ac proinde satisfacere non valemus. Quae objicere solent ex publicis Ecclesiae precibus quibus Deum oramus ut defunctorum animas liberet de poenis inferni, de profundo lacu, de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus etc. soluta vide et explicata lib. harum inst. 11. cap. 6. atque hic finis sit controversiae de purgatorio, et libro huic 33.



INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

LIBER XXXIV.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Gravibus ergo legis transgressionibus quae peccata lethalia solent a theologis appellari, gravis a Deo reservatur in altera vita poena, aeternus videlicet et inextinguibilis inferorum ignis, sicuti et levibus ignis, ut nuncupari consuevit, purgatorius, ut praecedenti libro demonstravimus. Sed non proinde iis qui lethalia peccata admiserunt desperandum est; mediatorem enim habemus inter Deum et homines hominem Christum Jesum qui efficacissima instituit remedia ad quaecumque delenda peccata, eaque sunt septem novae legis sacramenta. Postquam enim piissimus Jesus tradidit in cruce spiritum, *Unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua*, ut Joannes narrat cap. 19. Tunc autem, uno ore inquiunt Ecclesiae Patres ac Augustinus praesertim tract. 120. in memoratum Evangelium, ex dulcissimo pectore Jesu exierunt Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, Extrema-unctio, Ordo et Matrimonium, quae totidem sunt sacramenta quibus mederi possunt homines a quibuscumque languoribus, ac patrata peccata etiam delere. Methodus ergo postulat ut postquam de peccatis peccatorumque poenis egimus nunc de remediis peccatorum seu de sacramentis disseramus. Et quoniam omnia sacramenta aliqua inter se communia, aliqua vero singulis particularia scitu digna habent, hoc in libro de sacramentis in genere, in reliquis subsequentibus de iisdem sacramentis in specie pertractabimus.

CAPUT I.

De nomine et essentia sacramentorum eorumque existentia in quolibet hominum statu.

 Diversimode apud profanos ac apud sacros ecclesiasticosque scriptores nomen accipitur sacramenti. Apud profanos auctores sumitur 1. pro pecuniae oppignoratione quae a litigantibus deponi antiquitus solebat in templo ea conditione ut qui vincebat suam iterum acciperet, victus autem suam in loco sacro pontificis arbitrio relinqueret, eaque pecunia sacramentum appellabatur quoniam asservabatur in loco sacro deposita ad finem judicii. *Sacramentum*, inquit Varro de lingua latina lib. 4. *a sacro dictum, et qui petebat et qui inficiabatur, uterque quinquagena aeris ad pontificem deponebat: qui judicio vicerat suum sacramentum a sacro auferebat, victi ad aerarium redibant; idest victus ea pecunia quam deposuerat multabatur in poenam injustae litigationis*. 2. Pro juramento a militibus per aliquod sacrum fieri solito, ut patet ex Cicerone lib. 2. de off. Hinc milites *sacramentarii* a nonnullis dicebantur, et per figuram milites sacramenta quandoque sunt appellati, ut est apud Juvenalem.

Proemia nunc alia atque emolumenta notemus sacramentorum.

Observat Vegetius lib. 2. de re milit. cap. 5. christianos qui mi-

litiae adscribebantur jurare consuevisse *picturis in cute punctis*, *per Deum et Christum et Spiritum sanctum*, *et per majestatem imperatoris omnia se strenue facturos quaecumque praecipere imperator etc.* 3. Pro quolibet jurejurando per aliquod sacrum emisso, unde Quintilianus lib. 12. cap. 2. inquit: *Sed haec inter ipsos qui velut sacramento rogati vel etiam superstitione constricti nefas ducunt*, *a suscepta semel persuasione desciscere*. Haec est sacramenti notio juxta veteres profanos scriptores.

Sed juxta phrasim S. Scripturae, *sacramentum* apud latinos idem prorsus significat ac apud graecos *mysterium*, rem videlicet arcanam atque latentem, sive res illa bona sit et sacra, sive etiam profana et mala. Ita pro re mala atque profana sumitur in Apoc. cap. 17. *Et dixit mihi angelus*: *Quare miraris? ego dicam tibi sacramentum mulieris*. Et Apostolus in 2. ad Thess. cap. 2. de antichristo inquit: *Operatur jam mysterium* (seu sacramentum) *iniquitatis*. Pro re sacra autem ac bona accipitur in ep. 1. ad Tim. cap. 3. ubi idem Apostolus de incarnationis oeconomia scribit: *Magnum pietatis sacramentum quod manifestatum est in carne*, *justificatum est in spiritu*, *praedicatum est in gentibus etc.* Et ad Ephes. cap. 5. de matrimonio ait: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia*. Hujus generis plura sunt in sacris litteris exempla.

In sanctorum autem patrum scriptis et apud recentiores theologos sacramenti nomen pro rei alicujus sacrae et divinae signo accipitur, dicente Augustino in ep. ad Marcellinum: *Signa cum ad res divinas pertinent*, *sacramentum appellantur*. Et in lib. de catech. rud. cap. 26. *Sacramenta signacula esse rerum divinarum visibilia*, *sed res ipsas invisibiles in eis honorari*, *nec sic habendam illam speciem benedictione sanctificatam*, *quemadmodum habetur in usu quolibet*. Non autem cujusvis sacrae divinaeque rei signa sunt sacramenta juxta patres et theologos, sed rei sanctificantis animam, dicente eodem S. doctore in ep. ad Bonif. *Si enim sacramenta quamdam similitudinem earum rerum quarum sacramenta sunt non haberent*, *omnino sacramenta non essent*. Haec est communis omnium catholicorum sententia circa nomen sacramenti.

Sed recentiores haeretici etiam de nomine sacramenti nobiscum contendere non verentur, omnemque adhibent conatum ut nomen istud jamdiu ab Ecclesia consecratum veluti malum ac superstitiosum rejiciant, contendentes Baptismum, Eucharistiam etc. appellanda esse potius signa vel symbola quam sacramenta. Ita Lutherus de Babyl. capt. Melancton de loc. com. et Zuinglius. Non una autem ratio est cur novatores hac in re ad ineptias deflexerint. Primo enim quum de superbissimo reformatorum Ecclesiae titulo caeperint gloriari, vel ipsa sacratissima ab Ecclesia recepta et approbata nomina reformare voluerunt ut proprio fungerentur arrogato sibi munere. Deinde vero existimarunt facilius imponere posse simplicioribus, illorumque animis falsam ingerere opinionem, nullam nimirum sacramenta novae legis habere efficaciam, sed mera signa esse vacua et

egena si vel ab ipso abhorrent nomine sacramenti. Nam ut postea videbimus negant hi sacramenta novae legis producere gratiam ex opere operato. Ut autem caussam aliquam proprio errori praetexant exclamant vocabulum istud novum esse, et in Scripturis eo sensu quo a catholicis sumitur non haberi, ac proinde qui illud admittunt aperte faciunt contra praeceptum Apostoli 1. ad Tim. cap. 6. *Devita profanas vocum novitates*. Ita illi.

Sed decipiuntur apertissime. Nam veteres patres sacramentorum nomine utique utuntur et quidem in sensu a catholicis intellecto. Tertullianus enim ita librum de baptismo orditur: *Felix sacramentum aquae nostrae*. Et in lib. de praescr. cap. 40. scribit: *Ipsas res de quibus sacramenta Christi administrantur tam aemulanter affectavit exprimere* (daemon) *in negotiis idololatriae*. Cyprianus in ep. ad Caecilium: *Sacramenti veritatem*, inquit, *fraternitate omni praesente celebremus*. Et in ep. ad Nemesium: *Sacramentum salutis suae Christi servus agnovit*. Ambrosius sex libros inscripsit, *de sacramentis*. S. P. Augustinus in ep. ad Januar. docet Ecclesiam colligatam esse *Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione praestantissimis*. Nomen ergo sacramenti non est a recentioribus theologis, ut haeretici blaterant, adinventum. Quod autem addit Zuinglius de silentio Scripturae ac Apostoli monitu, acute non minus quam erudite a magno Augustino solvitur tract. 97. in Joan. ubi tradit Apostolum admonere ut non quascumque novitates, sed novitates vocum profanas devitemus. *Nam si omnis novitas profana esset, nec a Domino diceretur, Mandatum novum do vobis: nec testamentum appellaretur novum, nec cantaretur in universa terra canticum novum*. Addit ibidem novas non esse voces illas quarum sensus continetur in Scripturis, et affert exempla xenodochiorum et monasteriorum *quae postea sunt appellata novis nominibus, res tamen ipsae et ante sua nomina erant*. Quod idem affirmat de nomine *homousion* a concilii nicaeni patribus noviter consecratum. *Sed non rem novam tali nomine signaverunt; hoc enim vocatur homousion, quod est: Ego, et Pater unum sumus, unius videlicet ejusdemque substantiae*. Sed de sacramenti nomine satis.

Nunc sacramentorum essentiam accurata definitione explicemus. Sacramenta igitur vel considerantur generatim, prout scilicet sacramenta sunt tum veteris tum novae legis, vel considerantur speciatim quatenus nempe sunt sacramenta novae legis dumtaxat. Si priori modo spectentur definiri potest sacramentum cum Catechismo romano par. 2. num. 5. *Invisibilis gratiae visibile signum ad nostram justificationem institutum*. Sive ut idem Catechismus num. 10. clarius repetit: *Sacramentum est res sensibus subjecta quae ex Dei institutione sanctitatis et justitiae tum significandae tum faciendae vim habet*. Accuratissima est haec definitio. Nam per illa verba, *res sensibus subjecta* convenit sacramentum cum V. Testamenti figuris quae sensibus quoque subjiciebantur, et unum ex sacramentorum muneribus exprimitur, quod est in unum religionis consor-

tium coadunare et colligare homines. *Nam in nullum nomen religionis seu verum seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur*, ait S. Pater lib. 19. cont. Faust. cap. 11. Habet praeterea definitio, *quae ex Dei institutione vim habet*, ut sciamus sacramenta non esse signa naturalia vel ab hominum arbitrio instituta, sed determinata a Deo qui solus auctor est tum V. tum N. Testamenti sacramentorum. Quum enim sacramenta gratiam producant sanctificantem, nemo praeter Deum poterat signa illa instituere. Ac denique absolvitur definitio, *sanctitatis et justitiae tum significandae tum efficiendae*, ut discrimen inter V. ac N. Testamenti sacramenta assignetur; illa enim gratiam significabant quum eam producerent *ex opere operantis*, haec autem gratiam efficiunt quoniam illam producunt *ex opere operato*, ut suo loco demonstrabimus. Quod si sacramentum spectetur in nova lege definiri optime potest: *Signum a Deo institutum ad efficiendam seu caussandam justitiam et sanctitatem*, hoc enim tantum inter veteris ac novae legis sacramenta discrimen, ut diximus, intercedit, quod ista causent, illa significent gratiam. Ita communiter catholici de sacramentorum essentia loquuntur quamvis diversas quoad sonum verborum usurpent definitiones.

Non ita tamen recentiores haeretici. Lutherani quippe post eorum magistrum in lib. de capt. Babyl. cap. postr. definiunt sacramentum: *Externum signum cui adnexa est promissio gratiae*. Calvinus autem cui omnes ejus discipuli subscribunt lib. 4. inst. cap. 14. docet, *sacramenta nihil aliud esse quam signa quaedam, et sigilla divinitus instituta ad obsignandas in nobis et confirmandas divinas promissiones, ad fidem nostram corroborandam, et pietatem erga Deum palam significandam*. Ratio autem cur eam novatores sacramentorum ideam tradant est, quoniam putant nullum sacramentum gratiam *ex opere operato*, sed tantum ex opere operantis producere et causare. Hoc est existimant signa illa externa et sensibilia sacramentorum instituta a Deo fuisse ut ad illorum praesentiam excitetur in hominibus fides cui gratia a Deo repromissa est eo sensu quo in lib. de justif. explicavimus. Quam turpiter a vero lutherani et calvinistae talia de sacramentis effutiendo recedant ex sequentibus apparebit. Atque haec pauca de sacramentorum essentia adnotasse sufficiat.

Nunc de illorum existentia in quolibet hominum statu. Quatuor distinguuntur hominis status. Primus est status *innocentiae* qui ad brevissimum perduravit tempus, a conditione scilicet Adam usque ad illius peccatum. Alter dicitur status *naturae* quod homines non aliam nisi naturae legem haberent, caepitque a lapsu primi parentis usque ad legem datam per Moysem. Tertius est status *legis scriptae* quae initium ducit a Moyse, et accipit finem in Christo quo tempore vivebant homines sub lege a Moyse promulgata. Quartus denique est status *gratiae* seu *legis evangelicae*, qui usque ad saeculi consumptionem perseverabit.

An in statu naturae innocentis aliqua extiterint sacramenta disputant

theologi, negativam partem post S. Thomam tuentibus Soto, Aegydio, Gavardi, Juvenin, aliisque, propugnantibus vero affirmativam Alensi, Durando ex veteribus, et ex recentioribus Fulgentio Bellelli cum nonnullis aliis. Ut ingenue loquar nullius esse utilitatis quaestio haec mihi videtur, quum innocentiae status ad tempus brevissimum perduraverit, nec amplius sit rediturus, unde in ea dirimenda tempus terendum non esse censeo. Qui autem disquisitionem hanc curiosius investigare desiderat adeat cl. Berti qui lib. 30. de theol. discipl. cap. 2. utriusque opinionis argumenta accurate recenset, atque singula solvit acute non minus quam erudite. Illud unum hic animadvertendum existimo quod in eo statu sacramenta esse potuerunt si Deus instituere illa voluisset. Atque ad id credendum sequentia mihi momenta suadent. I. quum homo quamtumvis innocens ex anima et corpore constet, non repugnat ut ad rerum spiritualium assensionem per signa perveniat corporalia. Jam hoc posito non repugnat ut in statu innocentiae essent sacramenta. II. cur non potuisset Deus si voluisset in statu innocentiae gratiam alligare sensibilibus signis? Non dico gratiam medicinalem et sanantem quae certe ubi peccatum non est locum non habet, sed gratiam dico quae foveret augeretque jam collatam. III. si status innocentiae perseverasset, homines proculdubio Ecclesiam constituissent. Ast esse nequit Ecclesia absque aliquibus sacramentis, ut ait Augustinus. IV. fuissent propterea in tali Ecclesia sacrificia et oblationes ad cultum erga Deum protestandum, hisque sacrificiis adnexa aliquo modo fuisset gratia non quidem salvatoris qui carnem non assumpsisset humanam si Adam non peccasset, sed gratiam conditoris qualis collata in sui conditione fuit Adamo. Atque pauca haec de parvi momenti quaestione dixisse sufficiat.

Sequitur nunc ut eadem agamus brevitate de sacramentis in statu naturae. Durandus, Soto, noster legionensis cum aliquibus aliis arbitrantur nulla in naturae lege extitisse neque pro parvulis neque pro adultis sacramenta quibus ad salutem consequendam aeternam satis erat, inquiunt, fidei mera protestatio. Canus, Gavardi, Gonet, et plerique alii in eo statu tam pro parvulis quam pro adultis aliqua agnoscunt sacramenta. Suarez, Juvenin et alii pauci concedunt quidem legis naturae filiolis sacramenta, sed illa negant adultis. Nos alteram ex recensitis sententiis probabiliorem putamus. Et quidem ratione plurima. Nam quoad parvulos. I. S. P. Augustinus lib. 5. cap. 11. cont. Julianum contendentem ex fide originalis peccati sequi pueros in lege naturae omnes periisse, ita respondet: *Nec ideo tamen credendum est, et ante datam circumcisionem famulos Dei quandoquidem eis inerat fides mediatoris in carne venturi, nullo sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis quamvis quid illud esset aliqua necessaria caussa Scriptura latere voluerit*. II. fides in Christum venturum etiam lege vigente naturae necessaria fuit ad aeternam salutem; neque enim in aliquo alio salus esse potest quam in nomine Jesu, ait princeps Apostolorum: *atque haec salvos faciebat antiquos pusillos cum magnis*, subdit Augustinus lib. 2. de nupt. et conc. cap. 11. Ast

nisi aliquod fuisset sacramentum pusilli ad fidei actum eliciendum, utpote usu rationis impares, aeternam consequi salutem non potuissent. III. divinae providentiae repugnat ut pro parvulis ante octavum diem decedentibus, ac pro foemellis remedium ad originalem culpam delendam institutum sit in statu legis scriptae, et nullum pro iisdem esset remedium in statu legis naturae. Neque enim Deus receptor est personarum. Si quis autem quaerat in quo praecise sacramentum illud parvulorum in lege naturae consisteret, nihil affirmate responderi potest quum Scriptura et traditio penitus sileant. Arbitror autem fuisse sacrificium aliquod vel sacrum ritum non ad hominum libitum, ut nonnulli censent, inventum et usurpatum, sed a Deo protoparenti lapso revelatum ac per oralem traditionem in ejus posteritate, ut et multa alia, conservatum. Quum enim remedium pro originali peccato res sit ad religionem pertinens, a Dei non ab hominum voluntate determinandum erat.

Hoc idem dico de sacramentis adultorum in eodem legis naturae statu. Existimo nempe nonnulla ex iis sacrificiis quibus Deum veteres colebant revelata ab ipso Deo fuisse primo nostro parenti, atque ab hoc tradita Abeli, Caino, per quos transmissa fuerint ad posteros, iisque fuerit a Deo alligata gratia. Nam I. inquit S. P. Augustinus in lib. 2. de nupt. et conc. cap. 11. *Superioribus temporibus omnino latuit sacramentum justificationis ex fide. Eadem tamen fides mediatoris salvos justos faciebat antiquos pusillos cum magnis*. Supponit itaque extitisse reapse aliqua licet nobis ignota sacramenta. II. sacrificia non ad protestandum Dei cultum dumtaxat, sed ad homines etiam sanctificandos fuere instituta. Quare sacrificia saltem aliqua legis naturae adnexam habere debebant gratiam. III. et revera si id non fuisset, peccatores consequi debuissent justificationem per solos internos fidei et contritionis actus: quod vero simile non videtur, alioquin legis naturae status perfectior fuisset statu legis evangelicae in quo actus fidei ac contritionis non justificant nisi adhibitis vel in re vel in voto sacramentis. IV. nonne in statu legis scriptae alligavit Deus gratiam nonnullis sacrificiis? Cur ergo pro infinita clementia sua ad hominum sanctificationem idipsum non fecerit in statu legis naturae?

Sed adversus hanc nostram sententiam objiciunt nonnullorum Patrum auctoritatem, et Tertulliani praesertim ac magni Gregorii, quorum primus in lib. de bapt. cap. 13. inquit: *Fuerit salus retro per fidem nudam ante Domini passionem et resurrectionem: at ubi fides aucta est credendi . . . addita est ampliatio sacramenti, obsignatio baptismi etc.* Alter vero lib. 4. mor. cap. 3. *Quod autem*, inquit, *apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro iis qui ex Abrahae stirpe prodierant, mysterium circumcisionis*.

Non valent tamen haec ad statutam opinionem convellendam. Primo namque argumentum ex Tertulliano depromptum demonstraret non modo in statu legis naturae, sed neque in statu legis scriptae fuisse sa-

cramenta, quum salutem reponere videatur in nuda fide omni retro tempore indefinite ante Domini passionem ac resurrectionem. Deinde loquitur Tertullianus ex liberali concessione; refellit siquidem nonnullos affirmantes solam fidem absque regenerationis lavacro ad salutem sufficere, propterea quod per solam fidem absque baptismo ante Domini adventum salvabantur. Unde Tertullianus ut breviori stilo eos refellat inquit: *Fuerit retro per fidem nudam etc.* ac si dicat: Esto tunc per solam fidem salus consequi posset, nunc tamen satis non est quia Christus dixit: *Nisi quis renatus fuerit etc.*

Ad 2. Gregorius autem negare videtur in statu legis naturae sacramenta quae gratiam ex intrinsecis suis seu ex *opere operato* conferrent, non absolute. Hinc adscribit justificationem fidei. Et revera ex capitis illius lectione satis apparet loqui se ad mentem Augustini cujus sententias ibi exscribit. Quid autem senserit hac in re S. Pater jam observavimus.

Tertius, ut diximus, hominum status legis scriptae in quo aliqua extitisse sacramenta nemo unus inficiatur. Et merito plane, si enim sacramenta nonnulla existebant in lege naturae ad futuri reparatoris adumbrandum adventum, nonne existere debebant potiori jure in lege scripta, quo tempore perfectior erat vera religio? Hinc S. P. Augustinus lib. 19. cont. Faust. *Sacramenta*, inquit, *veteris legis ablata sunt quia impleta*; *et alia sunt instituta virtute majora*, *utilitate meliora*, *actu faciliora*, *numero pauciora*. Et concilium florentinum in instr. pro arm. ait: *Sacramenta vetera non causabant gratiam*. Tridentinum vero sess. 7. can. 7. hunc edidit canonem: *Si quis dixerit, et ipsa novae legis sacramenta a veteris legis sacramentis non differre etc.* Quae supponunt extitisse utique in lege scripta sacramenta.

Multo minus dubitari potest de sacramentorum existentia in statu legis evangelicae. In hoc quippe statu religio perfectissima est, adeoque sensibilibus indiget signaculis ad fidelium animos colligandos, humana natura est adhuc infirma, vulneribusque sauciata, unde remediis indiget ut sanetur, atque adminiculis ut erigatur et perficiatur. Hinc nemo vel catholicus vel perditissimus haereticus ausus umquam est sacramentorum in hoc statu inficiari existentiam. Et lutherani et calvinistae qui nihil sive ad dogma pertineat sive ad mores sive ad disciplinam intactum reliquerunt, quamvis catholicae adversentur Ecclesiae et in numero et in efficacia sacramentorum novae legis, in asserenda tamen illorum existentia nihil habent quod reprehendant.

CAPUT II.

A quo originem habeat circumcisio, *et quo fine fuerit instituta*.

Non hebraei solum, sed et aegyptii et aethiopes et colchi et phoenices et arabes et syrii et trogloditae solebant antiquitus sibi

praeputium circumcidere. Hinc oriri dubium potest quaenam ex his nationibus prima fuerit quae circumcisionem invexerit, eamque ad alias transmiserit gentes. Communior theologorum pars sacrae Scripturae sanctorumque patrum innixa auctoritati tenet Abrahamum jussu Domini primum omnium in corpore suo admisisse circumcisionem. Joannes tamen Marshamus anglus opinionem sequi malens Herodoti, Diodori siculi, ac Celsi judaicarum rerum parum nihilve peritorum arbitratus est ritum hunc ab aegyptiis primum invectum fuisse, tum ab ipsis ad reliquos populos et ad judaeos etiam derivasse. Nos communi theologorum sententiae subscribimus.

Supposito igitur quod Abraham primus omnium mortalium virilia, jubente Domino, sibi praeciderit, inquirunt scholastici ad quem finem ritum illum praeceperit Deus, an tamquam merum signaculum ad judaicum secernednm populum a reliquis gentibus, vel etiam tamquam sacramentum ad originale delendum peccatum. Vasquez, Bellarminus, aliique veteres, et ex recentioribus Natalis Alexander, l' Hermenier, Tournely contendunt circumcisionem datam a Deo fuisse tamquam merum signum ad hebraicum populum distinguendum a reliquis gentibus. S. P. Augustinus cui cum S. Thoma et Scoto subscribunt illustriores e schola theologi tum veteres tum recentiores pro certo tenent ritum ponendi praeputium institutum a Deo fuisse non solum in signum distinctionis, sed praecipue ut sacramentum ad originalis culpae maculam delendam. Sententiam hanc et nos expansis ulnis amplectimur. Unde sit

CONCLUSIO I.

Abraham ex Dei mandato primus omnium circumcisionem admisit.

Prob. 1. ex Script. Gen. cap. 17. ita Deus Abraham alloquitur: *Hoc est pactum meum quod observabitis inter me et vos, et semen tuum post te. Circumcidetur ex vobis omne masculinum, et circumcidetis carnem praeputii vestri, ut sit in signum foederis inter me et vos. Infans octo dierum circumcidetur in vobis ... tam vernaculus, quam emptitius circumcidetur ... eritque pactum meum in carne vestra in foedus aeternum. Masculus cujus praeputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima ejus de populo suo*. Haec adeo perspicua sunt ut mirari subeat Marshamum magni ingenii virum in contrariam abiisse sententiam. Nam si circumcisione aegyptii quoque usi fuissent et colchi aliaeque gentes, ubinam esset ratio signi ad hebraicum secernendum populum ab aliis nationibus? Praeterea in recitata sententia jubet Dominus Abrahae ut non solum de stirpe sua filios, sed et emptitios qui ad eum accederent circumcidat. Ethnici itaque populi, aegyptii, phoenices, colchi aliique circumcisione non utebantur. II. Gen. cap. 34. narratur filios Jacob noluisse sororem Dinam matrimonio jungere chananaeo viro quoniam illicitum ac nefarium erat apud illos cognationes inire cum viris incircumcisis. *Non possumus*

dare sororem nostram homini incircumciso: quod illicitum et nefarium sit apud nos. Ex quo apparet jam tunc temporis circumcisionis usum chananaeos non habuisse. Ast plurium eruditorum opinio est ac praesertim Herodoti, Diodori siculi, Dionysii peregetis apud Strabonem, chananaeos aegyptiorum fuisse progeniem. Unde priscis illis temporibus soli filii Abraham praeputia ponebant. III. Quum filii Israel post exitum de Aegypto ob diutinae incommoda peregrinationis circumcisionem neglexissent, postquam terram appulerunt promissionis, jussit Deus ut infantes in deserto nati circumciderentur: aitque Dominus Jos. cap. 5. *Hodie abstuli opprobrium aegypti a vobis*. Quod si circumcisio etiam apud aegyptios viguisset, quomodo per circumcisionem ablatum ab israelitis fuisset opprobrium aegypti?

Prob. 2. ex PP. Justinus in dial. cum Tryph. *Abraham*, inquit, *qui primus circumcisionem carnis accepit etc.* Irenaeus lib. 4. cap. 30. scribit: *Quod autem circumcisionem in signum dederit Deus ut cognoscibile perseveret genus Abrahae, ex ipsa Scriptura discimus*. Origenes lib. 1. cont. Cels. *Post haec circumcisionem pudendorum non reprehendens Celsus judaeis usitatam, ait eam mutuatos ab aegyptiis, malens aegyptiis credere quam Moysi qui refert primum mortalium circumcisum Abraham*. Chrysostomus hom. 39. in Gen. *Ut igitur ne gentibus se commiscerent in aegypto, circumcisionem signi gratia justo praecipit et inquit: Hoc est testamentum etc.* Paria his leguntur apud Epiphanium, Hieronymum, Theodoretum, Ambrosium, Augustinum, Beda, quorum testimonia diligenter collegit Natalis Alexander.

Prob. 3. ex extraneis scriptoribus. Josephus reprehendens Herodotum quod scripserit phoenices ac syros in palaestina degentes ab aegyptiis accepisse circumcisionem lib. 8. antiq. cap. 10. scribit: *Ceterum constat, quod nulli alii circumcidantur in palaestina syri, praeter quam nos*. Tacitus etiam lib. 5. hist. affirmat, *judaeos circumcidere genitalia instituere, ut diversitate noscantur*.

CONCLUSIO II.

Circumcisio non propter signum tantum fuit instituta, sed ut per illam daret Deus medium ad delendum peccatum originale.

Prob. prior pars. Justinus in dial. cum Tryph. *Circumcisio*, inquit, *vestra in signum data est*. Eadem repetit Irenaeus loco supra citato. Tertullianus lib. 3. cont. jud. *Acceperat enim Abraham circumcisionem, sed quae esset in signum temporis illius*. Chrysostomus hom. 39. in Gen. de circumcisione ait: *Hoc injunxit, non alterius cujuspiam gratia, quam ut esset assignatus, sibique segregatus populus*. Ambrosius lib. 1. de Abr. cap. 4. *Cum apostolus dixerit Paulus: Quia Abraham signum accepit circumcisionis; utique signum non ipsa res, sed alterius rei est etc.* Hieronymus lib. 1. in ep. ad Gal. *Providens Deus ne soboles di-*

lecti Abrahae ceteris nationibus misceretur, *et paulatim familia ejus fieret incerta*, *gregem israeliticum quodam circumcisionis cauterio denotavit*, *ut viventes inter aegyptios*, *inter assyrios*, *babylonios atque chaldaeos*, *hoc signaculo distinguerentur*. Mitto in re certissima aliorum testimonia scriptorum Josephi praesertim et Taciti, quos paullo supra citavimus.

Prob. altera pars, quod nempe circumcisio data non fuerit ut merum signum, sed ob aliquod aliud. Circumcisio data a Deo fuit ad significandum foedus cum Abrahamo initum, ad commonendum reprimendas esse sensuum illecebras, ad praenunciandum baptismum, illique adnexam gratiam. Et 1. quidem fuit circumcisio signum foederis cum Deo initi. Nam Gen. cap. 17. inquit Deus ad Abraham: *Circumcidetis carnem praeputii vestri*, *ut sit signum foederis inter me et vos*. Apostolus ad Rom. 4. de Abraham scribit: *Signum accepit circumcisionis*, *signaculum justitiae fidei*. Justinus in memorato dial. cum Tryph. judaeo: *Vobis necessaria fuit circumcisio*, *ut populus fieret non populus*, *et gens non gens*, *ut Oseas ait*, ut scilicet hebraicus populus in veram coalesceret religionem. Quod luculentius expressit Chrysostomus hom. 39. in Gen. ubi affirmat Deum praecepisse Abrahamo circumcisionem, *ut doceat*, *et illos et omnes nos*, *quare hoc injunxit*, *et quod non alterius cujuspiam gratia quam ut esset assignatus*, *et sibi segregatus populus*, *inquit*: *Et erit signum testamenti inter me et vos*. Hinc Fl. Josephus de vita sua lib. 2. narrat se restitisse nonnullis judaeis per vim circumcidere volentibus trachonitas, hac ductus ratione quod hominem quemque oportet ex animi sui voluntate Deum colere. Non fuit ergo circumcisio merum signum ad judaicum populum a reliquis gentibus secernendum. 2. Circumcisio commonet homines ut reprimant sensuum voluptates. Nam Deut. cap. 10. legitur: *Circumcidite igitur praeputium cordis vestri etc.* Ad Rom. cap. 2. v. 29. *Circumcisio cordis in spiritu*, quae phrases cohibitionem proculdubio significant voluptatum. Quare Chrysostomus hom. saepe laudata inquit: *Vide sapientiam Domini*, *quomodo cum sciret imperfectas et pravas eorum mentes futuras*, *signum circumcisionis quasi fraenum quoddam imposuit ad indomitos eorum impetus cohibendos*. Et S. P. Augustinus tract. 30. in Joan. *Significat ergo ista circumcisio expoliationem a corde cupiditatum carnalium*. *Non ergo sine caussa data est*, *et in eo membro jussa fieri*: *quoniam per illud membrum procreatur creatura mortalium*. Hoc ipsum tradiderat jam Philo judaeus. 3. Data insuper fuit circumcisio ad praenuntiandum baptisma, eique adnexam regenerationis gratiam, quod omnes plane sancti Patres crediderunt. Nam Justinus in cit. dial. inquit: *Porro praeceptum circumcisionis octava die omnino circumcidere jubens infantes natos*, *nota erat verae circumcisionis qua circumcisi sumus ab errore et pravitate per eum qui a mortuis resurrexit*. Irenaeus lib. 4. adv. haer. cap. 16. *Secundum carnem circumcisio circumcisionem significabat spiritualem*. *Etenim nos*, *ait Apostolus*, *circumcisi sumus circumcisione non manufacta*. Cyprianus in ep. ad Fidum; *Quod in carnali circumcisione octavus dies observabatur*, *sacramen-*

tum est in umbra atque imagine ante praemissum, *sed veniente Christo veritate completum*. Ambrosius lib. 5. de Abraham cap. 11. *Et domesticus*, *et alienigena*, *et justus*, *et peccator circumcidatur*. *remissione peccatorum*, *ut peccatum non operetur amplius*, *quia nemo ascendit in regnum caelorum*, *nisi per sacramentum baptismi*. De Augustini mente dubitari non potest quum innumeris in locis docuerit circumcisionem fuisse V. Testamenti sacramentum novae legis baptismum praefigurans. Sed accipe praeclarissimum illius testimonium in lib. 2. de anim. cap. 11. *Circumcisio quippe fuit illius temporis sacramentum*, *quod praefigurabat nostri temporis baptismum*. Constat igitur manifestissime circumcisionem non fuisse signum mere politicum, sed religiosum a Deo institutum tamquam verae religionis signaculum ad commonendos homines ut sensuum refraenarent illecebras, et ad N. Testamenti baptisma praefigurandum; ac proinde constat etiam fuisse circumcisionem V. Testamenti sacramentum.

Prob. 3. prop. pars, quod circumcisio nimirum fuerit sacramentum ad delendam originariam culpam institutam. I. Scripturis. Gen. enim cap. 17. legitur: *Masculus*, *cujus praeputii caro circumcisa non fuerit*, *delebitur anima illius de populo suo*, *quia pactum meum irritum fecit*. Quibus in verbis nomine *pacti* venire legem a Deo in paradiso voluptatis latam, et per illam phrasim, *delebitur anima illius de populo suo*, significari aeternam damnationem, rationibus ex Augustino desumptis fuse demonstravimus agentes de peccato originali, unde ex laudato testimonio consequitur circumcisionem parvulos ab aeterna liberare damnatione quam ob pactum ab Adamo transgressum promeruerunt. Innumera congerunt recentiores ac praesertim Tournely, et l' Hermenier post Bellarminum aliosque paucos ut vim elevent allati argumenti. Sed a contortis horum theologorum interpretamentis textum vindicavimus citato in lib. de pec. orig. quem consulite. II. ex PP. qui Augustinum praecesserunt. Basilius quippe hom. 13. circumcisionem comparant baptismo dicens: *Circumcisionem judaeus minime differt ob comminationem*; *quoniam omnis anima quae die octava non circumciditur ex populo suo exterminabitur*: *at tu circumcisionem non manufactam quae per baptismum in depositione carnis perficitur*, *differre quaeris*? *Ipsum audisti Dominum*: *Amen dico vobis*, *nisi quis renatus etc.* Hoc Basilii testimonium urget Augustinus adv. Jul. lib. 2. cap. 6. sub Chrysostomi nomine ad demonstrandam originalis peccati existentiam. Ambrosius lib. 2. de Abraham cap. 2. *Egregie*, ait, *infantia in primis vagitibus circumcidi mares lex jubet*, *etiam vernaculos*, *quia sicut ab infantia peccatum*, *ita ab infantia circumcisio*. Esychius jerosolimitanus qui Augustino coaevus fuit lib. 3. in Levit. ita scribit: *Ergo hic est modus propter quem infantes octavo die jubet circumcidi*; *incircumcisum autem perire de populo suo ostendit*, *quia ante circumcisionem abominabilem habet carnem et immundam*. *Mundatur autem per circumcisionem quae imaginem gerit resurrectionis mortuorum*. Eamdem fidem semper habuit ex traditione judaeorum synagoga, ut ex veterum recentiorumque scriptorum lectione patet apud

Josephum Voisinum. Unde consequitur decipi Bellarminum ac nonnullos qui eum sequuntur affirmantes opinionem hanc inductam fuisse ab Augustino disputante cont. Pelagianos ut eo quo posset modo conquisitis undique absque delectu argumentis originariae culpae demonstraret propagationem. Decipiuntur, inquam, quum ex dictis appareat nec latum unguem, Augustinum a veterum sententia patrum recessisse. Quamquam etsi novas protulisset animadversiones in sacram Scripturam, non proinde culpandus sed laudandus foret. Veteres quippe nondum pelagianis litigantibus securius in Ecclesia loquebantur, atque idcirco materiam de peccato originali non tam accurate, ut Augustinus, expenderunt. III. nunc pro iis qui S. doctoris auctoritatem magis quam Bellarminus reverentur nonnulla ex eo producamus. Infinitus fierem si omnia ad rem hanc facientia colligere vellem. Seligam aliqua praesertim cum adversarios consentientes habeam. In ep. ergo ad Dardan. cap. 11. *Circumcisio*, inquit, *antiquis sanctis pro baptismo fuisse creditur*. Lib. 2. cont. litt. Petil. cap. 72. *Certe antiquus populus Dei circumcisionem pro baptismo habebat*. Lib. 3. cont. Jul. cap. 18. fusissime versat argumentum ex cap. 17. Gen. deductum ad demonstrandam originalis culpae transfusionem; unde inquit de Isaac: *Quid meruerat, ut anima ejus de populo suo periret, nisi circumcisio subveniret?* Et lib. 6. cap. 7. *Quod nisi* (originale peccatum) *esset in semine, ad parvulos quibus circumcisione illa corporis auferendum est, nullatenus perveniret*. IV. ex PP. qui post Augustinum floruerunt. Prosper in lib. de praedict. Dei p. 1. cap. 14. tradit circumcisionem fuisse institutam, *ut per integritatis decus id repararetur quod fuit vitiatum*. Gregorius M. lib. 4. mor. cap. 3. *Quisquis*, inquit, *regenerationis unda non solvitur, reatu primi vinculi ligatus tenetur. Quod vero apud nos valet aqua baptismi, hoc egit apud veteres, vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro his qui ex Abrahae stirpe prodierant, mysterium circumcisionis*. Isidorus in Gen. *Quaeritur*, inquit, *quomodo pueri incircumcisi qui pactum Dei irritum non fecerunt perire debeant. Sed pactum Dei non secundum opus, sed secundum originem in primo homine irritum fecerunt, in quo omnes peccaverunt*. Bernardus serm. 1. de coena dom. ne innumera Patris hujus exscribam testimonia, inquit: *Quae est ergo gratia, unde per baptismum investimur? Utique purgatio delictorum. Hujus quidem gratiae sacramentum prius erat circumcisio, ut originalis rubiginem culpae quae manaverat a parentibus primis, cultellus eraderet*. Sanctis patribus auctoritas accedit Innocentii III. qui in cap. *majores*, recitatis Bernardi verbis, scribit: *Etsi originalis culpa remittebatur per circumcisionis mysterium ... non tamen perveniebatur ad regnum caelorum, quod usque ad mortem Christi fuit omnibus obseratum*. V. ex illustrioribus scholasticis. Magister sent. in 4. dist. 1. num. 6. docet, *Per circumcisionem, ex quo instituta fuit, remissionem peccati originalis et actualis, parvulis et majoribus a Deo praestitam, sicut nunc per baptismum datur*. S. Thomas p. 3. q. 70. a 4. *Ab omnibus communiter ponitur, quod in circumcisione peccatum origi-*

nale remittebatur. S. Bonaventura in 4. dist. 1. a. 3. q. 3. *In circumcisione*, inquit, *delebatur culpa*, *et conferebatur gratia*, *et ad utrumque ordinabatur circumcisio*. Scotus ibid. q. 6. *Supponendum tamquam certum*, *quod per circumcisionem peccatum originale remittebatur*, *quod patet per auctoritates sanctorum*. Idipsum docuerunt Durandus, Alensis, Argentina, Paludanus, Soto, aliique; unde communis erat inter scholasticos nostra sententia. Et nihilominus Tournely indita sibi confidentia scriptitat opinionem de circumcisione in remedium originalis peccati instituta esse singularem S. Augustini.

CAPUT III.

In quo adversariorum expenduntur argumenta.

Obj. 1. cont. 1. thes. Herodotus graecorum historicus nobilissimus lib. 2. cap. 104. haec ad rem nostram habet: *Soli autem omnium hominum colchi et aegyptii et aethiopes ab initio statim pudenda circumcidunt*. *Nam et phoenices et syri qui sunt in Palaestina didicisse id ab aegyptiis et ipsi confitentur*. Porro syri qui Palaestinam eo tempore incolebant erant proculdubio judaei, unde concludit Marshamus judaeos ab aegyptiis circumcidendi ritum accepisse. II. convenit cum Herodoto Diodorus siculus qui lib. 1. de judaeis et colchis scribit; *Ideo gentibus illis ex antiqua traditione in usu est*, *ut circumcidant statim a partu pueros*, *ritu ab aegyptiis derivato*. Ita et Strabo lib. 17. Julianus apostata apud Cyrillum alex. et Celsus apud Origenem. III. accedit his silentium Philonis, Josephi, Origenis, et Cyrilli. Philo quippe ut a probro circumcisionem vindicaret, ajebat in usu esse etiam apud aegyptios nulla de illius per Abraham institutione facta mentione. Josephus relata Herodoti sententia proxime a nobis recitata alio sermonem divertit, nec Herodotum redarguit falsitatis. Nec Origenes respondet Celso eadem objicienti, sed neque Cyrillus Juliano. IV. sacra quoque Scriptura sententiae favet Marshami. Nam Jerem. cap. 9. v. 25. et 26. ita legitur: *Visitabo super omnem qui circumcisum habet praeputium*, *super Ægyptum et super Juda et super Edom et super filios Ammon et super Moab et super omnes qui attonsi sunt in comam habitantes in deserto*. Ut quid primum locum tribueret Deus aegyptiis inter circumcisos nisi judaei ab illis circumcidendi ritum accepissent? V. verisimile non est aegyptios circumcisionem accepisse a judaeis, unde dicendum est judaeos illam accepisse ab aegyptiis.

Resp. ad 1. Non teneri nos hac in caussa auctoritate Herodoti licet historici praeclarissimi. 1. Quoniam in multis errasse Herodotum testatur Plutarchus edito libro, *de Herodoti malignitate*. 2. In rebus describendis aegyptiacis saepe fuisse deceptum ex scriptis Manethonis probat Josephus lib. 1. adv. Apionem, ubi sic inquit: *Herodotum frequenter in aegyptiacis ignoratione mentitum*. Et Diodorus siculus lib. 1. scribit: *Nos autem quae Herodotus et nonnulli rerum aegyptiarum scriptores portenta nar-*

rationum pro veritate sponte amplexi, et voluptatis gratia fabulas commenti blaterarunt, missa faciemus. 3. Quoniam, inquit Herodotus, syros Palaestinam incolentes, hoc est judaeos, confiteri se ab aegyptiis circumcisionem accepisse, quod penitus falsum est; quum e contra judaei contendant ab ipsis ritum hunc derivasse ad aegyptios. 3. Addit Herodotus phoenices quoque circumcisionem se accepisse ab aegyptiis fateri, quod pariter falsissimum est; quum Philo byblius, natione phoenix ap. Eusebium l. 1. praep. evang. cap. 10. affirmet gentem suam a Saturno morem ponendi praeputia recepisse. Quod si phoenicum nomine intelligat Herodotus idumaeos, nec ab errore immunis erit; hi namque non ab aegyptiis sed ab Abrahamo per Esau circumcisionem didicerunt. 5. Demum nonne majorem praebere debet fidem Marshamus Moysi scriptori antiquiori, judaeo, divinitus inspirato?

Ad 2. Multo minus Diodori siculi admittenda est auctoritas ubi agitur de re antiquissima, quum historicus hic Julii Caesaris et Augusti aevo floruerit. Et mentitum revera fuisse plura suadent. 1. Affirmat ibidem non colchos modo sed et judaeos ab aegyptiis fuisse propagatos. Nonne hoc putidissimum est mendacium? 2. Troglodytis quoque eamdem assignat originem quum plerique eruditorum pro certo habeant troglodytas originem ducere ab Abrahamo ex Cettura, aut saltem ab hujus filiis, non ab aegyptiis circumcisionem accepisse. 3. Inquit siculus scriptor judaeos a partu circumcidere filios more aegyptiorum. Ast duo hic habet mendacia. Primum quod aegyptii omnes circumcisionem in suo corpore admitterent, quum testibus Origene lib. 2. comm. in ep. ad Rom. et Clemente alexandrino lib. 1. strom. soli sacerdotes, aruspices et astrologi praeputia reciderent. Alterum quod aegyptii a pueritia circumciderentur; quum Josephus lib. 5. antiq. cap. 12. et Origenes in philocalia fidem faciant consuevisse aegyptios praeputia recidere tertiodecimo aetatis anno. 4. Nonne idem Diodorus lib. in argumento laudato ambitiosam perstringit egyptiorum jactantiam quod multa superbe magis quam vere sibi ipsis tribuant, quae nec firmis demonstrationum argumentis nec idoneorum auctorum testimoniis subnitantur? Non tamen putandum est studiose perillustrem historicum in assignanda circumcisionis origine fuisse mentitum; hebraei enim vix de nomine noti erant, cunctisque erant gentibus exosi. E contra persuasum graecis scriptoribus erat religionem, politiam, omnemque sapientiam ab Ægypto primitus ad ceteras terrae partes derivasse. Nil mirum ergo si Diodorus graecus scriptor religiosi illius ritus originem aegyptiis refert acceptam. Eadem adhibenda est responsio ad argumentum quod ex Strabone, Celso, ac Juliano urgeri potest.

Ad 3. Argumentum hoc mere negativum est, nec quidquam adversus argumentum positivum praesumere valet a nobis ex innumerorum Patrum testimonio, et quod magis est ex divinissimo scriptore Moyse depromptum cujus assertio magis plane valere debet apud Marshamum quam plurium scriptorum silentium. Sed aliquid ad singula respondendum est. Atque ad 1. Non erat hic locus ubi Philo demonstrare teneretur circumcisionem pri-

mitus fuisse a Deo per Abraham institutam, quoniam controversia erat an judaeis exprobranda esset circumcisio tamquam infame aliquod ac superstitiosum, non utrum aegyptii habendi essent ut circumcisionis inventores. Dicens ergo Philo haud mediocri honore morem hunc habitum fuisse ab aliis etiam gentibus ac praesertim aegyptiis, satis superque partibus suis satisfecit, nec demonstrare tenebatur Abraham primum fuisse circumcisionis promulgatorem. Imo si credidisset Philo religiosum illum ritum ab aegyptiis ad judaeos derivasse, id inculcare non omisisset, ut ita ab infamia sibi objecta gentiles suos vindicaret. Ceterum alibi Philo circumcisionem adscribit Abrahamo ceu primo auctori, ut capite superiori observavimus. Ad 2. et 3. Cur Joseph gloriae popularium suorum tam strennus vindex, cur etiam Cyrillus Juliani insectator acerrimus Herodoti de primatu circumcisionis sententiam refutatione dignam non existimaverint, divinare non possumus. Noluerunt forte longius a scopo divertere. Id unum tamen scimus et Josephum et Cyrillum alibi tradere judaeos a Deo per Abraham circumcisionis legem recepisse. Quoad Origenem spectat, negligenter legit Marshamus Origenis lib. 1. cont. Cels; ibi enim ita scribit: *Post haec circumcisionem pudendorum non reprehendens Celsus judaeis usitatam, ait eam mutuatos ab aegyptiis, malens aegyptiis credere quam Moysi qui refert primum mortalium circumcisum Abraham.*

Ad 4. Pluribus demonstrari potest exemplis sacram Scripturam non semper temporis aut ordinis servare rationem ubi plura simul enumerat; unde ex quo Jeremias primos inter circumcisos recenseat aegyptios, colligi nequit illos ante judaeos circumcisionem usurpasse. Deinde ratio cur Jeremias primum commemoret aegyptios est, quoniam quum de inferenda scelestis hominibus poena illic agatur, atque aegyptii in quorum potentia judaei confidebant ceteris scelestiores forent, debuit propheta enuntiare Deum fore visitaturum primum aegyptios, deinde judaeos ac praeterea ceteros quos ibi commemorat. Denique dici etiam potest loqui prophetam non de circumcisis dumtaxat, sed etiam de habentibus praeputium. Nam post allata in argumento verba e vestigio subjungit: *Quia omnes gentes habent praeputium, omnis autem domus Israel incircumcisi sunt corde.* Hoc posito recensentur aegyptii inter incircumcisos.

Ad 5. Judaeos circumcidendi consuetudinem ab aegyptiis non didicisse, praeter ea quae hactenus protulimus suadet discrimen maximum quod inter utramque intercedit circumcisionem. Ægyptii enim non mares solum, sed et foeminas, ut testis est Strabo lib. 17. circumcidebant. Judaei autem solos masculos. Ægyptii ferrum praeputio admovebant tertiodecimo, ut ait Origenes, vel ut inquit Ambrosius, quartodecimo aetatis anno. Judaei vero octava die a nativitate. Illi solos sacerdotes praeputia reciderc jubebant, ut ex Epiphanio haer. 30. et Clemente alex. lib. 1. strom. apparet. Hi autem omnes ac singulos indifferenter. Ægyptii circumcisionem admittebant vel ob corporis munditiem vel ob foecunditatem vel ad morbum vitandum vel ad superstitiosam sacerdotum initiationem. Judaei autem tamquam sacramentum, ut filios Deo vero ab ipso vitae limine con-

secrarent. Non est ergo verisimile judaeos fuisse ab aegyptiis circumcisionem mutuatos. Qua autem via ad aegyptios derivaverit non potest tam facile definiri, de re quippe antiquissima pertractatur. Daniel Huetius vir omnigena eruditione clarissimus arbitratur ab Ismaele ac Cethurae filiis ad arabes, idumaeos, ammonitas, moabitas, madianitas, troglodytas: ab arabibus ad aegyptios pervenisse. Niti dicit suam opinionem Scripturae auctoritati itinera filiorum Abrahae narrantis per illas terras.

Obj. 2. adv. alt. thes. ex V. Testamento Gen. cap. 17. v. 11. inquit Deus ad Abraham: *Circumcidetis carnem praeputii vestri, ut sit in signum foederis inter me et vos*. Et subinde: *Eritque pactum meum in carne vestra in foedus aeternum*. En signum foederis et pactum, non sacramentum in remedium originariae culpae. II. ex N. Testamento Apostolus ad Rom. 4. negare videtur circumcisionem datam a Deo fuisse in remedium peccati. Nam loquens de effectibus quos produxit in Abraham inquit: *Quid ergo dicemus invenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem?* Ac si diceret nihil emolumenti ex carnis accepisse circumcisione praeter signum quoddam justificationis quam etiam ante circumcisionem jam habebat. Videtur quoque in eadem epistola c. 3. insinuare judaeos per circumcisionem non sanctificantem gratiam, sed solam notitiam legis percepisse, ait quippe: *Quid ergo amplius judaeo est? aut quae utilitas circumcisionis? Multum per omnem modum. Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei*. Eaque in sententia constans semper fuit Apostolus, unde in ep. etiam ad Gal. cap. 5. ait: *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium*.

Resp. ad 1. Eodem in capite Gen. ubi circumcisio dicitur signum foederis, dicitur quoque remedium originalis peccati. Nam de puero non circumciso pronuntiatur: *Delebitur anima illius de populo suo*, quae sententia huic alteri quae occurrit Joan. cap. 3. *Non potest introire in regnum Dei*, aequivalet. Deinde ex ipsa adversariorum confessione colligitur circumcisionem in remedium institutam fuisse originalis peccati, siquidem in signum foederis Deum inter ac Abrahae semen fuerit instituta. Deus enim qui summa justitia est, pactum ac foedus nonnisi cum justis, ut Abraham erat et Jsaac et Jacob et David, inire potest. Quare quum circumcisio in signum data fuerit foederis inter Deum ac filios Abrahae, vel hi justi erant et absque originali macula, quod ab adversariis non admittitur, vel peccatum tollendo originale justos faciebat illos qui circumcidebantur.

Ad 2. Circumcisio, ut et reliqua V. Testamenti sacramenta, conferebat quidem justificationem, sed juxta Augustinum cui subscribimus, *ex opere operantis*, non *ex opere operato*; hoc est homines non propria vi et efficacia ut baptismus, sed per fidem in futurum reparatorem justificabat, unde a S. doctore appellatur *sacramentum justificationis ex fide*. Hoc praemisso jam nullo negocio solvitur argumentum ex Apostolo. Quando enim affirmare ille videtur nihil prodesse circumcisionem, subaudi *per se*, absque fide in futurum reparatorem, et nulla erit difficultas. Sed pro-

pius ad rem accedamus. Dicens Paulus nihil invenisse Abraham secundum carnem, significare vult justificationem datam a Deo fuisse Abrahae non per externum illud carnale signum, sed per fidem. *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam*. Hinc ibid. docet Apostolus eodem modo nihil invenisse Abraham in circumcisione, sicut nihil invenit in operibus legis: *Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum*. Ast dicens non esse justificatum Abraham ex operibus, idem est ac si dicat justificatum fuisse ex operibus legis cum fide in futurum mediatorem conjunctis. Unde cum dicit nihil Abraham in circumcisione invenisse, idem est ac si dicat nihil invenisse in circumcisione scjuncta a fide in venturnm reparatorem. Neque dicas Apostolum appellare circumcisionem comparate ad Abraham, *signaculum justitiae fidei, quae est in praeputio*. Nam in Abrahamo qui ante acceptum de circumcisione praeceptum jam justificatns erat, circumcisio proculdubio signaculum erat jam acceptae, non accipiendae per circumcisionem justitiae. Ast in semine illius eadem circumcisio cum fide conjuncta justificationem operabatur, non significabat dumtaxat.

Ad 3. facile respondetur. Nam Apostoli scopus, ut ex ipsa lectione patet, eo loci est adhortari judaeos ne supra gentiles ex quo circumcisionem habent, se extollant, quoniam circumcisio non dedit illis supra gentiles nisi notitiam legis. Ceterum nec gentilis nec judaeus quamvis circumcisus consequi justificationem potest sine fide in Christum qui est omnis justitiae fons. Hinc eodem in cap. 3. inquit: *Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes, et super omnes qui credunt in eum: non enim est distinctio. Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei*.

Ad 4. Loquitur ibi Apostolus adversus eos qui ad aeternam salutem necessariam arbitrabantur circumcisionem etiam post Christi adventum, atque hinc merito ait nec circumcisionem in Christo valere neque praeputinm, sed fidem requiri quae per caritatem operatur.

Obj. 3. adv. eamd. prop. PP. auctoritatem qui expresse testantur datam circumcisionem a Deo fuisse in merum signum foederis, quorum testimonia dedimus capite superiore. Neque reponere juvat dici a SS. PP. circumcisionem signum foederis absque justificationis exclusione. Nam Justinus in dial. cum Tryph. inquit: *Abraham circumcisionem in signum, non in justitiam accepit*: atque ut demonstret non delevisse illam originale peccatum, urget argumentnm ex foeminis deductum, quae quum capaces non sint circumcisionis absque justificatione remansissent. Etiam Irenaeus lib. 4. cap. 16. ait circumcisionem non quasi justitiae consumationem, sed in signo eam dedit Deus. Eadem habent Chrysostomus hom. 27. in Gen. Tertullianus cont. jud. cap. 2. Epiphanius haer. 8. Ambrosius, alii. II. Josue cap. 5. narratur judaeorum infantes toto tempore quo per deserta loca errarunt non fuisse circumcisos. Inverisimile autem est omnes filiolos illos ob originale peccatum periisse. III. in Abrahamo certe circumcisio non delevit originale peccatum, ante praeceptum enim jam erat justificatus, ac proinde nec in posteris ejus. IV. quum circumcisio praece-

pta sit tantum masculis atque octava a nativitate die, si in remedium data fuisset originariae labis sequeretur foeminas ac parvulos ante octavam a nativitate diem decedentes periisse in aeternum, quod est contra communem theologorum sententiam.

Resp. ad 1. Iidem SS. PP. qui circumcisionem appellant signum foederis a Deo datum Abrahamo vocant eam quoque sacramentum licet egenum et vacuum, symbolum fidei, signum fidei in futurum reparatorem protestativum, aliisque similibus nominibus, unde fit ut quando appellant circumcisionem signum, eam considerent dumtaxat tamquam tesseram ad judaicum populum discernendum a reliquis gentibus, non exclusa illius virtute. Animadverto praeterea sanctos Patres spectasse aliquando circumcisionem in se ac nude sumptam, prout videlicet sectio erat praeputii non conjuncta cum fide in Christum venturum, idque apposite ad eorum scopum. Nam disputabant ut plurimum contra judaeos in sola circumcisione a reparatoris fide sejuncta justificationem reponentes. Merito itaque ajunt circumcisionem purum putumque signum esse distinctionis. Ac tandem si quae Patrum testimonia sint quae nullam ex allatis interpretamentis admittant, responderi potest aliter visum Augustino aliisque Patribus jam supra commemoratis.

Ad 2. S. P. Augustinus 22. in Josue 2. 6. arbitratur pueros qui in deserto obierunt periisse, quoniam eorum parentes circumcisionem contemnentes inobedientes fuerunt legi Dei.

Ad 3. Non eodem modo de Abraham ac de posteris ejus loquendum est. Ipse namque cum justus esset circumcisionem admisit tamquam signaculum justitiae fidei. Posteri autem ejus quum peccatores nascerentur circumcidebantur ne deleretur anima illorum de populo suo. Neque enim ratiocinationibus indulgendum est ubi satis expressa habetur Dei voluntas.

Ad 4. Ex quo circumcisio in remedium fuerit originalis peccati instituta, non continuo sequitur foeminas ac pueros ante octavam diem decedentes periisse. Forte enim foeminis atque puerulis remedium fuit applicatum, quod ad eam delendam culpam institutum fuerat in lege naturae. Quodnam autem remedium illud fuerit Scriptura non dicit. Et sicut ex Scripturae silentio deduci nequit nullum extitisse originalis peccati remedium in lege naturae, ita ex eodem silentio colligi nequit non viguisse inter judaeos remedium aliquod in lege scripta ad originale delendum peccatum pro foeminis ac pro pueris qui vitam ad diem octavam non protrahebant. Quod si quis adhuc subtilius hac in re rimari voluerit animadvertat hisce in rebus totam rationem facti repetendam esse a voluntate legislatoris.

CAPUT IV.

De numero sacramentorum novae legis.

Catholicorum unanimis ac constans sententia semper fuit septem esse legis gratiae sacramenta, videlicet baptismum, confirmationem, eucharistiam,

poenitentiam, extremam unctionem, ordinem, et matrimonium; idque tamquam fidei capitale dogma post sacrarum Scripturarum traditionisque maturum examen statutum fuit a tridentina synodo sess. 7. can. 1.

Non ita tamen acatholici. Et vel ab ipso tertio Ecclesiae saeculo circa numerum sacramentorum errari coepit. Nam novatiani despectui habebant confirmationem quam conferre neophytis renuebant. Paullo post manichaei damnarunt matrimonium tamquam inventum diaboli. Et saeculo 14. wiclefistae qui in multa grassati sunt dogmata fidei irridere coeperunt extremam unctionem. Sed ceteris deteriores hac in caussa fuere protestantes, lutherani nimirum et calvinistae. Nam lutherani, ut ex confessione augustana colligitur, tria tantum admittere videntur novae legis sacramenta, baptismum nimirum, eucharistiam, et poenitentiam. Calviniani item tria, baptismum scilicet, eucharistiam, et ordinem. Quamquam neque in hoc assignando numero constantes semper fuerunt. Lutherus enim initio profitebatur, ut illustris Bossuetius hist. variation. lib. 3. demostrat, *se non damnare septem sacramenta*, quum tamen postea modo tria, modo duo, modo unum tantum admiserit. Etiam Philippus Melanchton ajebat se non rixaturum cum quoquam de numero sacramentorum, et nihilominus restrinxit illa ad duo dumtaxat. Sed hoc est mendacii infortunium ut sibi constare non possit. Catholici e contra quoniam vera credunt semper in eadem perstitere sententia. Cum his sit

CONCLUSIO

Nec plura nec pauciora sunt quam septem paullo ante enumerata in nova lege sacramenta.

Prob. 1. ex iis Scripturae locis quae singulorum existentiam demonstrant sacramentorum a quibus recitandis nunc abstinebimus, quoniam illa afferemus ubi de quolibet singillatim sacramento pertractabimus. Ibi etiam SS. PP. recitabimus testimonia in quibus expressa singulorum sacramentorum occurrit commemoratio.

Prob. 2. ex praescriptione. Quando Lutherus atque Calvinus defectionem ab Ecclesia fecerunt, jam universalis tum in occidente tum in oriente Ecclesia septenarium profitebatur numerum sacramentorum, et quidem publice ac palam. Non potuit ergo ab his novatoribus erroris insimulari quin prius demonstrarent quo tempore qua occasione quibus auctoribus quibus remediis error hic irrepserit in Ecclesiam. Et quoad Ecclesiam occidentalem, in constantiensi concilio celebrato an. 1415 damnatus est articulus 8. Joannis Hus asserentis, *Sacerdotes quomodolibet criminose viventes sacerdotii polluunt potestatem, et sicut filii infidelium sentiunt infideliter de septem sacramentis Ecclesiae, de clavibus etc.* Concilium florentinum an. 1439 statuit: *Novae legis septem sunt sacramenta, videlicet baptismus, poenitentia etc.* Concilium londinense an. 1437 pariter definivit septem esse principalia sacramenta, eaque nominatim re-

censet. Eamdem de septenario sacramentorum numero fidem tradidisse Patres concilii lateranensis habiti sub Innocentio III. nemo unus ignorat. Ex quo apparet romanam Ecclesiam ita semper credidisse. Hinc Lucius III. an. 1181 decretalem edidit quae incipit, *ad abolendam*, in qua similiter singula enumerat sacramenta. Quid de particularibus occidentalis Ecclesiae theologis dicam? Septenarium hunc sacramentorum numerum longe ante protestantes tradiderunt, Paschasius Rasbertus, Lucas Tudensis, Hugo Victorinus, Petrus Lombardus, ut magnam ceterorum catervam omittam, in re manifestissima de qua nec adversarii litem nobis intentant; quum negare non audeant doctrinam hanc in ecclesiis italiae, galliarum, hispaniarum, germaniae, angliae se invenisse. Sed eadem fides ante protestantium perduellionem vigebat etiam in Ecclesia orientali. Nam in florentino concilio admiserunt graeci et armeni decretum unionis, et facta paullo post, duce Marco Ephesio, nova ab Ecclesia latina secessione, de multis per calumniam conquesti sunt, sed contra septenarium sacramentorum numerum ne verbum quidem protulerunt; quod argumento est eamdem et ipsos circa hoc tenuisse fidem. Deinde consulant protestantes graecorum rituales, omnes libros non recentiores modo, sed et vetustissimos quos Jacobus Goar, Isaac Hambertus, ac Edmundus Martene ediderunt: consulant, atque in illis miram invenient veterum cum recentioribus graecis circa numerum sacramentorum consensionem. Praeterea percurrere possunt adversarii etiam praeclariorum illius ecclesiae auctorum scripta apud Photium cod. 222. biblioth. Simonem thessalonicensem in biblioth. DD. tom. 22. Epiphanium graecum in lib. de relig. chr. Gabrielem philadelphiensem, Joannem Paleologum, aliosque et invenient septenarium sacramentorum numerum expresse commemoratum. Quid quod a latinis graecisque catholicis hac in caussa non discrepant christianorum orientalium sectae, cophti nempe, maronitae, syri, jacobitae, ethiopes, alii, ut auctor perpetuitatis fidei cath. circa sacramenta demonstrat, ut videre est t. 5. Ac denique possunt hac in re protestantes consulere conscientiae suae, quum enim vittembergenses theologi anno 1576 editam in eorum conventu fidei confessionem misissent ad Jeremiam C-P. patriarcham ut illam proprio et schismaticae ecclesiae suae calculo confirmaret, pseudo-patriarcha censuram edidit, in qua cap. 6. haec leguntur: *In ea item ipsa catholica et orthodoxa ecclesia septem divina sacramenta esse, baptismum scilicet, sacri unguenti unctionem, sacram communionem, ordinem, matrimonium, poenitentiam, et extremam unctionem etc.* Scio calvinistas anno 1625 opera nonnullorum sectae procerum blanditiis atque muneribus obtinuisse ab alio C-P. patriarcha Cyrillo Lucar hanc fidei confessionem: *Graecorum perpetuam et constantem esse doctrinam, duo tantum sacramenta, baptismum, et eucharistiam a supremo legislatore Christo sancita etc.* Sed scio etiam universam C-P. ecclesiam adversus novatoris hujus doctrinam duce Gregorio Coressio insurrexisse, aliumque Gregorium, nempe Protosyncellum an. 1635 librum edidissse archiepiscopis, episcopis, universoque clero dicatum in quo septenarium sacramentorum numerum statuit strenue-

que propugnat, quem librum Cyrillus ipse Lucar homo versipellis tempori serviens suffragio suo approbavit. Postquam vero infelix Cyrillus publica turcici senatus sententia morte punitus fuit, ecclesia C-P. indicto an. 1638 concilio cui tres patriarchae, vigiuti et unus metropolitae et episcopi, ac viginti tres officiales interfuerunt, sequentem canonem edidit: *Anathema Cyrillo nova dogmata fabricanti, et credenti non esse ex institutione Jesu Christi, neque ex Apostolorum traditione praxique perpetua septem Ecclesiae sacramenta, baptismum scilicet etc. sed falso asserenti duo tantum a Christo in evangelio data esse aut instituta, baptismum, et eucharistiam*. Ex quibus apparet nihil emolumenti protestantium doctrinae circa numerum sacramentorum accedere ex Cyrilli Lucar suffragio. Interim quum tempore quo Lutherus atque Calvinus bellum catholicae Ecclesiae intentarunt, omnes omnino christiani etiam sectarii tum orientales tum occidentales constanti fide tenerent septem esse a Christo Domino instituta sacramenta, quo jure quo fundamento ducti mendacii et insaniae nos accusant? Quum fides haec ab universali Ecclesia a tot sapientissimis viris tam constanter propugnata fuerit, nonne merito nos affirmamus a Christo ad apostolos, ab apostolis ad Ecclesiam derivasse? Si res ita se habet, jam caussa ceciderunt protestantes, verumque erit septem esse nec plura nec pauciora novae legis sacramenta.

Adversariorum argumenta refelluntur.

Obj. 1. Nullibi S. Scriptura septenarium commemorat numerum sacramentorum, est ergo numerus ille mera papistarum superstitio praedicta jam in Apoc. cap. 17. v. 7. in haec verba: *Dixit mihi angelus: quare miraris? Ego dicam tibi sacramentum mulieris et bestiae quae portat eam, quae habet capita septem*. Quem locum sic interpretatur Kemnitius p. 2. exam. conc. trid. *Per capita septem significatur septenarius numerus sacramentorum pertinens ad bestiam, scilicet ad antichristum*. II. si quis locus est Scripturarum ex quo septenarius sacramentorum numerus colligi queat, ille maxime est qui occurrit Joan. cap. 19. v. 34. ubi legitur: *Unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua*. Ast ex hoc testimonio duo tantum colliguntur sacramenta, baptismus nimirum, et eucharistia, ut ex Patribus patet, ac praecipue ex Chrysostomo ac Cyrillo alexandrino.

Resp. ad 1. frivolum prorsus esse allatum argumentum. Nam 1. in rebus ad fidem pertinentibus non solam Scripturam, ut protestantes autumant, sed et traditionem attendere debemus. Traditio porro, ut ex dictis apparet, septenario favet numero sacramentorum. 2. Nullibi Scriptura dicit duo tantum esse vel tria novae legis sacramenta. Cur ergo binarium vel ternarium numerum propugnant protestantes? 3. Ubinam dicit Scriptura quatuor esse evangelia? et nihilominus quatuor admittuntur ab adversariis. 4. Demum falsum est non commendari in Scripturis singula septem sacramenta, ut suis locis ostendemus. Ad textus autem interpretationem

Apocalypsis a Kemnitio factam, dico satis illam impudentiam suam manifestare dum Ecclesiam romanam in qua patres sui nati sunt et enutriti probroso antichristi nomine appellare non veretur, quoniam septem agnoscit sacramenta. Si hoc est, ergo lutheranorum et calvinistarum ecclesia quae duo vel tria admittit sacramenta, si non ex toto, ex parte erit ecclesia antichristi. Textus ergo Apocalypsis habet: *Ego dicam tibi sacramentum*, non *sacramenta*, hoc est, ut Joannes ipse v. 9. interpretatur: *Septem capita septem montes sunt, super quos mulier sedet, et reges septem sunt.*

Ad 2. Non ex uno tantum Scripturae loco, sed ex pluribus nos colligimus septem esse novae legis sacramenta, alicubi enim baptismus, alibi confirmatio, et aliis in locis alia sacramenta commendantur. Laudatum Joannis testimonium insinuat ex aperto Christi Domini latere promanasse baptismum et eucharistiam juxta nonnullos Patres. Sed caussam id non juvat haereticorum. Nam sancti Patres haud tradunt illa dumtaxat sacramenta ex Christi latere profluxisse. Sed dum unum affirmant, aliud non negant, hoc est reliqua non excludunt sacramenta. Ideo autem illa duo tantum commemorant, quoniam baptismus et eucharistia praecipuum tenent in Ecclesia locum. Hinc ita urgere possumus adversarios. Ex quo Hieronymus in ep. ad Ocean. et Cyrillus jerosol. catech. 3. tradant ex Christi latere baptismum profluxisse, vel aquae vel sanguinis, non propterea dicunt protestantes unicum tantum esse sacramentum; ergo ex quo nonnulli Patres de duobus tantum in illius interpretatione loci mentionem faciant, non sequitur duo tantum eos agnovisse sacramenta. Ceterum plerique Patrum affirmant ex aperto latere Domini septem profluxisse sacramenta.

Obj. 2. Si septem sunt novae legis sacramenta, cur Ecclesia illorum numerum antiquitus non definivit? aut illorum non contexuit catalogum? II. tot admittebantur antiquitus sacramenta quot a fidelibus, ne ethnicorum exponerentur ludibrio, occultabantur. Ast penes primos fideles consuetudo invaluit occultandi dumtaxat baptismum et eucharistiam, ut colligitur ex Augustino qui in psal. 103. serm. 1. n. 14. inquit: *Quid est quod occultum est, et non publicum in Ecclesia? Sacramentum baptismi, sacramentum eucharistiae. Opera enim nostra bona vident et pagani, sacramenta vero occultantur illis*. III. volve revolve veterum scripta Patrum, nullibi invenies nisi duorum vel ad summum trium sacramentorum commemorationem. Ita Justinus in apol. ad Antoninum solius meminit baptismi et eucharistiae; quod facit et Tertullianus lib. 4. cap. 34. cont. Marcion. Addunt his duobus et tertium, nempe confirmationem Cyrillus jerosolimitanus in catechesib mystag. Ambrosius lib. 4. de myster. et M. Gregorius relatus 2. p. decret. q. 1. cap. *multi saecularium*.

Resp. ad 1. Si adversariorum consisteret argumentum, sequeretur libros sacros agnoscendos non esse ut divinitus inspiratos et canonicos. Nam ante laodicenum concilium illorum catalogum Ecclesia non contexuerat. Deinde si Ecclesia expresse non statuit septem esse sacramenta, nec expresse statuit esse duo vel tria.. Quo itaque jure protestantes duo aut tria so-

lummodo admittunt sacramenta ? Praeterea certum adeo fuit Ecclesiae septem esse sacramenta, ut si quando haeretici aliquod ex illis inficiarentur e sinu suo statim ejiciebat. Ita saeculo 3. proscripsit novatianos quod rejicerent confirmationem, saeculo 4. manichaeos matrimonium ejurantes, saeculo 14. wiclefistas despectui habentes extremam unctionem. Ratio autem cur Ecclesia sollicita non fuerit septenarium sacramentorum numerum expresse definire, duplex assignari potest: et quoniam res erat omnibus manifestissima non minus ac quatuor esse evangelia, et quoniam id exigebat arcani disciplina, quum solerent primi fideles sublimiora nostrae religionis dogmata ethnicis occultare ne ea irriderent. Vide Schelestratium.

Ad 2. Falsum est priscos nostros fideles occultasse gentilibus duo tantum modo sacramenta, baptismum scilicet et eucharistiam. Nam Basilius inter arcana recenset in lib. de Spiritu sancto cap. 27. *olei unctionem*, Chrysostomus hom. 18. in 2. ad Cor. *sacram ordinationem*, et S. P. Augustinus citato in argumento serm. scribit n. 9. *Munus Sacramentorum in baptismo, in eucharistia, in ceteris sanctis sacramentis*, ex quibus apparet alia praeter baptismum et eucharistiam agnovisse sacramenta, atque idcirco dum in allata sententia duo sacramenta commemorat, reliqua non excludit.

Ad 3. Respondetur illud idem quod mox ajebamus, laudatos videlicet Patres duo vel tria commendare sacramenta absque aliorum exclusione. Sed nonnihil addamus ad singula. Justinus in apologia nullius forte meminisset sacramenti ob memoratam arcani disciplinam. Meminit autem ut ethnicorum confutaret calumniam. Duo quippe praecipue objiciebant illi christianis ex aequo impia atque nefanda, quod nempe in eorum initiatione ritibus uterentur maleficis ac superstitiosis, et quod mactati pueri carnibus vescerentur in eorum conventiculis. Ut ergo apologista illatas repelleret calumnias, explicat quo ritu christiani in eorum utantur initiatione, describens baptismum, et in conventibus dicit pane vesci eucharistico. Tertullianus disputans cont. Marcion. ideo duo tantum recenset sacramenta, quia haec ab haeretico admittebantur, nec nisi obiter nominat, nempe ut vim quamdam majorem argumento suo addat, ceterum in lib. de praescr. cap. 40. singula fere commendat. De tribus sacramentis loquuntur Cyrillus et Ambrosius quoniam id illorum scopus exigebat. Alloquebantur enim catechumenos quibus consuetum erat tria illa sacramenta simul conferre. Ridiculum autem est protestantes ad suas trahere velle partes Ambrosium qui duos edidit adversus novatianos de sacramentis libros. Gregorius denique disputat contra illos qui affirmabant tria illa sacramenta non confici a ministris quorum vita apparet ignobilis. Non negat autem alia quatuor sacramenta. Observandum praeterea relatam a Gratiano sententiam in Gregorii operibus non inveniri. Interim tres hi laudati patres tria, non duo novae legis agnoscunt sacramenta. Nequeunt ergo horum auctoritate abuti protestantes qui duo solummodo admittunt sacramenta. Ineptire autem mihi videtur Calvinus dum laudatis nuper sanctis Patribus accenset quoque Augustinum in lib. 3. de doctr. chr. cap. 9 dicentem: *Post-*

eaquam resurrectione Domini nostri manifestissimum indicium nostrae libertatis illuxit, nec eorum quidem signorum quae jam intelligimus, operatione gravi onerati sumus; sed quaedam pauca pro multis, eademque factu facillima, et intellectu augustissima, et observatione castissima ipse Dominus et apostolica tradidit disciplina: sicut est baptismi sacramentum, et celebratio corporis et sanguinis Domini: quibus similia repetit in ep. ad Januarium. Nam iis in locis non agit de numero sed de efficacia sacramentorum, ad quam explicandam in exemplum assumit baptismum et eucharistiam, reliqua non excludens sacramenta de quibus alibi saepe verba facit. Neque enim quoties unum vel alterum commendatur sacramentum singula semper commemoranda sunt.

Obj. ultimo. Lotio pedum totum id habet quod ad rationem requiritur sacramenti. Nam instituta fuit a Christo qui Joan. 13. postquam pedes discipulis suis laverat, dixit: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis*. Habet praeterea vim conferendi gratiam, quum Petro renuenti lavari sibi pedes Christus dixerit: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*: quae sententia similis est illi, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua etc.* Hinc a nonnullis sanctis Patribus lotio pedum in sacramentorum relata videtur album. S. enim Ambrosius in lib. de myster. cap. 6. docet nostra propria peccata per baptismum, haereditaria vero per pedum relaxari ablutionem. Et in lib. 3. de sacram. cap. 1. tradit pedum lotionem esse mysterium non merum humilitatis exercitium, et conferre sanctificationem: *Aliud est*, inquit, *humilitatis, aliud sanctificationis. Denique audi, quia mysterium est, et sanctificatio. Nisi lavero tibi pedes, non habebis mecum partem*. Gemina his habet S. Eligius noviomagensis antistes qui obiit an. 665. et auctor sermonis de ablutione pedum inter opera Cypriani. Sed ceteris luculentius loquitur S. Bernardus in serm. de coena Dom. ubi num. 2. appellat pedum lotionem sacramentum, eamque baptismo comparat et eucharistiae, et num. 4. docet remittere quotidiana peccata, et non ad humilitatis exemplum sed ad peccatorum remissionem fuisse a Christo institutam disertissime affirmat.

Resp. ad 1. Christum lotionem pedum metaphorice, non proprie ac litteraliter sumptam praecepisse, hoc est eam praecepit ut discipuli sui exemplum ejus sectantes humilitatem exercerent et caritatem. Et revera si Christus pedum lotionem litteraliter intellectam praecepisset, nonne illius usus universalis perpetuusque fuisset in singulis ecclesiis? Constat tamen apertissime multas ecclesias hanc consuetudinem non retinuisse; unde Ambrosius lib. 3. de sacram. cap. 1. inquit: *Hanc Ecclesia romana consuetudinem non habet, ut pedes lavet*.

Ad 2. Laudatis verbis, *Si non lavero te etc.* continetur privationis gratiae sanctificantis comminatio si Petrus in inobedientia diu perstitisset, ita ut fuisset gratia privatus non ob omissam pedum lotionem in se, sed ob nimiam in ea recusanda pervicaciam. Vel cum nonnullis Patribus dici potest Christum comminatum fuisse Petro recusanti non gratiae sanctificantis sed eucharistiae privationem.

Ad 3. Nulla est inter laudatam sententiam ac illam Joan. cap. 3. *Nisi quis renatus fuerit etc.* comparatio. Nam propositio haec universalis est atque ad omnes directa, illa autem particularis ac directa ad solum Petrum.

Ad 4. Ambrosius allatis in locis pedum lotionem appellat mysterium seu sacramentum, ad indigitandum non esse merum urbanitatis signum, sed sacram quamdam caeremoniam, aitque haereditaria dimittere peccata et sanctificationem conferre, quatenus illius occasione homo caritatis, humilitatis, aliorumque pietatis operum exercet officia, quorum intuitu confert Deu gratiam per quam tolluntur quotidiana peccata in quae labimur ob venena serpentis, nempe ob infirmitatem ex originaria labe contractam. Nec alia certe praeclarissimi Patris hujus mens esse potuit, qui in lib. 3. de sacram. tradit pedum ablutionem rem esse ad disciplinam pertinentem; ait namque cap. 1. *Non ignoramus quod Ecclesia romana hanc consuetudinem non habeat, cujus typum in omnibus sequimur et formam, hanc tamen consuetudinem non habet ut pedes lavet*. Et allatis in argumento locis definite tradit baptismum omnem culpam diluere. Sed juvat Ambrosium ipsum mentem suam explicantem audire: *In baptismate omnis culpa diluitur; recedit ergo culpa. Sed quia Adam supplantatus a diabolo est, et venenum ei effusum super pedes, ideo lavas pedes, ut in ea parte in qua insidiatus est serpens majus subsidium sanctificationis accedat, quo postea te supplantare non possit. Lavas ergo pedes ut laves venena serpentis. Ad humilitatem quoque proficit ut in mysterio non erubescamus quod dedignamur in obsequio*. Nonne haec clara sunt? Eodem plane sensu intelligendi sunt textus qui ex Eligio noviomagensi, et auctore serm. de ablut. ped. inter opera Cypriani, et ex S. Bernardo afferri solent.

CAPUT V.

De materia et forma sacramentorum novae legis.

Primus qui materiae et formae nominibus in re sacramentaria uti coeperit, fuit Guilelmus antisiodorensis in summa, qui circa an. 1215. floruit. Neque enim apud Lanfrancum, Anselmum, Yvonem, Bernardum, Hugonem, aliosque veteres, imo nec apud Magistrum qui circa an. 1550 scripsit, nomina haec materiae et formae ad essentiales sacramentorum partes exprimendas occurrunt, quamvis ex proposito de sacramentis pertractaverint. Habebant nihilominus veteres aequivalentia nomina. Nam exprimere volentes sacramenti essentiam, ajebant constare illud *ex signo et re invisibili*, vel ex *rebus et verbis*, vel *ex sacramento et re sacramenti*. Ut ut autem sit, non licet modo viro theologo nomina illa sub novitatis obtentu respuere, quoniam etsi ab aristotelica philosophia originem forte duxerint, quum tamen diutino usu consecrata sint ab Ecclesia, absque temeritatis nota rejici non possent.

Materiae ergo ac formae nominibus in re sacramentaria partes intelliguntur ex quibus sacramenta constant, juxta illud Augustini nostri tract. 80. in Joan. *Accedit verbum ad elementum , et fit sacramentum*. Elementum appellatur *materia* , verbum autem *forma* dicitur . Circa materiam autem sacramentorum ac formam tria praecipue quaeri solent a theologis . 1. An singula sacramenta habeant revera materiam et formam . 2. An et quomodo Christus eorumdem sacramentorum materiam et formam determinaverit . 3. An et quae materiae vel formae mutatio nullum ac irritum reddat sacramentum .

Et quoad primam quaestionem neminem contradicentem experimur nisi Paulum Sarpium qui nomina isthaec materiae et formae tamquam recentiora rejicit. Quoad quaestionem vero alteram Petrus Cantor , Alexander Alensis, S. Bonaventura ex veteribus , et ex recentioribus Morinus, Godau , aliique pauci arbitrantur Christum determinasse quidem materiam et formam sacramentorum , sed nonnullorum in specie , nonnullorum vero ut confirmationis, poenitentiae, et ordinis tantum in genere . Est autem materiam ac formam determinare in genere , illas assignare non indigitando cujus speciei esse debeant . Contra vero determinare materiam et formam in specie, est illarum speciem indicare in particulari , ut factum est in baptismo pro cujus materia Christus determinavit aquam , sicuti pro forma verba illa , *Ego te baptizo in nomine Patris etc.* Reliqui autem theologi tenent omnium ac singulorum sacramentorum materiam et formam determinatas a Christo fuisse in specie . Circa quaestionem tertiam doctores omnes conveniunt materiae ac formae mutationem substantialem quidem, non autem accidentalem irritum reddere sacramentum . Tunc substantialiter materia mutatur quando illius substantia non remanet , ut si quis in baptismo vinum pro aqua adhiberet . Tunc vero mutatur accidentaliter si mutatio fiat quae materiae non tolleret naturam , ut si quis in baptismo aquam calidam usurparet . Similiter substantialis mutatio formae est quae verborum tollit sensum , accidentalis autem quae sensum verborum intactum relinquit . Sed haec per se manifesta sunt . Sit ergo

CONCLUSIO I.

In singulis novae legis sacramentis reperiuntur materia et forma .

Prob. 1. Eugenii IV. auctoritate in decr. pro instruct. armen. ubi enumeratis singulis septem sacramentis subdit : *Haec omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma , et persona ministri consecrandi sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia* .

Prob. 2. Idem de singulis sacramentis ferendum est judicium ac de baptismo , non enim est potior unius quam alterius sacramenti ratio . Ast in baptismo materiam reperiri ac formam testatur expresse S. P. Augustinus tract. 80. in Joan. dicens : *In aqua verbum mundat . Detrahe ver-*

bum , et quid est aqua nisi aqua ? Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum ... Hoc verbum fidei quod praedicamus : quo sine dubio ut mundare possit , consecratur et baptismus . Hinc S. Scriptura non subobscure indicat materiam baptismi esse aquam , confirmationis manuum impositionem chrismationemque frontis , eucharistiae panem et vinum, poenitentiae actus poenitentis sensibiles, extremae unctionis oleum, ordinis manuum impositionem, ac matrimonii mutuum contrahentium consensum , ut suis locis demonstrabimus . Constant eadem sacramenta etiam forma , ut patet ex Augustino loco proxime citato , ubi paullo post allata verba inquit : *Unde ista tanta virtus aquae , ut corpus tangat, et cor abluat , nisi faciente verbo ?* Et rursus : *Mundatio igitur nequaquam fluxo et labili tribueretur elemento , nisi adderetur in verbo* .

CONCLUSIO II.

Omnium ac singulorum sacramentorum materia et forma determinatae fuerunt a Christo in specie .

Prob. 1. Si materia et forma singulorum sacramentorum determinatae non fuissent a Christo in specie, determinatae proculdubio fuissent ab Ecclesia, quum praxi ac consuetudine constet quodlibet sacramentum propriam habere materiam propriamque formam . Verum Ecclesia nullius determinavit in specie materiam et formam sacramenti . Nam si hanc haberet Ecclesia potestatem, haberet quoque potestatem materiam ac formam immutandi ; qui enim jure suo aliquid statuit , potest illud idem retractare vel immutare . Ast Ecclesia hujusmodi non habet potestatem, definiente tridentina synodo sess. 21. cap. 2. penes Ecclesiam facultatem esse statuendi ac immutandi quae ad dispensationem pertinent sacramentorum , *salva tamen eorum substantia* . Sacramentorum autem substantia in illorum consistit materia et forma .

Prob. 2. Christus Dominus instituit et quidem immediate omnia et singula sacramenta , quod licet de fide non sit , ut Vasquez , Bellarminus , Gavardi contendunt reliquis contradicentibus , nihilominus tamquam certum tenendum esse sequentia momenta suadent . I. si non a Christo immediate omnia instituta fuissent sacramenta , nonnulla sane instituta fuissent ab apostolis , quibus namque magis quam illis facultas haec competere poterat ? Ast nullum instituerunt apostoli sacramentum , quum nullibi dicant se sacramentorum institutores , sicuti se dicunt dispensatores ac ministros : *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei* , ait Paulus in 1. ad Cor. 4. quod repetit Petrus in 1. ep. item cap. 4. II. narrat Lucas in Act. ap. cap. 1. Christum post resurrectionem suam per quadraginta dies conversatum fuisse cum apostolis . Quid autem aliud docebat illos divinus magister nisi sublimiora fidei dogmata et singula novae legis sacramenta ? Nam inquit S. Leo serm. 1. de Ascens. cap. 2. *Non ergo ii dies, dilectissimi , qui inter resurrectionem Domini , ascen-*

sionemque fluxerunt otioso transiere decursu : sed magna in eis confirmata sacramenta, magna sunt revelata mysteria . III. Deus immediate instituit sacramenta veteris legis, a fortiori itaque dicendum est instituisse immediate sacramenta novae legis . IV. concilium vavrense habitum an. 1368. cap. 2. de fide cath. praeclaram hanc tradit doctrinam : *Porro sacramenta instituere quae ex sui institutione et sanctificatione contineant invisibilem gratiam, competit soli Christo : qui solus potestatem excellentiae sibi retinuit, potestatem ministerii apostolis et ceteris sacerdotibus dedit . Quae igitur instituta sunt ab apostolis et successoribus eorumdem, ut benedictio aquae et panis, consecrationes virginum; et altarium, et cetera hujusmodi, non sacramenta propria, sed sacramentalia dici debent . Omnia ergo sacramenta novae legis Christus per semetipsum immediate instituit . Aliqua tamen, praecipue confirmationem, et extremam unctionem per apostolos promulgavit* . V. concilium tridentinum sess. 7. hunc edidit canonem : *Si quis dixerit sacramenta novae legis non fuisse omnia a J. C. D. N. instituta, anathema sit* : in quo etsi non dicat sacramenta omnia immediate fuisse a Christo instituta, id tamen inde colligitur quod canon editus sit adversus novatores minime negantes Ecclesiae potestatem aliqua instituendi sacramenta . Et praeterea quid est instituere nisi decernere, inchoare, proponere ? Jam vero si Christus sacramenta omnia immediate instituit, ut ex hactenus dictis apparet, nonne sua sponte sequitur illorum determinasse materiam et formam in specie ? Quoniam enim immediate instituit baptismum et eucharistiam, non negant adversarii horum materiam ac formam sacramentorum determinatas a Christo fuisse in specie . Eodem modo de reliquis sacramentis loquendum est.

CONCLUSIO III.

Mutatio substantialis aut in materia aut in forma irritum reddit sacramentum, non autem accidentalis, licet haec illicita sit ex parte ministri .

Prob. prima thes. pars. Mutatio substantialis aut in materia aut in forma substantiam pervertit ac tollit sacramenti . Sacramentorum enim partes substantiales sunt materia et forma quae a Christo Domino, ut diximus, determinatae sunt et institutae . Ubi porro substantia tollitur sacramenti, ibi plane sacramentum non remanet . Hinc optime Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 16. *Oportet enim inviolabilem manere traditionem ... ut quidquam addere vel detrahere plane sit ab aeterna vita excidere . Proinde in baptismo separare Spiritum a Patre et Filio, ut periculosum est baptizanti, ita baptismum accipienti inutile* .

Prob. pars altera . Mutatio accidentalis substantiam non tollit sacramenti, adeoque nec ritum a Christo institutum : unde S. P. Augustinus lib. 6. cont. Donat. cap. 25. *Afferat etiam*, inquit, *ut fieri solet, aliquam precem, in qua loquatur contra regulam fidei, multi quippe ir-*

ruunt in preces, *non solum ab imperitis loquacibus*, *sed etiam ab haereticis compositas*, *et per ignorantiae simplicitatem non eas valentes discernere*, *utuntur eis arbitrantes quod bonae sint*; *nec tamen quod in eis perversum est*, *evacuat illa quae ibi recta sunt*, *sed ab eis potius evacuatur*. Hinc Zacharias R. P. definivit ut habetur cap. *retulerunt* de Cons. d. 4. non esse rebaptizandum eum qui *per ignorantiam romanae locutionis* ab imperito sacerdote baptizatus fuerit his verbis, *Baptizo te in nomine patria*, *et filia*, *et spiritu sancta*.

Prob. pars tertia ex quo minister mutans etiam accidentaliter materiam et formam sacramentorum facit contra mentem Ecclesiae quae vult ut servetur adamussim ritus a Christo institutus. Quare Concilium tridentinum sess. 7. cap. 13. inquit: *Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiae ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos*, *aut contemni*, *aut sine peccato a ministris amitti*, *aut in novos alios per quemcumque Ecclesiae pastorem mutari posse*, *anath. sit*.

Solvuntur objetiones.

Obj. I. cont. 1. concl. In poenitentia saltem et in matrimonio materia non reperitur. Materia enim res sensibilis est. Haec autem nulla in poenitentia et matrimonio apparet. II. non video cur Deus gratiam alligare voluerit sanctificantem sensibilibus signis ut sunt materia et forma. Numquid non potest Deus homines absque ullo sensibili signo sanctificare?

Resp. ad 1. Cum dicimus sacramentorum materiam esse aliquod sensibile intelligimus esse vel rem vel actum sensibilem. In poenitentia ac matrimonio certe non reperiuntur res sensibiles, reperiuntur autem sensibiles actus qui horum sunt materia sacramentorum. In poenitentia scilicet habentur actus poenitentis externo aliquo signo manifestati, et in matrimonio mutuus consensus vel verbis vel aliquo alio sensibili signo expressus.

Ad 2. Potest utique Deus abque ullo sensibili signo homines sanctificare, et non raro misericordiam hanc cum creaturis suis exercet. Sed de lege ordinaria gratiam alligare voluit sanctificantem sensibilibus quibusdam signis. Si autem rei hujus rationem quaeres, praeter Dei voluntatem quae hisce in rebus est proculdubio tota ratio facti, hanc tibi reddet Chrysostomus hom. 82. *Si tu incorporeus esses*, *nude ipsa dona incorporea tradidisset tibi*. *Quoniam vero corpori conjuncta est anima tua*, *in sensibilibus intelligenda tibi traduntur*. Imo si quaeras etiam cur hanc potius quam illam determinaverit Deus materiam aut formam, respondebit tibi Augustinus in ep. ad Bonif. episc. *Si sacramenta quamdam similitudinem earum rerum quarum sacramenta sunt non haberent*, *omnino sacramenta non essent*.

Obj. 2. adv. 2. prop. Tempore apostolorum confirmatio tradebatur fidelibus per manuum impositionem. Legitur enim Act. ap. cap. 8. *Imponebant manus super illos*, *et accipiebant Spiritum sanctum*. Similiter per

septem priora saecula cooptabantur fideles in clerum per solam impositionem manuum. Neque enim ex illorum scriptoribus saeculorum apparet in aliquo alio quam in manuum impositione traditam fuisse ordinationem. Demum ante synodum tridentinam ubi erat contractus etiam clandestinus, verum erat matrimonium. E contra nunc materia confirmationis est unctio sacri chrismatis, materia ordinis est porrectio instrumentorum, ut ex decreto Eugenii IV. in florentino concilio edito apparet, et materia matrimonii non est amplius contractus clandestinus, ut definitum est in Tridentino sess. 24. cap. 1. Materia itaque horum sacramentorum mutata est. Porro si sacramentorum materiae et formae fuissent a Christo in specie determinatae, talis mutatio fieri ab Ecclesia non potuisset.

Resp. materiam sacramentorum semper eamdem fuisse ab Ecclesia retentam. Et quoad confirmationem et ordinem horum materia fuit semper et adhuc est manuum impositio, ut de sacramentis in specie tractantes demonstrabimus. Sacrum autem chrisma et instrumentorum porrectio sunt confirmationis et ordinis materia accidentalis ab Ecclesia superaddita ad confirmati ordinatique munus magis exprimendum. Atque de horum sacramentorum accidentali materia loquitur Eugenius IV. in instruct. pro armenis in qua non omnes tradit fidei articulos, sed illos dumtaxat in quibus armeni vel errabant vel haesitantes erant vel latinam reprehendebant Ecclesiam. Non dixit ergo summus Pontifex confirmationis ac ordinis materiam esse manuum impositionem, quoniam in hoc cum latinis conveniebant armeni, sed solius meminit accidentalis materiae, quia haec in sola vigebat Ecclesia romana. Quod ad materiam spectat matrimonii falsum est fuisse a tridentino concilio mutatam. Nam et ante et post concilium fuit semper mutuus contrahentium consensus. Quid ergo tridentini patres statuerunt? Ad vitanda gravia peccata quae ex clandestinis conjugiis oriebantur decreverunt clandestinum contractum non esse contractum illum qui sufficiens sit sacramenti materia.

CAPUT VI.

De sacramentorum novae legis virtute et efficacia.

Controversia est catholicos inter ac protestantes magna animorum contentione agitata, an sacramenta novae legis gratiam producant *ex opere operato*, vel potius *ex opere operantis*. Sed nomina sunt explicanda. Intelliguntur sacramenta gratiam producere *ex opere operato*, si illam producant tamquam caussae instrumentales, hoc est non intuitu meritorum administrantis vel recipientis, neque vi tantum conjunctionis formae cum materia, sed per se ac propria accepta a Deo virtute qui illa per merita Christi filii sui instituit. Gratiam autem producerent *ex opere operantis* si eam causarent non per se ac per dignitatem signorum aut per merita Christi visibilibus symbolis alligata, sed intuitu fidei vel pietatis administrantium et recipientium.

Lutherani ergo, calvinistae, sociniani arbitrantur novae legis sacramenta gratiam producere *ex opere operantis*, non secus ac sacramenta veteris legis. Imo catholicos dicteriis multis proscindunt quod fidem excludere putent in usu sacramentorum, et quod barbaras adhibeant voces dicendo *ex opere operato*. Fons unde haec novatorum doctrina exoritur est pravum illorum alibi a nobis explosum dogma, quod sola fides justificet. Hoc semel jacto fundamento sequitur sacramenta novae legis nullum aliud in eorum sententia praestare munus quam fidem in suscipientibus excitare, cui fidei gratiam spiritualem Deus largitur: atque ita non a sacramentis ipsis ex divina institutione, sed a fide sanctificatio producitur, quod idem est ac gratiam haberi ex opere operantis. Hinc non alio ut plurimum nomine evangelica sacramenta appellant quam *symbola excitativa spiritualis gratiae*. Hinc etiam, ut sibi cohaereant, affirmare coguntur verba quae sacramentorum formam constituunt, nullam habere efficaciam, sed illud praestare dumtaxat ut nos instruant reddantque certiores fidem in Deum promereri nobis gratiam, adeoque verba sacramentorum esse *concionis* vel *promissionis*, non autem *consecrationis*.

Catholici e contra post tridentinum concilium de fide esse fatentur sacramenta quidem veteris legis gratiam *ex opere operantis* produxisse, ast sacramenta novae legis justificare hominem ex *opere operato*. Fides utique et spes et timor et dilectio aliaeque virtutes ad justificationem in sacramentis obtinendam praerequiruntur, sed tamquam merae dispositiones, non ut caussae instrumentales, ut de sola fide praedicant protestantes. Quare ubi catholici loquuntur de verbis quae formam constituunt sacramentorum, ajunt esse illa non *promissoria* aut *concionalia*, sed *consecratoria*, quatenus nempe virtutem et efficaciam ex divina institutione praebent sacramentis spiritualem gratiam producendi. Cum catholicis ergo sit

CONCLUSIO I.

Sacramenta veteris legis gratiam producebant ex opere operantis.

Prob. 1. Script. Apostolus in ep. ad Gal. cap. 3. *In lege*, inquit, *nemo justificatur apud Deum*. Et cap. 4. *Quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa?* Idem in ep. ad Hebr. cap. 10. ait: *Impossibile est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata*. Et cap. 7. *Reprobatio fit praecedentis mandati propter infirmitatem ejus et inutilitatem*. Joan. cap. 1. *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum*. Apparet ex his, in veteri lege sacramenta gratiam non produxisse *ex opere operato*, erant quippe infirma et egena elementa, non justificabant apud Deum, nec poterant peccata remittere, et ideo reprobata fuere quia infirma erant et inutilia, quum gratia data sit per Jesum Christum. Aliunde constat sacrificia ac dona offerri consuevisse etiam a sacerdotibus levitici ordinis pro peccatis, ut Apostolus inquit ad Hebr. cap. 5. et constat ex libris Num. Reg. et Machab. unde fit ut gratiam ac

justificationem conferrent *ex opere operantis*, intuitu nempe ac virtute fidei in Jesum Christum cujus sacramenta illa symbola erant. Hinc Gen. cap. 4. dicitur respexisse Deum ad Abel et munera ejus, ad Cain vero et munera ejus non respexisse, quia videlicet, *Fide plurima hostiam Abel, quam Cain obtulit Deo*, scribit Apostolus ad Hebr. cap. 11. Quod magis adhuc ab eodem declaratur in ep. ad Rom. cap. 4. dicente: *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam*.

Prob. 2. ex M. Augustino qui lib. 19. cont. Faust. cap. 13. ita scribit: *Prima sacramenta quae observabantur et celebrabantur ex lege, praenuntiativa erant Christi venturi: quae cum suo adventu Christus implevisset, ablata sunt; et ideo ablata quia impleta ... Et alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tamquam justitia fidei revelata*. Et in psal. 73. num. 2. *Sacramenta non eadem, quia alia sunt sacramenta dantia salutem, alia promittentia salvatorem. Sacramenta N. Testamenti dant salutem, sacramenta V. Testamenti promiserunt salvatorem ... Mutata sunt sacramenta, facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, feliciora*. Eadem repetit lib. de pecc. orig. cap. 32.

CONCLUSIO II.

Sacramenta novae legis gratiam conferunt ex opere operato.

Prob. 1. ex sacris litt. De baptismo Joan. cap. 3. legitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto etc.* Apostolus ad Titum cap. item 3. v. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*. De confirmatione habetur Actor. cap. 8. v. 17. *Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum*. De eucharistia verba faciens Christus cap. 6. Joan. v. 55. *Qui manducat*, inquit, *meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam*. De poenitentia Joan. cap. 20. v. 23. ait: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Eadem in evangeliis et scriptis Apostolorum de reliquis leguntur sacramentis, ut suis locis dicemus.

Prob. 2. ex SS. PP. Justinus in apol. 1. ad Antoninum inquit: *Remissionem ante commissorum peccatorum consequitur in aqua*. Tertullianus lib. de bapt. cap. 4. *Supervenit statim Spiritus de caelis, et aquis superest, sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatae vim sanctificandi combibunt*. Origenes hom. 14. in cap. 4. Lucae: *Quia per baptismi sacramentum nativitatis sordes deponuntur*. Gregorius nyssenus orat. in bapt. scribit: *Baptisma peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis et regenerationis caussa*. Chrysostomus hom. 24. in Joan. *Quod est mater embrioni, hoc est fideli aqua: siquidem in aqua fingimur et reformamur*. Eadem habent reliqui tum graeci tum latini Patres quorum testimonia vide apud Bellarminum. Interim agmen claudat S. P. Augustinus qui lib. 4. cont. Cresconium cap. 16. docet: *Non eorum meritis a quibus ministratur, nec eorum quibus ministratur,*

constare baptismum , sed propria sanctitate atque veritate, propter eum a quo institutus est .

Prob. 3. rationib. theol. Infantes quum compotes rationis non sint, incapaces plane sunt fidei actualis. Valide tamen baptizantur , proindeque et justificantur , ipsis lutheranis et calvinistis adversus anabaptistas fatentibus . II. in ecclesia orientali statim post baptismum filiolis confirmatio confertur et eucharistia , ut olim in ecclesia quoque fiebat occidentali . Item baptizantur amentes, dormientes et cathecumeni in gravi vitae periculo constituti . Nemo autem dixerit recipere illos justificationem per fidei actum . III. etiam conciones, exhortationes, sacrae Scripturae lectio, miracula etc. excitare in hominibus valent fidem , unde dicenda essent haec totidem sacramenta , quod non conceditur ab adversariis . IV. sacramenta fidem excitare valent non in recipientibus modo sacramenta , sed et circumstantibus quamvis ea non recipiant . V. ac denique si novae legis sacramenta et ipsa gratiam producunt *ex opere operantis* , quodnam esset inter V. ac N. Testamenti sacramenta discrimen ? Assignent si possunt protestantes . Verba quidem dant , solidam autem discriminis rationem nullam .

CONCLUSIO III.

Verba quae sacramentorum formam constituunt , non sunt promissoria neque concionatoria , sed vere consecratoria .

Prob. prior thes. pars. I. ideo lutherani affirmant sacramentorum formas esse promissorias, quoniam existimant novae legis sacramenta gratiam producere *ex opere operantis* . Id autem falsum esse jam superiori thesi demonstravimus . II. verba quae formam constituunt puta baptismi , *ego te baptizo etc.* vel eucharistiae , *hoc est corpus meum*, et ita de ceteris, effectum praesentem commonstrant, non futurum . Nam illis prolatis, effectus , hoc est gratia producitur . Verba itaque illa non sunt promissoria . III. Christus Dominus justificationem non promisit solis credentibus , sed credentibus sacramenta percipientibus : *Qui crediderit* , inquit Marc. cap. 16. v. 16. *et baptizatus fuerit, salvus erit* . Qui ergo perceperit sacramenta illico gratiam recipiet .

Prob. altera pars . I. forma baptismi his, non aliis concluditur verbis : *Ego te baptizo in nomine etc.* Neque enim in instructione, ut calviniani putant, quae baptismo praemittitur est locanda ; alioquin tot essent varia baptismata quot sunt veterum recentiorumque haereticorum variae in rebus ad fidem spectantibus sententiae . Ast in verbis illis , *ego te baptizo etc.* nulla relucet concio, ut per se manifestum est . Et quod de baptismo dicitur, de reliquis intelligendum est sacramentis . II. valet baptisma infantibus datum, etiam juxta calvinistas , quamvis nemo praesens praeter ministrum adsit . Verum infantes percipere concionem non possunt .

Prob. denique tertia pars, I. ex dictis superiori propositione . Si namque sacramenta gratiam *ex opere operato* producunt, verba quae sub-

stantiam constituunt sacramentorum certe efficacia sunt, et virtutem tribuunt sacramentis ex divina institutione gratiam conferendi; sicque verba formam constituentia sunt conseeratoria. II. sacrae litterae ac SS. PP. sacramentorum verba appellant; *invocationis*, *benedictionis*, *consecrationis*, non promissionis vel concionis, ut comminiscuntur haeretici. Vide Scripturarum Patrumque testimonia apud Bellarminum, Estium, Berti. Ego unica contentus ero S. P. Augustini sententia quae lib. 3. de bapt. cap. 10. occurrit: *Non est aqua profana et adultera super quam nomen Dei invocatur, etiamsi a profanis et adulteris invocetur ... Baptismus Christi verbis evangelicis consecratus et per adulteros et in adulteris sanctus est, quamvis illi sint et impudici et immundi; quia ipsa ejus sanctitas pollui non potest, et sacramento suo divina virtus assistit*. Ejusmodi phrases centies apud Augustinum invenies in libris adversus donatistas.

Refutantur argumenta adversariorum quae adversus statutas theses facere videntur.

Obj. 1. cont. 1. thes. Sacrae Scripturae eamdem tribuunt V. ac N. Testamenti sacramentis efficaciam. Nam Petrus in sua 1. ep. c. 3. v. 21. ait aquam baptismatis esse *similis formae* aquae per quam diluvii tempore salvus factus est Noe. Et Paulus in 1. ad Cor. cap. 10. v. 2. inquit: *Omnes in Moyse baptizati sunt in nube, et in mari. Et omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt*. II. eamdem loquendi formam usurparunt etiam sancti Patres. Augustinus enim q. 33. in Num. scribit: *Eadem quippe sunt in vetere et novo Testamento*. Nec ullum aliud inter illa statuit discrimen, quam quod inter figuram et figuratum intercedit, non quod haec ex opere operato, illa ex opere operantis gratiam producant; subdit namque: *Ibi obumbrata, hic revelata; ibi praefigurata, hic manifestata*. III. juxta phrasim sacrae Scripturae sacramenta veteris legis remittebant peccata. Patet id ex Lev. cap. 5. v. 10. *Rogabitque pro eo sacerdos et pro peccato ejus, et dimittetur ei*; patet etiam ex lib. 2. Reg. cap. ult. ubi narratur per Davidis sacrificium pestem cessasse, patet denique ex machabaicis voluminibus ubi Judas sacrificium obtulit pro illorum peccatis qui in bello occubuerunt, et Onias sacrificium obtulit pro salute Heliodori. IV. tandem et V. et N. Testamenti cultores salvi facti sunt merito passionis Christi; adeoque utriusque legis sacramenta eodem modo producunt gratiam.

Resp. ad 1. Scripturarum testimonia quae inter probationes attulimus contrarium prorsus demonstrant. Nec obstant allegata ex epistola Petri verba. Etenim aquam baptismi similis formae dicit cum aqua per quam salvae factae sunt octo animae, non ad demonstrandam aequalitatem virtutis, sed ad indicandam figuram et similitudinem, quoniam ex contextu liquet arcam Noë figuram fuisse Ecclesiae, aquam diluvii praesignasse baptismum, et liberationem a naufragio aeternam animarum salutem. Multoque minus facessit testimonium Pauli qui eodem sensu ac Petrus loquitur. Docet

siquidem in manna delapso de caelo praefiguratam fuisse eucharistiam, in aqua vero sacramentum baptismi; unde v. 6. ejusdem cap. inquit: *Haec autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut et illi concupierunt*. Hortatur enim fideles ut non confidant in nuda sacramentorum perceptione, sed simul bene agant, et in virtutibus exerceantur, quia patres nostri *omnes in Moyse baptizati sunt etc. sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo: nam prostrati sunt in deserto*.

Ad 2. Falsum est SS. PP. nullum aliud inter V. ac N. Testamenti sacramenta statuere discrimen praeter illud quod figuram inter ac figuratum intercedit. Nam quam saepissime nostrorum extollunt efficaciam sacramentorum quam denegant sacramentis veteris legis. Et quoad Augustinum attinet, appellat is N. Testamenti sacramenta *virtute majora, utilitate meliora*. Quid autem virtus illa sit, explicat lib. 19. cont. Faust. cap. 16. dicens: *Virtus autem quae per ista operatur, jugiter manet, et donum spirituale quod per ista insinuatur, aeternum est*. Imo hanc distinctionem satis superque tradit in loco ab adversariis obiecto dicens: *Non solum sacramenta diversa sunt, verum etiam promissa. Ibi videntur temporalia proponi ... hic autem manifestissime spiritalia promittuntur et aeterna. Temporalium autem bonorum atque carnalium, et spiritalium atque aeternorum, quae clarior certiorque distinctio est, quam passio D. N. J. Christi?* Vide quae bona utrisque sacramentis consequantur: illis temporalia atque carnalia, his autem spiritalia et aeterna. Quid luculentius datur desiderare?

Ad 3. Veteris legis sacrificia delebant peccata quoad temporalem, non quoad aeternam poenam. Hanc quippe non remittebant *nisi ex opere operantis*. Hinc theologi post S. Thomam 1. 2. q. 103. a. 2. observant Deum non pro omnibus ac singulis peccatis, sed pro aliquibus tantum instituisse sacrificia. Et revera pro blasphemia, idololatria, homicidio etc. nullum invenitur in lege praescriptum sacrificium. Hac ratione explicantur omnia in argumento allata exempla.

Ad 4. dico veteres justificatos fuisse merito passionis Christi illis applicatae per fidem, nos autem justificari merito ejusdem passionis nobis applicatae per sacramenta quae fidem supponunt tamquam dispositionem, non tamquam caussam instrumentalem ut in veteribus.

Obj. 2. cont. eamd. 1. prop. aliquot PP. testimonia. I. S. P. Augustinus in psal. 77. ait: *Cum essent omnia communia sacramenta* (veteribus), *non communis erat omnibus gratia quae sacramentorum virtus est*. II. S. Ambrosius lib. 7. in Luc. inquit: *Alibi purificatio, alibi sanctificatio, alibi justificatio est: Circumcisio purificavit, sanctificavit lex, justificavit gratia*. III. S. Leo serm. 3. de nat. Dom. scribit: *Hoc magnae pietatis sacramentum ... tam potens in suis significationibus fuit, ut non minus adepti sint qui in illud credidere promissum, quam qui suscepere donatum*.

Resp. universim SS. Patres utique affirmare quod in veteri lege sacra-

menta conferebant gratiam, sed affirmare quoque contulisse illam *per accidens*, et intuitu fidei ministrantium vel suscipientium, *per se* autem fuisse significativa gratiae. Deinde ad singula et quidem ad 1. S. P. Augustinus in allato testimonio satis agnoscit discrimen inter vetera ac nova sacramenta dum ait: *Idem itaque in mysterio cibus et potus illorum qui noster, sed significatione idem, non specie: quia idem ipse Christus illis in petra figuratus, nobis in carne manifestatus*. Et clarius adhuc q. 25. in Num. *Si per se ipsa* (mosaica sacramenta) *attendantur*; *nulli peccato*, vel ut alii legunt, *nullo pacto possunt mederi*; *si autem res ipsae quarum haec sacramenta* (idest nostra) *sunt*, *inquirantur*, *in eis inveniri poterit purgatio peccatorum*.

Ad 2. Ait quidem Ambrosius etiam in veteri lege fuisse gratiam, sed numquid affirmat ab illius temporis sacramentis veluti a caussis instrumentalibus fuisse productam? Imo tradit ibi contrarium scribens: *Populus enim judaeorum neque purificari potuit, quia circumcisionem non animi, sed corporis habuit: neque sanctificari, quia virtutem legis ignoravit qui carnalia magis quam spiritualia sequebatur: neque justificari, quia delictorum suorum poenitentiam non gerebat; et ideo gratiam nesciebat*.

Ad 3. S. Leo non loquitur de sacramentis, sed demonstrare aggreditur nullum umquam hominum statum fuisse in quo fides in Christum salutem non conferret. Ita nimirum mentem suam explicat ibidem: *A constitutione mundi unam eamdemque omnibus causam salutis instituit. Gratia enim Dei qua semper est universitas justificata sanctorum, aucta est*.

Obj. 3. adv. 2. thes. I. sacra Scriptura adscribit frequentissime salutem fidei. Ita Apostolus ad Rom. cap. 1. v. 17. *Justus ex fide vivit*. Et cap. 3. v. 28. *Arbitramur justificari hominem per fidem*. Hoc ipsum jam dixerat Christus Marc. cap. ult. v. 16. *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur*. II. eaedem sacrae litterae soli Deo potestatem attribuunt conferendi gratiam et gloriam. Luc. enim cap. 5. legitur: *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Et Joan. cap. 1. v. 33. de Christo ait: *Hic est qui baptizat*, quamvis ipse non baptizaret, sed discipuli ejus. Non tantam itaque habent sacramenta virtutem ut catholici autumant. III. S. P. Augustinus lib. 19. cont. Faust. cap. 16. *Quid enim sunt*, inquit, *aliud quaeque corporalia sacramenta, nisi quaedam quasi verba visibilia, sacrosancta quidem, verumtamen mutabilia et temporalia?* Et lib. 15. de Trin. cap. 26. *Neque aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum sanctum. Orabant quippe ut veniret in eos quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant*. IV. si sacramenta novae legis gratiam *ex opere* operato producunt, superflua erit in subjecto fides et quaevis alia dispositio, quod a catholicis non conceditur. Quod si majorem conferunt gratiam pro dispositione majori, quum dispositio meritum sit subjecti, fit ut, ipsis concedentibus catholicis, sacramenta gratiam conferant *ex opere operantis*. V. denique voces istae, *ex opere operato*, novae sunt et contra grammaticae regulas, ideoque a sana sunt theologia eliminandae.

Resp. ad 1. S. Scriptura non fidei modo sed et spei et charitati ac reliquis bonis operibus aeternam adscribit salutem. Ait enim Apostolus ad Rom. cap. 8. v. 24. *Spe salvi facti sumus*. Et in 1. ad Cor. cap. 13. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum*. Et Jacobi cap. 2. v. 24. *Ex operibus justificatur homo*. Ergo ne proinde ab aeternae salutis negotio excluditur fides? Similiter itaque etsi aliquando aeterna salus adscribatur fidei, non idcirco excluduntur sacramenta. Sed juxta catholicorum sententiam haec omnia in adultis simul concurrunt, fides videlicet, spes, timor, caritas etc. tamquam dispositiones, sacramenta vero tamquam caussae instrumentales. Ideo autem fidei saepius fit commemoratio, quia *ipsa est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis*, ut inquit tridentina synodus sess. 6. cap. 8. et quia major est, inquit Bernardus ep. 77. fidei necessitas quam baptismi; quum adultus in casu necessitatis absque actuali baptismo, non vero absque fide salutem valeat adipisci.

Ad 2. Merito divina eloquia soli Deo virtutem conferendi gratiam et gloriam attribuunt, quoniam solus Deus gratiae caussa princeps est. Atque hoc sensu solus Deus remittit peccata, Christus est qui baptizat. Sed idem Deus voluit ut sacramenta caussae essent divinae gratiae instrumentales, hoc est voluit de via ordinaria gratiam conferre per sacramenta tamquam per instrumenta quaedam.

Ad 3. Refellit ibi Augustinus hominem manichaeum effutientem veterem legem malam fuisse, quoniam illius sacramenta Christus abrogavit. Quem ut revincat erroris, optime inquit: *Quid mirum si aliis mysteriorum signaculis passio et resurrectio Christi futura promissa est, aliis jam facta annunciatur ...? Quid enim sunt aliud quaeque corporalia sacramenta, nisi quaedam quasi verba visibilia etc*? In urgenda autem altera S. Petri sententia contradicendi satis libidinem ostendunt. Nam ibi demonstrat S. doctor Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere, quoniam ab utroque mittitur. Et ne quis reponeret etiam apostolos Spiritum sanctum dedisse, apposite addit apostolos orasse quidem ut Spiritus sanctus descenderet, non illum dedisse, hoc est non fuisse ab apostolis collatum quomodo confertur a Patre et Filio, auctoritate scilicet propria et independenti; quum illi Spiritum sanctum darent tamquam ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei.

Ad 4. Non repugnat sacramenta gratiam producere *ex opere operato*, et praerequiri in subjecto fidem aliasque dispositiones. Nam nonne inest igni virtus comburendi subjectam materiam? Et nihilominus si subjecta materia necessariis careat dispositionibus, non accenditur. Simili modo et si sacramenta virtutem contineant producendi gratiam, si tamen subjecto praerequisitae desint dispositiones, gratia non habetur, non quidem defectu sacramentorum, sed ratione obicis qui est in subjecto. Nec ex eo quod ubi majores sunt dispositiones ibi major sit gratia, sequitur sacramenta producere gratiam *ex opere operantis*, quoniam non a bonis actibus sed a sacramentis tamquam a causis instrumentalibus gratia pro-

ducitur; quemadmodum ex quo major accendatur ignis in ligno sicciori, non sequitur siccitatem caussam esse combustionis.

Ad 5. dico I. voces istas, *opus operatum*, non esse adeo recentes, ut adversarii contendunt. Nam et S. Thomas in 4. d. 1. q. 1. a. 5. et Innocentius III. lib. 3. de myst. missae illas adhibuerunt. II. quamvis voces illae recentes essent quoad syllabas, vetustissimae tamen sunt quoad sensum, quum illarum significatio in scriptis inveniatur SS. PP. ut noster Lupus demonstrat in diss. cont. Berengar. cap. 6. III. licet voces illae barbarae essent et contra grammaticae regulas peccarent (quod tamen falsum esse erudite demonstrat noster Berti) nihilominus non essent rejiciendae tum propter auctoritatem Ecclesiae quae illas consecravit, tum ex eo quod melius sit, *reprehendant nos grammatici*, *quam non intelligant populi*, ut inquit Augustinus in psal. enarr. 138. n. 20.

Obj. 4. cont. 3. thes. Christus Dominus baptismi praecipiens sacramentum, ita Apostolos suos Matth. cap. 28. v. 19. alloquitur: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris etc. docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis*. Verba sane quibus docentur gentes in susceptione baptismi non sunt nisi *concionatoria*. 2. Confirmatur hoc ipsum ab Apostolo in ep. ad Ephes. cap. 5. v. 25. dicente: *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea ... mundans lavacro aquae in verbo vitae*. Conjungit hic Paulus verbum vitae, idest concionem cum lavacro aquae. 3. S. Ambrosius lib. de myst. cap. 3. inquit: *Aqua baptismi sine praedicatione dominicae crucis, ad nullos usus futurae salutis est*. 4. S. P. Augustinus tract. 80. in Joan. n. 3. scribit: *Unde ista tanta virtus aquae, ut corpus tangat, et cor abluat, nisi faciente verbo: non quia dicitur, sed quia creditur? Nam et in ipso verbo, aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. Hoc est verbum fidei quod praedicamus, ait Apostolus*. Et paullo infra: *Hoc est verbum fidei quod praedicamus: quo sine dubio ut mundare possit, consecratur et baptismus*.

Resp. ad 1. cum cl. Berti. Laudata Christi Domini sententia triplicis generis verba commendantur, concionatoria nempe, *docete omnes gentes*, consecratoria, *in nomine Patris etc.* et hortatoria, *docentes eos servare omnia etc.* Observatio haec est s. Hieronymi qui in Matth. tom. 4. pag. 144. scribit: *Ordo praecipuus: jussit Apostolis ut primum docerent omnes gentes; deinde fidei intingerent sacramento; et post fidem ac baptisma, quae essent observanda praeciperent*. Aliud ergo sunt verba consecrantia baptismum, alia constituentia concionem, et alia exhortationem, et sicut postrema verba hortatoria ad constitutionem non pertinent baptismi, ita et antecedentia concionatoria. Idcirco autem Christus praemittendam censuit baptismo fidei concionem, quoniam qui usum habet rationis ut Christo per sacramentum mancipetur, Christum ipsum ejusque doctrinam debet agnoscere, alioquin invitus Christo devoveretur. Ceterum si res ita se haberet ut adversarii contendunt, reprehendenda foret Ecclesia quae semper contulit baptismum infantibus quibus concio opportuna non est.

Ad 2. Apostolus per verbum vitae, juxta Patrum doctrinam, formam intelligit baptismatis, non evangelii praedicationem, ita ut verbum vitae non ad *docete omnes gentes*, sed ab *baptizantes eos in nomine etc.* debeat referri.

Ad 3. Ambrosius per crucis praedicationem, non concionem, sed formam et ipse intelligit baptismi. Loquitur quippe de praedicatione crucis quae dirigitur ad aquam, unde subdit: *In hunc fontem sacerdos praedicationem dominicae crucis mittit, et aqua fit dulcis ad gratiam*. Ast concio non ad aquam, sed ad auditores dirigitur. Bene vero dirigitur ad aquam forma ut ad materiam. Ideo autem baptismi forma dominicae crucis appellatur praedicatio, quoniam tota baptismatis virtus a merito passionis Christi repetitur.

Ad 4. Etiam Augustinus per verbum fidei formam intelligit sacramentalem quam fidei verbum appellat ut demonstret vim inesse illi sanctificandi non prout sonus materialis est, sed quatenus est mysterium fidei; quum fide certum sit in sanctissimae Trinitatis invocatione virtutem contineri purgandi a sordibus peccatorum. Non intelligere autem concionem quae sit praemittenda baptismo patet ex eodem qui objicitur loco ubi sic loquitur: *Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, ut ... etiam mundet infantem: quamvis nondum valentem corde credere ad justitiam, et ore confiteri ad salutem*. Quid luculentius? Et in lib. 3. de bapt. cap. 15. ait de baptismo Marcionis: *Si evangelicis verbis*, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, *Marcion baptismum consecrabat, integrum erat sacramentum, quamvis ejus fides sub eisdem verbis aliud opinantis quam catholica veritas docet non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata*. Cui autem difficilior videtur allata Augustini sententia animadvertat oportet illius mentem tract. 80. in Joan. esse ut demonstret nullam fieri mundationem nisi per verbum. Exponit enim illa verba Joannis quae cap. 15. occurrunt: *Jam vos mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis*. Et principio quidem loquitur de omni verbo generatim accepto, deinde vero de sermone consecratorio quo utimur in baptismo; nam ita scribit ibidem: *Quare non ait, mundi estis propter baptismum quo loti estis, sed ait, propter verbum quod locutus sum vobis: nisi quia et in aqua verbum mundat? Detrahe verbum, et quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum*. Assumit ergo in exemplum verbum quod in baptismo adhibetur ad ostendendum in verbo consistere mundationem. Ast numquid dicit verbum baptismi esse concionatorium? Imo affirmat oppositum, tunc enim mundare ait verbum baptismi quando accedit ad elementum. Ast verbum concionatorium, juxta haereticorum sententiam, praemittendum est ablutioni seu sacramento baptismi.

CAPUT VII.

De praecipuis sacramentorum effectibus, gratia nimirum et charactere.

Quae hactenus disputata sunt satis abunde demonstrant praecipuum sacramentorum effectum esse gratiam. Si namque agunt *ex opere operato*, proculdubio caussae sunt instrumentales gratiae. Hinc tridentina synodus sess. 7. can. 6. merito definivit: *Si quis dixerit, sacramenta novae legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae vel justitiae, et notae quaedam christianae professionis quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit*. Et haec quidem certa fide tenemus adversus lutheranos et calvinistas.

Si autem quaeratur quaenam sit illa gratia quam sacramenta producunt, absque ulla haesitatione respondemus esse gratiam habitualem seu sanctificantem, illam nimirum quae haeret animae intrinsecus eam renovans atque perficiens per Spiritum sanctum inhabitantem. Et revera gratia quae per sacramenta confertur hominem justum reddit ac Dei amicum, ipsiusque filium adoptivum: quod absque sanctificante gratia nequit obtineri, ut agentes de justificatione diximus. Animadvertendum autem venit gratiam sanctificantem juxta communem theologorum doctrinam aliam esse *primam*, aliam vero *secundam*. Prima dicitur illa quae aliam in subjecto non praesupponit. Secunda autem quae in subjecto supponit primam. Animadvertendum praeterea sacramenta quoque duplicis esse generis, *mortuorum* videlicet, et *vivorum*. Sacramenta mortuorum dicuntur illa quae homini conferri solent spiritualiter mortuo, hoc est inquinato lethali peccato ut abluatur ab eoque mundetur, et sunt baptismus et poenitentia. Sacramenta autem vivorum conferri solent homini spiritualiter vivo, in gratia nimirum constituto, et sunt reliqua a baptismo et poenitentia sacramenta. Gratia itaque prima proprie ac per se confertur a sacramentis mortuorum, a baptismo nimirum et poenitentia. Unde a reliquis sacramentis confertur gratia secunda, gratiae sanctificantis videlicet augmentum, quoniam subjectum jam habere supponitur gratiam primam.

Hic breviter dirimenda quaestio est an sacramenta mortuorum possint quandoque gratiam conferre secundam, et sacramenta e contra vivorum producere valeant gratiam primam. Certe si de collatione loquamur gratiae *per se* et ex sui institutione, nec sacramenta mortuorum conferre possunt gratiam secundam, nec gratiam primam illa vivorum. Ast si loquamur de collatione gratiae *per accidens*, evenit aliquando ut sacramenta mortuorum secundam, vivorum autem primam producant. Et quoad primam quaestionis partem, theologi omnes consentiunt contritionem ex perfecta caritate ortam eam habere coram Deo virtutem et efficaciam ut

illum ad dimittenda moveat peccata etiam ante baptismum ac poenitentiam, dummodo baptismatis vel poenitentiae votum sit in subjecto. Eo itaque in casu duo illa sacramenta mortuorum non primam quam in subjecto inveniunt, sed secundam causant gratiam, vi nempe contritionis et caritatis primam jam adaugent. Quoad alteram partem quaestionis audiendus est S. Thomas qui 3. p. q. 19. a. 3. inquit: *Qui est in peccato mortali, cujus conscientiam et affectum non habet, forte enim primo non fuit sufficienter contritus, sed devote et reverenter accedens, consequetur per hoc sacramentum gratiam caritatis, quae contritionem perficiet et remissionem peccati*.

Praeter gratiam sanctificantem sive primam sive secundam quodlibet sacramentum peculiarem sibi producit gratiam; alioquin nullum inter sacramenta discrimen intercederet. Est autem specialis illa gratia supernum quoddam adjutorium ad finem cuilibet sacramento proprium obtinendum. Nam *per baptismum*, inquit Eugenius IV. in decr. pro instr. armen. *spiritualiter renascimur, per confirmationem augemur in gratia et roboramur in fide, renati autem et roborati nutrimur divinae Eucharistiae alimonia. Quod si per peccatum in aegritudinem incurrimus animae, per poenitentiam spiritualiter sanamur; spiritualiter etiam et corporaliter, prout animae expedit, per extremam unctionem, per ordinem vero Ecclesia gubernatur et multiplicatur spiritualiter; per matrimonium corporaliter augetur*. Unde ad enumeratos consequendos fines conferunt sacramenta praeter gratiam sanctificantem speciale quoddam supernaturale auxilium quod est gratia cuilibet sacramento peculiaris. Atque pauca haec dixisse sufficiat de Gratia. Nunc paullo fusius de charactere disserendum est qui est alter sacramentorum effectus.

Character ergo, de quo sermonem hic instituimus, recte definitur a S. Thoma p. 3. q. 63. a. 4. *Signaculum spirituale et indelebile, quo anima insignitur ad suscipiendum, vel aliis tradendum ea quae sunt divini cultus*. Nam ea posita definitione recte intelliguntur et natura et proprietates characteris sacramentalis. Natura quidem, quoniam sicuti milites notis quibusdam ab imperatore signati ab hostibus secernuntur, ita qui sigillo hoc spirituali sunt decorati a reliquis distinguuntur, unde character merito dicitur signaculum quoddam spirituale. Sed per eamdem definitionem intelligimus etiam characteris proprietates, quarum praecipuae sunt quod deleri non possit, et quod aliquam conferat subjecto idoneitatem. Deleri plane non potest quum sit sigillum quoddam in anima impressum non ad illius sanctificationem, sed ad consecrationem spiritualemque potestatem, neque per apostasiam, dicente Augustino tract. 5. in ep. Joan. n. 6. *Characterem quidem* (apostata) *impositum habet, sed desertor vagatur*: neque demum per mortem, dicente S. Thoma 3. p. q. 63. a. 5. ad 3. *Et ideo post hanc vitam remanet character, et in bonis ad eorum gloriam, et in malis ad eorum ignominiam*. Confert etiam, ut diximus, aliquam subjecto idoneitatem, quorum per characterem in baptismatis

infixum susceptione, efficimur filii, per characterem impressum in confirmatione milites, per characterem in ordine receptum dispensatores evadimus ac ministri mysteriorum Dei. Atque omnia haec per traditam ex S. Thoma definitionem mirifice exprimuntur ; unde definitio illa optima est et accuratissima.

Observandum praeterea non omnia ac singula sacramenta, sed tria solummodo, baptismum scilicet, confirmationem et ordinem conferre characterem, idque ob rationes paullo superius allatas ex quibus deducitur etiam eadem sacramenta iterari non posse. Atque haec est omnium catholicorum doctrina in tridentina synodo sess. 7. cap. 9. definita adversus lutheranos et calvinistas qui Wiclefi vestigia sectantes, ex quo veteres theologi in characteris assignanda natura in diversas abierint sententias, affirmare ausi sunt sacramentalem characterem commentum esse scholasticorum ab Innocentio III. primitus excogitatum, ut Kemnitius inquit par. 2. exam. conc. trid. Nos ergo catholicae tridentinorum patrum adhaerentes definitioni adversus protestantes sequentem statuimus propositionem.

CONCLUSIO

Baptismus, confirmatio, et ordo imprimunt in anima characterem, et ideo sacramenta illa iterari non possunt.

Prob. 1. Scripturis. Apostolus in 2. ad Cor. cap. 1. v. 21. inquit: *Qui unxit nos Deus: qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Idem ad Ephes. cap. 1. v. 13. *In quo et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto.* Et cap. 4. v. 30. repetit: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis.* Quibus in locis non loquitur Apostolus de gratia sanctificante, ut quidam arbitrantur, sed de charactere. 1. Quoniam sancti complures Patres et praecipue Chrysostomus hom. 3. affirmant Paulum allatis in sententiis praeter habitualem gratiam aliud admittere munus quo Deo consecramur. Quid autem est munus quo consecramur Deo nisi character? 2. In ep. 2. ad Cor. si graecus textus consulatur, Paulus diversos enumerat confirmationis effectus; ad litteram quippe ait: *Qui confirmans nos cum vobis in Christum, et ungens nos Deus: qui et signans nos, et dans pignus Spiritus etc.* 3. Utitur Apostolus laudatis in testimoniis verbo σφραγίζειν, quod significat *insignire impresso sigillo*, sicut σφραγὶς idem est ac signum sigillo impressum etiam in paulina phrasi; quum in ep. ad Rom. cap. 4. v. 11. signum circumcisionis appellet σφραγῖδα.

Prob. 2. PP. auctoritate. Cyrillus jerosolimitanus praef. in catech. hunc inter alios baptismi effectus recenset quod sit *signaculum sanctum et indelebile*. Ambrosius lib. de myst. cap. 7. ait nos in baptismo accipere *signaculum spirituale*. Basilius hom. 13. quae est exhort. ad bapt. *Tesseram*, inquit, *duces sub se militantibus dant, ut amici facilius se invicem noscentes exhortentur, et si cum hostibus commiscantur eo facilius discerni ac separari possint. Nemo te, quarum an nostrarum an*

adversarii partium sis noverit , nisi mysticis signis familiaritatem prae te feras . Nisi characterem in te agnoscat angelus , quonam modo pro te pugnabit , aut ab inimicis vindicabit ? Et addit *: An ignoras quemadmodum signatas domos in Ægypto exterminator praeterit , in non signatis vero primogenita perimit ?* Gregorius nazianzenus exhor. ad sacr. lavacr. scribit : *Ovis enim quae sigillo signata est, non facile patet insidiis* . Sed ceteris luculentius catholicam confirmat doctrinam S. P. Augustinus qui in ep. quae est 185. ad Bonif. comit. ita fatur *: An non pertinet ad diligentiam pastoralem etiam illas oves quae non violenter ereptae , sed blande leniterque seductae a grege aberraverint, et ab alienis coeperint possideri , inventas ad ovile dominicum ... revocare : praesertim quoniam si apud fugitivos servos et praedones foecunditate multiplicantur , plus habet juris quod in eis dominicus character agnoscitur ; qui in eis quos suscipimus , nec tamen rebaptizamus , minime violatur ?* Et rursus quaerenti donatistae : *Quare ergo me ... non baptizas , ut abluas a peccatis ?* S. doctor respondet : *Quia non facio injuriam characteri imperatoris , cum errorem corrigo desertoris* . In lib. 6. cont. Donat. cap. 27. docet avaros et fraudatores et raptores et foeneratores et ebriosos et invidos *cum justis baptismum* habere *communem , cum quibus communem non* habent utique *caritatem* . Imo lib. 6. cap. 24. adversus pariter donatistas loquens de his qui extra Ecclesiam sunt , ait : *Baptismus quem habent , illis ad damnationem destinatis integer manet:* quae nonnisi de aliquo impresso charactere explicari possunt . Haec et similia complura Augustinus habet ubi loquitur de baptismo , quae adeo dilucide catholicam de charactere doctrinam demonstrant ut nulla nostra indigeant animadversione . Ubi autem de baptismo simul ac ordinatione verba facit non absimili loquitur ratione . Ait enim in serm. habito coram Emerito donatista : *Bona quae in illis* (donatistis) *agnoscimus, non sunt sua* ; *Domini nostri habent bona , Ecclesiae habent bona . Baptismus non est ipsorum , sed Christi . Invocatio nominis Dei super caput ipsorum quando ordinantur episcopi , invocatio illa Dei est, non Donati ... In errante et deserente milite crimen est desertoris, character autem non est desertoris , sed imperatoris ... Deus et D. N. J. C. quaerit desertorem , delet erroris crimen , sed non exterminat suum characterem* . Et lib. 2. cont. ep. Parmeniani cap. 13. scribit : *Utrumque enim sacramentum est , et quadam consecratione utrumque homini datur , illud cum baptizatur , istud cum ordinatur : ideoque in catholica utrumque non licet iterari* . Idem denique tradit de confirmatione lib. 2. cont. ep. Petiliani cap. 104. dicens : *Et in hoc unguentum chrismatis ... quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est , sicut ipse baptismus : sed potest esse et in hominibus pessimis , in operibus carnis vitam consumentibus , et regnum caelorum non possessuris etc.*

Prob. 3. theol. ratione . Ecclesiae constantissima consuetudo semper fuit baptismum, ordinem, et confirmationem non iterare . Nulla autem alia hujus rei afferri potest caussa , nisi quia sacramenta illa imprimunt cha-

racterem. Ideo quippe baptizatum hominem non rebaptizamus quia remanet in illo baptismus. Non remanet quoad ablutionem prolationemque verborum, quoniam ea actio transiens est. Neque remanet semper quoad gratiam quam producit, hanc enim baptisma extra Ecclesiam collatum non confert. Remanet igitur quoad characterem.

Solvuntur adversariorum argumenta.

Obj. 1. Nullum in sacris litteris extat catholicae doctrinae de charactere vestigium. Nam Scotus in 4. dist. 6. q. 9. inquit propter solam auctoritatem Ecclesiae se sacramentalem admittere characterem, *quum nec Scriptura nec sancti Patres aliquid satis expressum de illo tradiderint*. Quod idem et Cajetanus et Durandus affirmarunt. Imo recentiores theologi complures Bellarminum redarguunt quod ad characteris probandam existentiam nonnullis utatur Scripturae testimoniis obscuris, et a longe nimis arcessitis. Hinc optime observarunt ante Petrum pictaviensem inauditum aliquibus fuisse theologis vel nomen ipsum characteris. II. quoad Patres si quis de charactere expressius loquitur, is est proculdubio Augustinus. Ast quid characteris nomine S. hic doctor intelligit? Non aliud quam fidei professionem quae deleri ex anima potest. Nam serm. ad caesariensis ecclesiae plebem coram Emerito, ut paulo supra dixi, affirmat hominem in nomine Donati baptizatum characterem accipere Donati ac desertoris, dicens: *Ego quando vocarem ad unitatem, si invenirem desertoris characterem, exterminarem, delerem, abolerem, abjicerem, non approbarem, respuerem, anathematizarem, damnarem*. Ex quo sequitur per Augustinum characterem per imperatoris baptisma impressum, aboleri delerique posse non secus ac characterem desertoris. Id autem verificari nequit nisi de fide. Quod clarius exponit ibidem dicens: *Ego quando venio ad fratrem meum, et colligo errantem fratrem meum, attendo fidem in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Iste est character imperatoris mei. De isto charactere militibus suis vel potius comitibus suis, ut hunc imprimerent eis quos congregabat castris ejus, praecepit dicens, ite baptizate gentes in nomine Patris etc. Istum characterem a Domino dictum omnibus credentibus imprimendum etc.* Vides Augustinum characteris per baptisma recepti nomine ubique intelligere fidem? Quare inverisimile non est alios quoque Patres idipsum per *characterem*, *tesseram*, *signaculum* intelligere. III. si ratio demum consulatur multo minus poterit characteris existentia demonstrari. Nam 1. Quod iterari aliqua sacramenta nequeant, non indicat imprimere characterem, quum neque prima tonsura quae certe sacramentum non est, nec matrimonium possint iterari, et non proinde infigunt characterem. 2. Admittunt quoque theologi circulum vitiosum ut characteris probent existentiam. Ajunt enim quaedam sacramenta imprimere characterem quia iterari non possunt, et rursus eadem sacramenta iteranda non esse quia imprimunt characterem. 3. Sed et praecipua ra-

tio ad characteris suadendam existentiam futilis est: ajunt scilicet fieri id ut baptizatus a non baptizato secernatur, quasi vero character hujusmodi res aliqua sit visibilis. 4. Quod si dicant imprimi a nonnullis sacramentis characterem ut minister idoneus reddatur ad ea quae sunt sui muneris, nihil concludunt, quum fieri id possit per externam quamdam deputationem ab Ecclesia factam, ut accidit homini qui idoneus redditur ad judicis exercenda munera per externam a rege factam deputationem.

Resp. ad 1. Ex iis quae inter probationes attulimus satis apparet non obscurum in Scripturis haberi fundamentum ad characteris ostendendam existentiam. Quamquam etsi Scripturae silerent, satis loqueretur universa PP. traditio quae altera fidei nostrae regula est. Neque veteres nostri theologi inter se dissentiunt circa characteris existentiam, imo unanimi consensione illam admittunt, sed ea praesupposita in illius assignanda variant natura, quum ab aliis uno, ab aliis alio definiatur modo. Quod nonnulli recentiores theologi Bellarmino afferenti quaedam pro characteris existentia Scripturae testimonia non assentiantur, demonstrat dumtaxat non admodum valida ab illis existimari. Ast negant proinde sacramenta characterem imprimere? Imo validissime demonstrant ex veterum Patrum traditione. Falsum denique est neminem ante Petrum pictaviensem vel Innocentium III. meminisse characteris, quum vel ipsum characteris nomen in Augustini scriptis passim occurrat, ut supra observavimus. Ex scholasticis autem nomen idem usurpavit vel ipse Magister sententiarum in 4. dist. 24. Et quamvis novum foret nomen, res tamen nomine significata penes Patres omnes invenitur.

Ad 2. Falsum est quoque Augustinum nomine characteris allato in argumento loco intelligere fidei professionem. Nam ibidem diserte tradit ordinem atque baptismum permanere etiam in desertore, in haeretico nempe atque schismatico in quibus fidei professio plane non remanet, totusque est ut demonstret baptisma collatum a donatistis iterandum non esse quia characterem imprimit imperatoris. Nonne ergo per Augustinum character distinguitur a fidei professione? Ait quidem: *Si Donatus quando schisma fuit, in nomine Donati baptizaret, desertoris characterem infigeret*: qui, ut ait, exterminandus esset, delendus, abolendus, damnandus etc. Neque hinc sequitur characterem revera exterminari posse, deleri etc. constat enim ex verbis, *abjicerem*, *non approbarem*, *respuerem*, *anathematizarem*, *damnarem*, quae illic sequuntur, ejusmodi characterem, si quidem Donati baptismus aliquem infigeret characterem, remansurum, et tantum anathematizandum et damnandum fore: atque ideo verba *exterminare*, *delere*, *abolere* non alium praeseferre sensum nisi hunc, execrandus penitus esset. Quia tamen desertor non characterem suum fixit, ut ibi addit Augustinus, sed imperatoris, ita hujus, non illius remanet character in baptizatis a donatistis aliisque schismaticis. Ut autem dignoscat quo signo utrum nempe desertoris vel imperatoris quis signatus sit, attendit Augustinus nomen in quo baptizatus est. Hic est genuinus sensus illorum verborum, *attendo fidem in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*, non

quasi fidei professionem, sed baptismatis formam. Nihil igitur ex Augustino contra statutam thesim afferri potest.

Ad 1. argumentum ex ratione depromptum dico caussam cur baptismus, confirmatio, et ordo non iterantur non aliam a SS. PP. assignari praeter illam quod ea sacramenta conferantur per consecrationem, ut superius animadvertimus. Tonsura autem, juxta nonnullos, sacramentum est si ab episcopo sacro ritu fuerit collata, unde in illorum opinione theologorum imprimit characterem, eaque de caussa non iteratur. Juxta alios autem quamvis ordo non sit nec imprimat characterem quum tamen sit quaedam ad ordines dispositio, non iteratur ex consuetudine Ecclesiae, quia semel jam dispositus est. Cur matrimonium ab una eademque persona uno vivente ex conjugibus iterari non possit, facit ejusdem sacramenti indissolubilitas vinculi a Deo in illius institutione statuta. Ceterum uno ex conjugibus mortuo iniri matrimonium iterum potest, unde hoc sacramentum a baptismo, confirmatione, et ordine admodum differt.

Ad alterum a ratione argumentum respondeo 1. circulum non admittere vitiosum qui caussae existentiam probat per effectum et vicissim. Baptisma iterari non posse certo scimus, ipsique adversarii nobiscum fatentur, jure hinc inferimus indelebilem imprimere characterem. 2. Ideo nos fide tenemus baptismum, confirmationem, et ordinem characterem imprimere nec posse iterari, quoniam utrumque illud dogma in constanti invenimus Ecclesiae traditione.

Ad id quod sequitur, in primis verus fidelis ab infideli secernitur per fidem, caritatem, et gratiam quae certe invisibilia sunt. Deinde voluit Deus ut per tria illa sacramenta infigeretur character ad hoc ut fidelis ab eo decoratus dignoscatur ab angelis, honorem per illum in caelis, confusionem habeat in inferis.

Ad ultimum sit brevis responsio, Deum nimirum voluisse per internam characteris infixionem quae est consecratio, et non per externam deputationem Ecclesiae idoneos reddere ministros suos non obscure patet ex Scripturis, luculentissime vero ex ejusdem Ecclesiae perpetua praxi et traditione. Cur autem ita voluerit, ipse perfecte novit quia ipse sic instituit, unde quaevis comparatio futilis est et ridicula.

CAPUT VIII.

De ministris sacramentorum.

Minister sacramentorum ille est qui accepta a Deo sacramentorum auctore principalique caussa potestate eadem sacramenta conficit, ac commissa sibi auctoritate dispensat: et vel *ordinarius* est, vel *extraordinarius*. Ille conficit ac dispensat sacramenta juxta legem a Christo praescriptam. Hic autem ad exercendum munus per legem deputatur extraordinariam. Omnium catholicorum sententia est solum hominem viatorem ministrum èsse ordinarium sacramentorum. Angelum autem posse quidem

esse ministrum, sed extraordinarium. Rursus catholici tenent non omnes ac singulos homines viatores, sed illos tantummodo qui per legitimam ordinationem potestatem acceperunt ordinarios esse ministros sacramentorum, uno excepto baptismate quod in casu extremae necessitatis etiam a laicis administrari potest, ut de hoc sacramento agentes demonstrabimus. Haec est catholicorum fides circa ministrum sacramentorum.

Lutherus autem inter ministerii usum et potestatem distinguens docere ausus est usum quidem ministerii nonnisi illis qui legitime vocantur et constituuntur esse permittendum, potestatem autem conficiendi ac dispensandi sacramenta omnibus ac singulis competere christianis qui potestatem illam in baptismo receperunt. Hinc in illius sententia ordinarii ministri sacramentorum non sunt illi dumtaxat qui per legitimam ordinationem vocati sunt tamquam Aaron, sed omnes ac singuli laici, imo et pueri et foemellae dummodo Christi perceperint baptismum. Sed quid mirum, quum idem Lutherus putido ore pronunciare ausus sit etiam diabolum officium exercere posse pastoris et sacramenta conficere?

Catholici praeterea nonnullas in sacramentorum ministris requirunt conditiones ut tum valide tum licite sacramenta conficiant atque dispensent, haeque sunt *fides*, *sanctitas*, *intentio*. Fidem requiri docent non quo valide, sed quo licite sacramenta conficiant et administrent. Quod idem de sanctitate seu de statu gratiae sanctificantis affirmant, ita ut si ministri in statu lethalis peccati sacramenta conficiant vel dispensent, illicite id quidem faciant, sed tamen valide. Quid catholica fides circa intentionem ministri adversus haereticos teneat, quidve theologi salva fide arbitrentur, versabimus ex professo capite sequenti, quemadmodum de fide ministri contra donatistas qui hoc in capite praesertim peccarunt agemus in tract. de bapt. Nunc enim de sanctitate tantum ministri contra eosdem donatistas, quos postea secuti sunt valdenses, albigenses, hussitae, et anabaptistae, disserere constituimus. Sed redeamus ad caput.

CONCLUSIO I.

Soli homines viatores esse possunt ordinarii ministri sacramentorum; angeli autem, sancti, atque beati esse nequeunt nisi ministri extraordinarii.

Prob. 1. pars I. ex sacris litteris. Christus enim quando baptismum [in]stituens Matth. cap. 28. dixit, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes etc.* homines alloquebatur viatores. Viatores quoque homines alloque[ba]tur quando instituens sacramentum poenitentiae Joan. cap. 20. ait, *Ac[cipit]e Spiritum sanctum, quorum remiseritis etc.* Non angelis aut beatis [in c]elo regnantibus, sed viatoribus dixit instituens sacramentum Eucharistiae, [Luc.] 22. *Facite in meam commemorationem*. Ordinem describens Apostolus [ad] Hebr. cap. 5. inquit: *Omnis pontifex ex hominibus assumptus*. Et consi[mili]ter de aliorum leguntur sacramentorum ministris. II. ex SS. PP. qui ad

ostendendam ministrorum Ecclesiae dignitatem passim inquiunt nec angelis neque archangelis talem fuisse concreditam potestatem ut sacramenta conficiant et administrent. III. ex theol. ratione. Ecclesia enim est visibilis, adeoque illius quoque ordinarii ministri visibiles esse debent.

Prob. altera pars ratione S. Thomae qui 3. p. q. 64. a. 7. ad 2. ita ratiocinatur: Sicut Deus quamvis de lege ordinaria statuerit sanctificantem gratiam hominibus conferre per sacramenta, aliquando tamen etiam absque sacramentis illos justificat; ita licet de lege ordinaria voluerit ut soli homines viatores ministri sint sacramentorum, id nihilominus non impedit quin talem facultatem concedere possit angelis sanctis atque beatis in caelo regnantibus. Doctrinam hanc hauserat S. Thomas ex Augustini lib. 2. cont. ep. Parmeniani cap. 15. ubi sic scribit: *Nemo accipit sine dante: sed quod pertinet ad baptismi sanctitatem, adest Deus qui det, et homo qui accipiat, sive per seipsum donante Deo, sive per angelum, sive per hominem sanctum ... sive per hominem iniquum.*

CONCLUSIO II.

Ii soli sunt quorumlibet sacramentorum ministri ordinarii qui per legitimam ordinationem ministerii potestatem acceperunt.

Prob. 1. Scripturis superiori prop. allatis. Solos enim apostolos, non singulos christianos Christus alloquebatur quando dixit, *Hoc facite in meam commemorationem:* Nec non, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis etc.* Et Jacobus in sua ep. cap. 5. sermonem habens de extrema unctione ait: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae etc.* non quemcumque baptizatum. Quibus accedit quod in Act. legitur Apost. cap. 20. v. 28. *Posuit episcopos regere Ecclesiam Dei*, non singulos fideles; alioquin nullum esset inter pastorem et gregem discrimen; quum tamen maximum ab Apostolo statuatur qui in 1. ad Cor. cap. 12. docet diversos a Deo constitutos fuisse in Ecclesia ordines: *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum ... Numquid omnes apostoli? numquid omnes prophetae? numquid omnes doctores?* Ast in lutheranorum sententia omnes ex aequo fideles essent apostoli, prophetae, doctores etc. et unusquisque vi recepti baptismatis assumere sibi ministerii honorem posset contra expressam Apostoli mentem qui etiam ad Hebr. cap. 5. v. 4. scribit: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.*

Prob. 2. ex constanti Ecclesiae consuetudine quae numquam permisit ut sacramenta excepto baptismate a quovis fideli indiscriminatim conficerentur, imo velut haereticos habuit semper illos qui absque legitima ordinatione sacri ministerii munera exercere voluerunt. Hinc Hosius cordubensis reprehendens Constantium imperatorem qui rebus ecclesiasticis se immiscere more episcoporum contendebat, ita loquitur: *Ne te immi-*

sceas rebus ecclesiasticis, nec nobis his de rebus praecepta mandes, sed a nobis potius haec ediscas: tibi Deus imperium tradidit, nobis ecclesiastica concredidit.

Prob. 3. theol. ration. N. Testamenti sacerdotium longe praestantius est sacerdotio V. Testamenti. Ast in V. Testamento sacerdotalia exerceri non poterant munera a quovis circumciso, sed ab iis tantum qui erant de tribu Levi. Hinc Ozias rex qui sacrificia more sacerdotum offerre volebat ita a sacerdotibus ipsis redarguitur lib. 2. Paral. cap. 26. *Non est tui officii Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed sacerdotum, hoc est filiorum Aaron qui consecrati sunt ad hujusmodi ministerium.* Quanto magis ergo verum id erit in N. Testamento?

CONCLUSIO III.

Ad valorem sacramenti ministri probitas non requiritur.

Prob. 1. Script. I. ubique in sanctis paginis baptismus (et quod de baptismo dicitur, de reliquis intelligitur sacramentis) unus idemque praedicatur, quia Dei institutoris est, non hominum, nisi quatenus hi sunt ministri et dispensatores mysteriorum Dei. Hinc Joan. cap. 1. v. 33. de Christo dicitur: *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* Hinc etiam Apostolus reprehendens Corinthios propriorum jactantes probitatem pastorum in ep. 1. cap. 3. ait: *Quid igitur est Apollo? quid vero Paulus? ministri ejus cui credidistis ... ego plantavi, Apollo rigavit: sed Deus incrementum dedit. Itaque non qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat, Deus.* Sacramentorum igitur minister sive sanctus sit sive improbus semper Dei sacramenta dispensat, ac proinde illius iniquitas derogare sacramentorum valori non potest. Quare S. P. Augustinus tract. 5. in Joan. explicans allata mox Evangelistae verba inquit: *Discit Joannes ... potestatem dominici baptismi in nullum hominem a Domino transituram, sed ministerium plane transiturum: potestatem a Domino in neminem, ministerium et in bonos et in malos. Non exhorreat columba ministerium malorum, respiciat Domini potestatem. Quid tibi facit malus minister, ubi bonus est dominus?* Et Optatus milevitanus lib. 5. de schism. Donat. ad allata Pauli verba ita fatur: *Ut ostenderet quia hoc totum sacramentum baptismatis Dei est, ut illa sibi nihil vindicet operarius, sic ait: Ego plantavi, hoc est de pagano catechumenum feci: Apollo rigavit, hoc est ille catechumenum baptizavit, sed ut cresceret quod plantatum et irrigatum est, Deus fecit.* II. in Act. Apost. narratur apostolos rebaptizasse illos qui a Joanne Baptista quamvis insigniter justo abluti fuerant, non rebaptizasse autem ab impio scelestissimoque Juda baptizatos. Dummodo ergo sacramentum Christi conferatur ut collatum revera fuit a Juda, probitas vel iniquitas ministri nihil ad illius valorem conducit. Ita ratiocinatur Augustinus tract. 5. in Joan. *Dedit Judas, et non baptizatum est post Judam; dedit Joannes, et baptizatum est post Joannem: quia*

si datus est a Juda baptismus, Christi erat: qui autem a Joanne datus est, Joannis erat. III. in evangeliis legitur credentes in Christum sive justi essent sive impii ejecisse ab energumenis daemonia, quoniam invocabant nomen Trinitatis. Similiter ergo qui sacramenta in nomine conficit Trinitatis, etiamsi improbus sit gratiam confert sumentibus illa. Argumentum est Optati milevitani lib. 5. de schism. Donati, dicentis: *Denique lectum est in evangelio, Joanne dicente, magister, vidimus quemdam in nomine tuo expellentem doemonia, et prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum, sic Christus ait: Nolite prohibere ... Nam et ipsi sic mandatum est, ut opus esset illorum sanctificatio Trinitatis; nec in nomine suo tingerent, sed in nomine Patris, Filii, et Spiritus sanctu. Ergo nomen est quod sanctificat, non opus.*

Prob. 2. ex SS. PP. Gregorius nazianz. orat. in S. bapt. inquit: *Quamvis alius alium vitae probitate antecellat, eadem tamen baptismi vis est.* Neque enim meliorem probus quam improbus minister baptismum ministrat, quod fieri deberet si vera esset donatistarum opinio. Urget hoc argumentum etiam S. P. Augustinus lib. de unit. Eccl. cap. 21. in haec verba: *Isti autem dum volunt hominum esse quod Christi est, res falsissimas et absurdissimas persuadere conantur, ut prope tot sint baptismi, quot homines per quos dantur.* Chrysostomus hom. 8. in 1. ad Cor. *Nunc autem,* inquit, *etiam per indignos Deus solet operari, nec baptismatis gratia quidquam laeditur a vita sacerdotis.* Idipsum ait etiam Augustinus lib. 2. adv. Petilianum. Isidorus pelusiota lib. 3. ep. 304. scribit: *Incontaminata mysteria non conspurcantur, etiamsi sacerdos omnes mortales superet improbitate.* Aliorum PP. sententias vide apud Bellarminum, Drouenium, aliosque.

Prob. 3. theol. rationibus. I. improbitas quae esse possit in sacramentorum ministro nec characterem ab eo nec jurisdictionem tollit; tum quia minister est sacramentorum caussa instrumentalis, non principalis; tum quia morum nequitia opponitur quidem gratiae gratum facienti, non autem gratiae gratis datae quae non ad propriam sed ad aliorum datur sanctificationem. Ast sacramentum quod confertur ab illo qui characterem habet et jurisdictionem, quis negaverit esse valide collatum? II. si valor sacramentorum a ministri penderet probitate, jam nemo certus foret se valide fuisse baptizatum. Quis enim tuto affirmare potest ministrum a quo baptismum suscepit fuisse absque peccato? Imo nullus sacerdos deberet sacramenta conficere aut dispensare, quia *vellem scire quem repereris qui contra Joannem apostolum diceret, peccatum non habeo,* inquit S. Pater lib. 2. cont. Crescon. cap. 28. III. donatistae quos adversarios in hac controversia habemus admittebant baptisma maximianistarum quos scelestissimos existimabant, proptereaque a propria communione in bagajensi concilio segregarunt. Ipsis ergo consentientibus ad sacramentorum validitatem ministri sanctitas non requiritur.

CONCLUSIO IV.

Ministri in statu mortalis peccati sacramenta conficientes vel dispensantes peccant lethaliter.

Prob. 1. sacris litteris. Exod. cap. 19. legitur: *Sacerdotes qui accedunt ad Dominum sanctificentur, ne percutiat eos*. Isaiae 52. habetur: *Mundamini qui fertis vasa Domini*. Paulus in 1. ad Tim. cap. 3. *Probentur primo: et sic ministrent, nullum crimen habentes*. Et ad Tit. cap. 1. subdit: *Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem*.

Prob. 2. Traditione. Concilium illyberitanum in ministro baptismi innocentiam requirit baptismalem, ecclesia africana tertio labente saeculo adeo in ministris sacramentorum vitae sanctitatem necessariam existimabat ut Secundus in Numidia episcopus coacto concilio comprovinciales episcopos monuerit ne episcopum consecrarent quem constabat sacros codices tempore persecutionis tradidisse. Hinc auctor de eccl. hier. *Malis*, inquit, *symbola nec contingere permissum est*. Et S. P. Augustinus lib. 32. cont. Faust. cap. 14. scribit: *Quisquis illa tunc etiam opera* (pascha scilicet et alia veteris testamenti) *quae ad significandum agi jubebantur non observabat, poenas divinitus constitutas rectissimo judicio persolvebat, sicut nunc si quis sacramenta N. Testamenti pro temporis ratione distincta fuerit ausus sacrilega temeritate violare*. Et Gregorius M. in ep. 25. ad patriarchas ait: *Necesse est ut esse munda studeat manus quae diluere sordes curat ... Scriptum namque est: Mundamini qui fertis vasa Domini*. Quare tridentina synodus sess. 13. cap. 7. merito praecipit, *ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram eucharistiam accedere audeat*.

Prob. 3. ratione. De jure naturae est ut sancta sancte tractentur. Ministri autem in statu lethalis peccati existentes sancta indigne pertractant, ideoque contra naturale jus peccant. Hinc Augustinus cont. ep. Parmeniani lib. 2. cap. 10. inquit: *Omnia sacramenta cum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus*.

Ad ea quae contra statutas theses afferuntur, responsio.

Obj. 1. cont. 1. thes. I. Judas qui membrum erat diaboli vera confecit sacramenta; potest ergo illa conficere etiam diabolus. II. angeli dicuntur in Scripturis administratorii spiritus; adeoque esse possunt ministri ordinarii sacramentorum. III. nonne homines vita functi retinent ordinis characterem?

Resp. ad 1. Judam vera confecisse sacramenta quatenus Christi discipulus erat, non quatenus erat membrum diaboli. Hinc nequit diabolus sacramenta ad instar Judae membri sui conficere ac ministrare, mentiturque Lutherus in lib. de abr. mis. dicens: *Si diabolus in specie hominis irreperet in officium pastoris, verum sacramentum conficeret*.

Ad 2. Angeli dicuntur in Scripturis administratorii spiritus non quod ordinarii sacramentorum ministri esse possint, non enim ad corpus spectant visibilis Ecclesiae, sed quia illorum opera utitur Deus ad custodiendos homines, ad tuendam Ecclesiam, aliaque hujus generis facienda.

Ad 3. Homines justi qui ex hac discessere vita retinent utique characterem, sed ad ornatum et gloriam, non ad ministerium, quemadmodum eumdem retinent characterem homines impii ad contumeliam et poenam.

Obj. 2. adv. 2. prop. I. qui perceperunt baptismum jam sunt sacerdotes, dicente Petro in 1. ep. cap. 2. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis etc.* II. in apostolis omnes figurabantur fideles. Cumque in apostolis esset potestas conficiendi ac dispensandi sacramenta, consequitur eamdem potestatem in omnibus quoque esse fidelibus. Hinc verba illa Christi, *Hoc facite in meam commemorationem,* dicta sunt in apostolis singulis fidelibus. III. ait Paulus in ep. ad Gal. cap. 3. *Omnes enim vos unum estis in Christo*: adeoque non datur in uno major quam in altero potestas. IV. imo Christus Dominus praeeminentiam hanc in discipulis suis damnavit dicens Matth. cap. 20. *Principes gentium dominantur eorum ... Non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister.* V. quod si ministerium aliquod admittendum est in Ecclesia, erit non de institutione divina, sed humana et ecclesiastica, affirmante Tertulliano lib. de exhort. castit. cap. 7. *Differentiam inter ordinem et plebem constituit Ecclesiae auctoritas.*

Resp. ad 1. Petrus laudato in argumento loco appellat omnes fideles non modo sacerdotes, sed etiam reges. Ast quis umquam dixerit singulis fidelibus jus regiae convenire potestatis? Etiam Exod. cap. 19. singuli V. Testamenti fideles dicuntur sacerdotes: *Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale.* Nihilominus sacerdotale ministerium erat dumtaxat penes leviticam tribum. Praeterea si fideles omnes sunt sacerdotes in sensu haereticorum, cur Apostolus ad Hebr. cap. 5. eos tantum dicit sacerdotes, *Qui vocantur a Deo tamquam Aaron*? Denique loquitur ibi Petrus de interno ac spirituali, non de externo sacerdotio cui potestas adnexa est conficiendi ac dispensandi sacramenta. Ita S. P. Augustinus lib. 20. de C. D. cap. 10. *Non utique de solis episcopis et presbyteris dictum est, qui proprie jam vocantur in Ecclesia sacerdotes, sed sicut omnes christianos dicimus propter mysticum chrisma; sic omnes sacerdotes, quoniam membra sunt unius sacerdotis. De quibus apostolus Petrus*, plebs, *inquit*, sancta, regale sacerdotium.

Ad 2. Si in apostolis omnes figurabantur fideles comparate etiam ad ministerium sacramentorum, cur ab apostolis ipsis ordinati fuerunt presbyteri, diaconi, aliique sacramentorum ministri? Singuli quippe fideles illam accepissent potestatem per baptismum. Itaque figurabantur omnes fideles in apostolis in iis quae ad fidem in Christum spectant, non in iis quae pertinent ad ministerium. Hinc verba illa, *Facite in meam commemorationem*, si sunt de eucharistica consecratione accipienda, dicta fuerunt

solis apostolis. Quod si referri eadem verba velint ad actiones omnes quas ea in occasione Christus egit, quum Christus sacrificaverit, obtulerit, fregerit, sumpserit, verbum, *facite*, dirigitur ad apostolos qui facere haec omnia debebant, dirigitur etiam ad laicos qui sumere debent et offerre per sacerdotes.

Ad 3. Dum ait Apostolus omnes nos esse unum in Christo, non loquitur de unitate aut aequalitate gradus et dignitatis, sed de unitate et aequalitate fidei per quam omnes homines cujusvis gentis et linguae fiunt unum in Christo; unde paullo ante dixerat: *Lex paedagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificamur. At ubi venit fides, jam non sumus sub paedagogo: omnes enim filii Dei estis per fidem quae est in Christo Jesu*.

Ad 4. Commendat ibi Christus studium humilitatis, non ecclesiasticam evertit hierarchiam. Contentio quippe orta inter discipulos erat quis eorum videretur esse major, ad quam compescendam recte inquit Christus: *Principes gentium etc. Non ita erit inter vos*. Ceterum verba quae habet Lucas cap. 22. eamdem narrans historiam, satis clare ordinem supponunt dignitatis et gradus in Ecclesia, ait enim: *Qui major est in vobis, fiat sicut minor: et qui praecessor est, sicut ministrator*.

Ad 5. Librum de exhort. castit. scripsit Tertullianus cum jam montanista esset, unde nullius est auctoritatis.

Obj. 3. cont. 3. prop. varia Scripturarum testimonia. I. Ecclesiastes cap. 10. *Muscae, inquit, morientes perdunt suavitatem unguenti*. Eccl. cap. 34. legitur: *Ab immundo quis mundabitur?* Et rursus: *Qui baptisatur a mortuo ... quid proficit lavatio ejus?* Qui ergo ab immundo et mortuo ministro sacramenta recipit, cum illis non recipit gratiam. III. Matth. cap. 7. inquit Christus: *Non potest arbor mala bonos fructus facere*, unde mali ministri gratiam conferre nequeunt per sacramenta. IV. quum peccatores sint ex patre diabolo, ut Joan. cap. 10. dicitur, a Deo proculdubio non exaudiuntur. Quid prodest ergo ut sacramenta conferant? Innumera hujus generis alia opponebant donatistae.

Resp. ad 1. In hoc consistit Ecclesiastis comparatio, quod sicuti muscae morientes suavitatem amittunt odoris, ita improbi fideles dedecore afficiunt christianam religionem. *Esse autem bonam odorem in bona fama recte viventium christianorum, Apostolus docet dicens* „ Christi bonus odor sumus Deo in omni loco „ *Contra illi quibus dicitur* „ Nomen enim Dei per vos blasphematur in gentibus „ *utique oleum suavitatis exterminant*. Ita Augustinus lib. 2. cont. ep. Parmeniani cap. 10.

Ad 2. Nemo ab immundo mundari potest tamquam a caussa munditiem sanctitatemque efficiente, mundari tamen potest tamquam a caussa instrumentali. Qui enim ab impio ministro recipit sacramentum plane mundatur, quia sacramentum Christi est, impius autem minister est mera ejusdem sacramenti instrumentalis caussa. Deinde locus ille intelligendus non est de sacramento baptismi, sed de purgatione ab immunditia legali: atque in eo comparatio consistit, quod sicut purgatio non pro-

dest illi qui iterum tangit mortuum, ita non prodest paenitentia illi qui statim in peccata relabitur; unde post allata verba e vestigio subdit: *Si homo qui jejunat in peccatis suis, et iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? Orationem illius quis exaudiet?*

Ad 3. respondetur eodem modo. Nequit scilicet improbus minister gratiam per sacramenta conferre tamquam caussa princeps et efficiens, sicut arbor mala facere bonos fructus nequit; potest autem tamquam caussa instrumentalis, quia malus *cum Dei verbum praedicat, Dei sacramentum ministrat, non de suo, si malus est, praedicat aut ministrat ... Nam si ... fructus baptizantium ipsi baptizati existimantur ... tot Optati pullulaverunt* (in africa) *quotquot baptizavit Optatus*, inquit Augustinus lib. 2. cont. ep. Petiliani cap. 6.

Ad 4. Improbi ministri sunt utique membra diaboli prout improbi sunt, sed prout sacerdotio funguntur sunt etiam Christi ministri. Sacramenta autem conficiunt non ut membra diaboli, sed ut Christi ministri, adeoque etsi peccatores exaudiuntur a Deo cujus sunt instrumenta.

Obj. 4. cont. eamd. 3. prop. PP. auctoritate. I. Ambrosius in lib. de myster. cap. 4. scribit: *Non sanat baptismus perfidorum, non mundat, sed polluit*. II. Hieronymus in cap. 3. Sophon. *Sacerdos*, inquit, *in quo fuerit macula, non accedet offerre oblationes Domino*. S. P. Augustinus lib. 3. de bapt. cap. 18. ait: *Tales tamen ipsius Cypriani temporibus baptizabant, quos coepiscopos suos fuisse cum magno gemitu confitetur ... Remissam tamen peccatorum non dabant; quae per orationes sanctorum, idest per columbae gemitus datur*.

Resp. ad 1. Ambrosius nomine *perfidorum* intelligit haereticos quos certe baptismus non sanat neque mundat, sed potius polluit nisi ejuratis erroribus mystico Christi corpori rursus conjungantur; exponit enim ibi baptismi virtutem in iis qui eum cum vera fide suscipiunt.

Ad 2. Affirmat ibi Hieronymus impios sacerdotes dispensare fidelibus eucharistiam illicite, non autem invalide; ait enim ibidem: *Sacerdotes quoque qui eucharistiae serviunt, et Sanguinem Domini populis ejus dividunt, impie aliquando agunt in legem Christi*. Si improbi sacerdotes eucharistiae serviunt et Sanguinem Domini dividunt populis ejus, valide ergo conficiunt eucharistiam, sed tamen illicite quia impie agunt in legem Domini.

Ad 3. Sacerdotes qui Cypriani tempore, juxta Augustinum, remissam non dabant peccatorum erant sacerdotes qui sacramenta ministrabant haereticis schismaticis, aliisque extra Ecclesiam errantibus; ita ut sacramenta effectum haud producerent, sed ex defectu recipientium non ex defectu administrantium. Sic enim ait ibi S. doctor: *Solvitur qui cum columba fecerit pacem, et ligatur qui cum columba non habet pacem*. Et lib. 6. cap. 4. docet, malum *sicut perniciose habet* (baptismum), *ita etiam perniciose tradere; non quia tale aliquid tradit, nec quia talis tradit, sed quia tali tradit*. Complura alia vide apud Berti.

Obj. ultimo adv. eamd. thes. ex ratione. I. habet vulgare proloquium,

Nemo dat quod non habet. Impii ministri gratiam non habent, quomodo ergo possunt illam dare? Neque reponere juvat carere illos gratia quidem gratum faciente, non autem gratia gratis data. Nam statim ac minister gratia caret gratum faciente, caret etiam jure administrandi sacramenti, unde invalide illa confert. II. sacramentum est actio ministri. Quod si minister improbus sit, actio quoque ejus erit mala, atque ita etiam sacramentum malum erit, hoc est nullum et irritum. III. potissima catholicorum ratio ad ostendendum valere sacramenta ab improbis administrata, est quia sacramenta sanctitatem habent independenter a ministris. Hoc autem falsum est. Nam etiam aqua per se pura est et munda, si tamen in vase ponatur immundo et ipsa vitiatur. Similiter vitiantur, hoc est invalida evadunt sacramenta per se sancta si ab impiis sacerdotibus administrentur.

Resp. ad 1. Proloquium illud *vox est de vico collecta, non de libro lecta. Haec verba in lege scripta non sunt; nam si ut vultis, homo dat, Deus vacat*, scribit Optatus milevitanus lib. 5. cont. donat. num. 7. Deinde impii ministri etsi non habeant gratiam gratum facientem, habent tamen gratiam gratis datam per quam gratiam gratum facientem sacramentis adnexam alteri conferunt. Carent quidem tales ministri propter improbitatem jure administrandi, propter quod sacramenta conficiendo ac dispensando peccant; sed si administrent, dant quod Christi est, videlicet gratiam. Ita Augustinus lib. 5. de bapt. cap. 15. *Etsi jus baptizandi non habuit, tamen Christi est quod dedit, et ille Christi est qui accepit. Multa enim contra jus dantur, nec tamen ideo vel nulla vel non data dicuntur*.

Ad 2. Si argumentatio consisteret, sequeretur baptismum, eucharistiam, aliaque sancta mysteria a Christo instituta et a peccatoribus administrata esse in se res malas, quod impium est cogitare. Actio itaque qua malus minister conficit sacramenta est plane mala in genere moris, non autem in se et in genere entis, quoniam signa sunt a Christo instituta.

Ad 3. Potissima catholicorum ratio qua demonstrant sacramenta ab improbis administrata valida esse, inconcussa permanet, nec frigida illa comparatione in argumento allata quati potest. Nam ideo aqua munda in vitiato vase corrumpitur quoniam cum utrumque natura sua materiale sit, ex contactu alterutrum vitiari potest, ast sacramenta munditiam habent ac sanctitatem ex Dei institutione, adeoque in ministri etiam scelestissimi manu corrumpi vitiarique non possunt. Alia haereticorum argumenta vide apud Berti quamvis ex dictis facilem habeant solutionem.

CAPUT IX.

De intentione ministri sacramentorum.

Nomine intentionis nil aliud intelligitur quam actus voluntatis deliberatus quo quis aliquid agere proponit, ac triplex est, *actualis* nempe, *virtualis*, *habitualis*. Intentio actualis est illa qua quis ad deliberatam

actionem suam actu attendit, puta volitio illa qua baptizans advertit se baptizare. Intentio virtualis est rei volitio ex actuali intentione quae paullo ante praecessit exorta, nec fuit revocata aut per multum tempus interrupta. Sic qui baptizat non advertens in eo actu se baptizare, sed tamen paullo ante se administrare velle baptismum deliberate proposuerat, ille intentionem habet virtualem conferendi sacramentum. Abitualis denique intentio est volitio rei praeterita, non revocata quidem, sed per diutinum tempus interrupta ut qui nudius tertius baptizare voluit, hodieque sine renovatione propositi baptizat, dicitur intentionem habere habitualem administrandi baptismum.

Quaerunt theologi quaenam ex his tribus intentio requiratur ac sufficiens sit ut sacramentum valide conficiatur, omnesque unanimi consensu definiunt intentionem actualem optimam esse, non tamen esse necessariam. Et ratio manifestissima est. Nam si actualis intentio ad sacramenti valorem necessario requireretur, periculum esset ne raro admodum valide fierent sacramenta, quum homo in propria potestate non habeat alio mentem suam non avertere etiam dum rem seriam atque gravissimam agit. E contra quamvis ab actione aliquantisper distrahatur, semper tamen actum elicit humanum si paullo ante facere determinate voluit quod agit. Hinc concludunt intentionem necessariam ac sufficientem quam in confectione sacramentorum habere debent ministri esse intentionem virtualem, quum per illam minister humano more operetur ac determinata deliberatione sacramentalem exerceat actionem. Atque ob eamdem rationem non sufficere ajunt intentionem habitualem. Qui namque ex habitu operatur, non hominum sed pecudum more absque deliberato proposito operatur. Nec obest quod S. Thomas 3. p. q. 64. a. 8. ad 3. dicat ad sacramenti perfectionem satis esse in ministro intentionem habitualem. Nam antiquis scholasticis non admodum notum erat nomen hoc intentionis virtualis. Quapropter ad hanc exprimendam nomine utebantur intentionis habitualis. Quod adeo verum est ut idem S. Thomas characteres omnes quos recentiores theologi intentioni tribuunt virtuali adscribat intentioni habituali. Ita catholici.

Lutherani autem et calvinistae eo stultitiae venerunt ut affirmare non dubitaverint valere sacramentum etiam mimice et irrisorie collatum, atque adeo nullam in ministro requiri intentionem ad valorem sacramentorum. Ita Lutherus multis in locis et in lib. praesertim de capt. babylonica cui adstipulantur Calvinus et Kemnitius ambo in libris editis contra concilium tridentinum. Et cohaerenter quidem ad falsa illorum principia. Nam in eorum opinione fides suscipientium non sacramentum justificat. Cumque fides esse possit in eo qui sacramentum irrisorie collatum recipit, sequitur haberi in subjecto effectum, nec jocum aut simulationem obstare. In hac refellenda blasphemia catholici omnes proprias jungunt unanimiter vires, demonstrantes invalidum omnino esse sacramentum mimice et irrisorie collatum.

Sed pro catholico dogmate adversus haereticos disputando gravis ori-

tur inter eos controversia, an scilicet ad sacramentorum validitatem necessario requiratur in ministro intentio interna, vel sola externa sufficiat. Pro cujus intelligentia animadvertendum venit triplex objectum ministrum sibi proponere posse dum conficit sacramentum. Vel enim intendit applicare (et quidem quoad externum habitum serio) formam supra materiam, non sibi tamen proponens facere sacramentum, imo interius aut non credens ex applicatione formae supra materiam resultare posse sacramentum, aut ritum illum irridens, aut per malitiam dicens, *nolo sacramentum conficere;* vel ita applicare intendit formam supra materiam ut simul etiam intendat et velit ut ex ea applicatione resultet sacramentum; vel denique intendit non solum applicare formam supra materiam, non solum ut ex illa applicatione resultet sacramentum, verum etiam ut sacramentum gratiam et characterem in subjecto producat. Si minister externa applicando symbola a Christo instituta conficere intendit sacramentum secundum id quod facit Ecclesia, multoque magis si intendat etiam productionem effectus, tunc habere dicitur intentionem internam, quia non modo serio exercet externum actum, verum etiam interius agere vult quod exterius exercet. Quod si intendat tantum ritum externum, interius autem facere proponat ritum profanum, vel contemnat ritum quem serio exterius exercet, aut etiam veram intentionem retinendo, in corde suo dicat, *nolo Ecclesiae nomine sincere ac vere conficere sacramentum*, vel, *quod facio, sacramentum non est*, tunc minister habere dicitur intentionem dumtaxat externam. Non quod nullum sit in ministro propositum animi, si enim est intentio esse debet animae actus, sed quoniam quod actu facit, solo externo opere facit quum interius aliter sentiat.

Nemo est inter theologos qui non fateatur ad licite conficiendum sacramentum requiri in ministro intentionem non solum faciendi sacramentum, verum etiam effectum producendi in subjecto; ut enim licita sit sacramenti confectio ea omnia velle debet minister quae Christus vult et Ecclesia. Ast Christus et Ecclesia non modo intendunt seriam externi ritus applicationem, nec solum ut ex ea applicatione resultet sacramentum, sed praeterea ut sacramentum gratiam subjecto conferat sanctificantem. Consentiunt pariter omnes ad valide conficienda sacramenta satis esse si minister serio formam applicet supra materiam intendendo interius ut ex ea applicatione res sacra resultet sicut intendit Ecclesia Christi, quamvis aut non credat ritum illum qui fit in Ecclesia esse revera sacrum aut esse gratiae productivum. Hinc validum censetur baptisma tum a schismatico tum ab haeretico tum ab infideli collatum, quoniam hi facere intendunt quod in Christi Ecclesia ubicumque ea sit fieri solet.

Tota igitur controversia quae inter theologos, salva caritate, agitatur, circa valorem versatur sacramenti collati cum sola intentione externa sensu paullo supra explicato. Ambrosius Catharinus ordinis praedicatorum compsensis episcopus primus fuit qui ex professo docuit validum esse sacramentum collatum a ministro qui serio ritum faciat externum, interius autem proponat se nolle rem sacram, aut quod facit Ecclesia facere. Hunc

secuti postea sunt docti viri complures inter quos numerandi veniunt Contensonius, Serry, Drouremus, Juvenin, l' Hermenier, Gervasio. Infinitus ero si nomina recensebo illorum qui ad sacramenti valorem intentionem requirunt internam. Praecipui sunt Bellarminus, Vasquez, Suarez, Frassen, Boucat, Salmanticenses, Gotti, Merbesius, et ex nostris Gavardi, Vantoy, Piette, Van-Bossuit, Berti, aliique. His absque ulla haesitatione nos subscribimus. Interim junctis dexteris adoriamur haereticos.

CONCLUSIO I.

***Ad** sacramenti valorem necessaria est intentio ministri qua non mimice et irrisorie operetur, sed facere intendat quod facit Ecclesia.*

Prob. 1. Scripturis. Joan. cap. 20. haec occurrunt: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*. Apostolus in 1. ad Cor. cap. 4. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei*. Demonstrant haec dedisse Christum apostolis potestatem remittendi peccata, eosque ministros constituisse sacramentorum. Ast vero qui mimice operatur et irrisorie quomodo potestatem habet, ac minister est vel esse potest et dispensator? Nam qui potestatem exercet et partes agit ministri ac dispensatoris habere debet deliberationem animique propositum quo plane carent mimici et irrisores. Quis umquam validam censeret absolutionem a judice prolatam vel dormiente vel irridente vel ironice illam pronunciante? Quis dixerit umquam regii ministri munere fungi illum qui histrionis indutus veste et insaniens regis sui nomine pacis ac belli jura pronunciat?

Prob. 2. ecclesiasticis defin. Concilia constantiense ac florentinum quae diu ante Lutheri et Calvini tempora sunt celebrata pro certo supponebant ad sacramentorum valorem requiri in ministro seriam intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Nam Concilium constantiense sess. 45. constit. Martini V. interrogari jubet suspectum de haeresi Wiclefi, *utrum credat quod malus sacerdos cum debita materia et forma, et cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, vere conficiat, vere absolvat, vere baptizet, et vere conferat alia sacramenta?* Florentina autem synodus una cum Eugenio IV. definivit sacramenta tribus perfici, videlicet *rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri conferentis sacramenta cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, quorum si aliquid deest, non perficitur sacramentum*. Neque dici potest duo illa concilia rem novam et incompertam in Christi Ecclesiam invexisse, ut enim verbis utar ejusdem Eugenii IV. in proemio, doctrinam illam tradiderunt *post multas adhibitas disputationes et tractatus, postque non mediocrem testimoniorum inspectionem, quae ex sanctis Ecclesiae patribus et doctoribus deducta sunt, et earum de quibus agebatur, rerum discussionem*. Et quidem prae oculis duo illi summi Pontifices Martinus V. et Eugenius IV. forte habuerunt epistolam Firmiliani episcopi inter cypria-

niacas 75. in qua narratur omnes illius aetatis catholicos nullum existimasse baptisma a foemina energumena collatum quamvis consuetum usurpasset Ecclesiae ritum, et epistolam a Cornelio Papa scriptam ad Fabium, vel ut Hieronymus legit, Flavianum antiochenum, apud Eusebium lib. 6. H. E. cap. 43. in qua summus Pontifex irritam declarat Novati ordinationem in episcopum, *quod homines simplicioris ingenii, temulentos, et crapula oppressos adumbrata quadam et inani manuum impositione, episcopatum sibi tradere per vim coegerit*, et synodum quamdam romanam an. 963. habitam in qua nulla declarata fuit diaconi ordinatio a Joanne XII. per jocum peracta in stabulo equorum. Hinc merito Leo X. in bulla contra Lutheri errores edita hunc proscripsit articulum: *Si per impossibile confessus non esset contritus, aut sacerdos non serio, sed joco absolveret, si tamen crederet se absolutum, verissime est absolutus*. Et tridentina synodus: *Si quis dixerit, in ministris dum sacramenta conficiunt et conferunt non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit*.

Prob. 3. aliquot rationibus. I. ministri sacramentorum utpote Christi personam gerentes agere debent more humano. Actio autem vere humana requirit intentionem quae certe non est in homine mimice et joculariter operante. II. materia ac forma sacramentorum per se et natura sua esse possunt indifferentes ad plura. Sic ablutio naturalis aquae adhiberi potest ad lusum, ad munditiem, ad sanitatem, ad pietatem. Etiam invocatio Trinitatis indifferens est vel ut mera sit invocatio a christianis in quovis pietatis opere adhiberi solita, vel ut sit baptismatis forma. Per quid ergo materia et forma determinari debent nisi per intentionem ministri? III. si in sacramentorum confectione intentio ministri non requiritur, ficta illa connubia quae in theatro oblectationis caussa celebrantur, vera erunt matrimonia si actor dicat, *accipio te in meam uxorem*. Et sacerdos mensae assidens disputationis ergo recitet verba consecrationis omnes appositos panes omnesque vini hydrias revera consecrabit. Generis hujus multa absurda excogitari possunt relate ad quodvis sacramentum.

CONCLUSIO II.

Ad valorem sacramenti non sufficit in ministro intentio faciendi ritum externum, sed praeterea requiritur intentio faciendi sacramentum; unde si minister serio applicet formam supra materiam, interius autem dicat, nolo conficere sacramentum, *irritum est sacramentum illud*.

Prob. 1. iisdem Scripturae testimoniis superiori thesi allatis. Joannis enim cap. 20. sacerdotibus dicitur: *Quaecumque ligaveritis etc.* et in 1. ad Cor. cap. 4. appellantur ministri et dispensatores mysteriorum Dei, ex quo colligitur sacramentorum ministros agere debere nomine Christi, actum exercere judicialem, ac subjectam materiam consecrare. Ast fieri neque-

unt haec absque interiori intentione, ritus enim externus per se indifferens est tum ut sit sacer vel profanus, ut paullo ante diximus, tum etiam ut sit actus judicialis in foro externo tantum, aut in externo simul et interno, ut clarius deinceps explicabimus, tum denique ut fiat vel non fiat nomine Christi, praesertim si nomen illud in forma non exprimatur ut in eucharistia. Necesse est ergo ut per internam intentionem tollatur indifferentia, et ad esse sacramenti determinetur, alioquin non aget minister nomine Christi, actum non exercebit judicialem, et subjectam materiam non consecrabit, proindeque irritum faciet sacramentum.

Argumentum solvere putant adversae sententiae patroni respondendo ministrum Christi nomine agere, subjectamque consecrare materiam quoties serio externum ritum exerceat. Neque enim a ministri intentione sed ab institutione Christi pendet ut sensibilia signa sacra sint et conferant gratiam. Nec obstat quod minister intentionem retineat, est quippe ea retentio mera velleitas, quoniam si ritum exercet externum quomodo conficere non vult sacramentum? Sicuti mera velleitas est hominis admoventis ignem ad stupam ac interius dicentis, *nolo ut ignis stupam comburat*. Nam stupa revera comburetur.

Parum tamen solida haec videtur responsio. Nam si ritus externus ita sacer evadit ex Christi institutione ut ex parte ministri sola sufficiat formae applicatio supra materiam, cur externa illa applicatio mimice et joculariter facta ad sacramentum non sufficit conficiendum? Ex Christi namque institutione externus ritus evadit sacramentum. Si dicant perfici sacramenta debere more humano, et ideo nulla esse si mimice et irrisorie tractentur, statim infero: ergo non ex sola Christi institutione pendet ut signa sensibilia sint sacramenta. Et recte quidem, quoniam Christus non per se, sed per ministros suos potestate praeditos tamquam per viventia ac ratione praedita instrumenta conficit sacramenta; unde si ministri rem sacram conficere nolint, etiamsi formam applicent supra materiam sacramentum tamen non fiet. Exemplum autem ab adversariis allatum nimis probare videtur. Nam sic ex illo arguere possunt novatores. Si mimus ignem stupae admoveat, quamvis id jculariter faciat stupa tamen accenditur et comburitur, itaque si minister mimice applicet formam supra materiam fiet sacramentum. Quid ad hoc respondent adversarii? Discrimen maximum intercedere ajunt inter causam naturalem atque moralem. Et recte, quum enim ignis naturaliter habeat ut comburat, sive mimice sive cum deliberato consilio ne comburat stupae applicetur, stupa plane comburitur, alioqnin ignis elementum non esset comburens. Ast sacramentum est opus morale. Hinc ex sensibilium signorum applicatione non resultat si id fiat vel mimice vel joculariter, quod idem dicendum si fiat absque consilio et deliberatione operantis.

Prob. 2. ex laudatis conciliis constantiensi et florentino quae apertissime statuunt tria ad sacramenti valorem requiri, materiam nimirum, formam et intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Nam intentionem ponendi ritum externum habet minister dum applicat formam supra mate-

riam. Ast sacrosancta concilia praeter materiam et formam requirunt in ministro intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Ut fiat ergo sacramentum requiritur in ministro praeter intentionem externam intentio etiam interna.

Sed reponunt adversarii: Ministri sacramentorum juxta laudata concilia habere debent intentionem faciendi quod facit non quod intendit Ecclesia, alioquin ad sacramenti validitatem necessaria foret in ministro intentio producendi effectum qui profecto ab Ecclesia intenditur. Ast Ecclesia facit ritum externum, applicat nempe serio formam supra materiam, atque idcirco allata concilia exigunt in ministro ad sacramenti validitatem solam intentionem applicandi formam supra materiam.

Verum falsa omnino est allata exceptio. Neque enim Ecclesia in sacramentis conficiendis facit ritum externum utcumque, sed ritum facit externum sacrum et religiosum, quum sacramentum etiam ut sacramentum non fiat a solo Deo, sed a ministris Christi nomine operantibus. Quare si necessaria est intentio faciendi quod facit Ecclesia, necessaria est intentio faciendi sacramentum. Ratio autem cur ad sacramenti valorem non requiratur in ministro intentio producendi effectum, est quoniam sacramenta per se et ex Christi institutione gratiam producunt. Verum ut illam caussent, esse debent sacramenta non cujuscumque generis signacula, unde ministri sensibilia illa signa applicando habere debent intentionem faciendi sacramenta.

Prob. 3. ex sess. 14. cap. 6. concilii tridentini ubi definitur non perfici sacramentum poenitentiae *si sacerdoti animus serio agendi*, *et vere absolvendi desit*. Requirens s. synodus in sacerdote animum serio agendi, vult in ministro intentionem faciendi ritum externum. Ast praeter animum *serio agendi*, in eodem ministro exigit etiam animum *vere absolvendi*. Quare praeter intentionem externam requirit etiam intentionem internam.

Regerunt tamen adversarii tridentinam synodum illorum favere sententiae. Nam sicut valida habetur judicis sententia si serio prolata sit quamvis interius absolvere vel damnare non intendat, ita validum est sacramentum poenitentiae serio administratum exterius, licet interius non intendat minister conficere sacramentum. Deinde per illa verba, *vere absolvendi*, innuere vult concilium rectam formae absolutionis pronunciationem adversus haereticos affirmantes valere absolutionem etiam joculariter pronunciatam.

Ast nihil proficiunt. Aliud est enim loqui de foro externo, et aliud de foro conscientiae. Ut quis absolutus dicatur in foro exteriori, sive ut ajunt, *in foro fori*, satis est ut a judice serio sententia proferatur, cum nihil officiat reo si judex in corde suo animum non habeat absolvendi. Non ita tamen in foro conscientiae. Nam consentiunt omnes actum judicialem validum in interiori foro non esse si absque interiori consensu exerceatur, licet actus ille valeat in foro exteriori. Unde quemadmodum invalida est judicis absolutio in foro fori si ludicre et irrisorie proferatur, ita invalida est in foro conscientiae sacerdotis absolutio si proferatur absque intentione absolvendi; neque enim sacerdos actum exercet judicialem

si exterius verba proferat absolutionis, interius autem dicat, *nolo te absolvere*. Quod e vestigio addunt, clarius sententiam nostram confirmat. Duo namque dicebant lutherani, sacramentum scilicet poenitentiae validum esse etiam ludicre administratum, et sacerdotem non exercere actum judicialem, sed declarare dumtaxat peccata esse dimissa. Concilium ergo definiens irritum esse sacramentum *si sacerdoti desit animus serio agendi*, primum damnat errorem. Dicens autem, *si desit animus vere absolvendi*, damnat secundum, ac proinde intentionem exigit vere absolvendi sine qua judicialis actus in foro conscientiae non exercetur.

Prob. 4. ex quo Alexander VIII. an. 1690. hanc damnaverit propositionem: *Valet baptismus collatus a ministro qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero, in corde suo, apud se resolvit, non intendo facere quod facit Ecclesia*. Cumque opposita propositio vera sit, sequitur invalidum esse baptismum collatum ab eo qui ritum servans externum intentionem non habet faciendi sacramentum. Quod argumentum tanti ponderis est, ut nostrates theologi Leonardus Vanroy et Aurelius Piette testentur plerosque belgas theologos contrariam exuisse deinceps a nostra sententiam, existimantes fuisse a romana Sede in allata propositione damnatam.

Adversarii nostri tamen contendunt damnatam propositionem illam fuisse in sensu Lutheri cujus doctrinam nonnulli renovabant per Belgium theologi. Et revera loquitur propositio de omni externo ritu, adeoque et de ritu serio et de ritu jocoso.

Ast pace illorum dixerim, ineptire mihi videntur. Nam Franciscus Henno theologus belga tract. 1. de sacram. disp. 4. q. 2. art. 2. inquit: *Dicta propositio desumpta est ex thesi cujusdam doctoris mihi cogniti et familiaris qui praecise adversariorum sententiam sustinebat*. Deinde necesse non erat ut summus Pontifex propositionem illam in sensu Lutheri proscriberet, cujus falsam doctrinam tam clare atque dilucide damnaverat jam concilium tridentinum. Denique falsum est allatam propositionem agere vel clare vel subobscure de quovis externo ritu, loquitur enim de interna intentione non faciendi quod facit Ecclesia, quum dicat, *intus, in corde suo, apud se*.

Prob. 5. ratiocinatione S. Thomae qui 3. p. q. 64. a. 8. inquit: *Quando aliquid se habet ad multa, oportet quod aliquid determinetur ad unum, si illud effici debeat. Ea vero quae in sacramentis aguntur, possunt diversimode agi: sicut ablutio aquae quae fit in baptismo potest ordinari ad munditiam corporalem, et ad sanitatem corporalem, et ad ludum, et ad multa alia hujusmodi: ideo oportet, quod determinetur ad unum, idest ad sacramentalem effectum per intentionem abluentis: et haec intentio exprimitur in verbis quae per sacramenta dicuntur*. Juxta hanc S. Thomae sententiam quum ritus externus sit indifferens ut sacer sit vel profanus, ut sacer evadat necessaria est intentio ministri. Et merito quidem. Nam non solum sacramentorum materia, sed et forma indifferens est ut sit sacra vel profana. Sicut ergo materia per se indiffe-

reus determinatur ad unum per verborum formae prolationem, ita significatio verborum quae etiam indifferens est determinatur ad unum per ministri intentionem. Ast ea intentio non determinat formam ad unum, idest ad esse sacramenti si minister sibi proponat ritum agere externum utcumque, quamvis serio et non ludicre exerceatur, quoniam etiam ritus externus serio peractus adhuc indifferens est ut sit sacer vel profanus. Determinari igitur debet ab interna intentione faciendi quod facit Ecclesia.

Neque argumento huic adversarii acquiescunt, et ajunt: Ritus externus qui per se indifferens est determinatur ad unum per rectam formae prolationem, ut S. Thomas loco mox recitato inquit: *Haec intentio exprimitur in verbis quae per sacramenta dicuntur*. Ulterius determinatur etiam per temporis ac loci circumstantias, puta si sacramentum in ecclesia et a sacerdote sacris induto vestibus administretur etc.

Verum levissimi ponderis est haec animadversio. 1. Quoniam non modo materia, sed et forma indifferens est, ut proxime diximus. Et revera nonne invocatio Trinitatis quae in dispensatione baptismi adhibetur, indifferens est ut sit forma sacramenti vel mera supremi numinis invocatio in quovis opere a probis hominibus adhiberi consueta? Multo magis verificatur id de forma eucharistiae in qua nec Patris nec Filii aut Spiritus S. nomen invenitur. Sicut ergo ad determinandam materiam necessaria est formae prolatio, ita ad formam determinandam necessaria est interior ministri intentio; neque enim determinari per aliud potest indifferens significatio verborum quam per proferentis intentionem. 2. Cum S. Thomas inquit intentionem exprimi in verbis quae per sacramenta dicuntur, significare plane vult ministrum manifestare adstantibus, conficere se sacramentum non quando tractat materiam sed dum formam profert a Christo institutam. Ceterum explicans ibidem quid sit intentio quae verbis exprimitur, ait esse talem qua *minister se subjiciat principali operanti, ut scilicet intendat facere quod facit Christus et Ecclesia*. Ast quomodo Christi nomine agit et Ecclesiae si in corde suo dicit, *nolo conficere sacramentum*? 3. Falsum est externas loci ac temporis circumstantias valere ad ritum externum per se indifferentem determinandum. Externae siquidem circumstantiae valent dumtaxat ad manifestandum adstantibus et intuentibus peractam caeremoniam esse sacram, non profanam, non vero ad tollendam externi ritus indifferentiam. Quod adeo verum est, ut circumstantiae illae habitae semper sint in Ecclesia tamquam ritus spectantes ad sacramenti celebritatem, non ad sacramenti valorem. Hinc si mulier etiam extra casum necessitatis domi baptizet infantem cum debitis materia, forma, et intentione sacramentum validum est etiamsi absque ecclesiasticis collatum sit caeremoniis. Hinc etiam sacrosancta concilia dum conditiones ad sacramentorum valorem requisitas recensent, assignant quidem materiam, formam, et intentionem, non vero exteriores illas circumstantias quibus adversarii tantam adscribunt virtutem. Multa alia ad rem hanc afferre possem argumenta, sed brevitati consulens pauca haec sufficere existimavi. Adite interim cl. nostrum Berti a quo haec delibavi.

CAPUT X.

Respondetur adversariorum objectionibus.

Obj. 1. cont. 1. th. plura ecclesiasticae historiae monumenta ex quibus colligitur approbatum semper ab Ecclesia fuisse baptismum mimice collatum. I. Sozomenus lib. 2. cap. 17. Socrates lib. 1. cap. 15. et Nicephorus lib. 8. narrant Athanasium adhuc puerum juxta littus maris pueriles exercentem lusus, filiolos catechumenos ludicra functione qua se fingebat episcopum, baptizasse, atque baptisma illud ab Alexandro Alexandriae antistite ex cleri sui concilio fuisse approbatum. II. idem Nicephorus lib. 3. cap. 37. refert consimile factum aetate sua accidisse, puerum nempe hebraeum ab aliis pueris per jocum prope mare tinctum fuisse, et C-P. episcopum ratum habuisse sacramentum. III. notum est S. Genesii martyris factum, qui inter scenicos ludos, ut habetur apud Ruinartium, mimice ac jeculariter baptizatus sacramenti gratiam accepit, mortemque subiit pro Christo. IV. etiam S. P. Augustinus ep. 227. alias 67. ad Alypium approbat baptismum a quodam Dioscoro architeatro susceptum, cum simulato animo et nugaciter id praestaret, insultaretque hoc ipso suo sacrilegio valde religioni christianae. Valida ergo sunt sacramenta etiam mimice et irrisorie administrata.

Resp. ad 1. Factum Athanasii suspectae videtur fidei. Nam ex Rufino Socrates et Sozomenus narrant historiam illam accidisse Athanasio admodum puero ac impuberi, et simul accidisse quando alexandrinam ecclesiam regebat Alexander; quae duo minime cohaerent, quum anno primo episcopatus Alexandri Athanasius juvenis esset duodeviginti saltem annorum. Quod sic cl. Berti post Pagium patresque maurinos demonstrat. Athanasius inauguratus fuit episcopus alexandrinus anno ad minus trigesimo aetatis suae. Neque enim ariani qui sanctum virum tot tantisque onerarunt calumniis umquam ei objecerunt quod ante canonicam aetatem fuerit creatus episcopus. Ast consentiunt omnes episcopum creatum fuisse an. 326. E contra Alexander alexandrinus episcopus creatus non est ante an. 313. Nam S. Petrus martyr occubuit an. 311. die 25. novembris, ut testis est Eusebius lib. 7. H. E. Post integrum a Petri morte annum electus fuit Achillas qui sedem tenuit quinque mensibus, subinde Alexander. Quare Athanasius anno primo episcopatus Alexandri juvenis esse debuit annorum saltem duodeviginti. Quomodo ergo dicitur *admodum puer ac impuber?* Accedit his quod Sozomenus factum narrat velut acceptum ex confuso rumore, ait quippe, *accidisse fertur*. Ac denique licet historiae concedamus veritatem non proinde sequitur approbatum ab Alexandro fuisse baptisma per ludum collatum. Nam quamvis puer Athanasius in administratione baptismi animi sibi proposuisset oblectationem, in ipsa tamen sacramenti administratione potuit animum habere serio agendi id quod ab episcopo fieri observaverat. Quod cum agnovisset Alexander *sciscitatus est ex iis, quisnam lusus ipsorum esset, et*

quid in eo dicerent, *quidve agerent*, ut Sozomenus inquit loco citato, *cumque omnia juxta ordinem ecclesiasticum exacte in illis servata fuisse deprehendisset ... censuit non rebaptizandos esse*.

Ad 2. Nicephorus narrat C-P. antistitem examinatis prius diligentissime pueris statuisse ut *etiam in illo quod deesset*, *juxta mysterii executionem compleretur*. Verba autem haec ambigua sunt et significare possunt vel episcopum agnita ludicra collatione baptismi jussisse ut denno baptizaretur, quum puer judaeus non esset invitus, ut ait ibidem historicus, vel episcopum agnovisse actionem illam oblectationis caussa inceptam, seriam fuisse in sacramenti administratione, atque idcirco jussisse ut puer valide baptizatus confirmaretur.

Ad 3. Fabulam sapit etiam factum Genesii. 1. Quoniam diversimode ab auctoribus narratur, et alii a sacerdote, alii ab angelo, alii a mimo baptizatum fuisse dicunt. 2. Quia Genesius martyrium subiit anno 286. et primus omnium qui relatam narret historiolam est Ado viennensis saeculi noni scriptor. 3. Cl. Ruinartius in aureo opere suo nil aliud dicit nisi Genesium singulari Dei gratia perfusum credidisse, et *evocato presbytero*, *et exorcista baptisma recepisse*, ac subinde coram Diocletiano veluti per lusum adductum, quum christianam fidem serio costanterque profiteretur a praefecto capite fuisse imminutum. Haec Ruinartius. Jam vero presbyter in theatrum evocatus vel verus sacerdos erat vel mimus se presbyterum simulans. Si primum, baptisma Genesio collatum fuit serio, non mimice et irrisorie. Si alterum, falsum est Genesium fuisse vere baptizatum. Si dicas: quomodo ergo aeternam vitam promeruit? Martyrium vices in eo gessit baptismi.

Ad 4. Historia quarto loco allata ita a S. P. Augustino narratur. Quum Dioscorus dilectam filiam morti proximam conspiceret, vovit suscepturum se christianam fidem si filia sanaretur. Beneficium a Deo recepit, votum autem solvere neglexit, unde oculis captus iterum vovit id impleturum si amissum lumen nanciseeretur. Nactus est lumen, et implevit quod voverat, sed nondum symbolum tenebat. Quapropter paralysi persolutus pene omnibus membris et etiam lingua, et admonitus in somnio haec sibi accidisse quod symbolum non reddiderit, confessus est ex animo, et amplexatus est corde christianam religionem. Quid in hoc facto quod novatoribus faveat? Forte decepti sunt quod Dioscorus alicubi dicatur *architeater*, unde inferunt in theatro christiana recepisse mysteria. Sed in melioris notae codicibus legitur *archiater* seu *protomedicus*.

Obj. 2. cont. eamd. 1. th. auctoritatem Sanctorum. I. S. Joan. Chrysostomus nil aliud in sacramentorum confectione exigit a sacerdote quam linguam et manum; ait enim hom. 35. in Joan. *Sacerdos et linguam et manus praebet*; *neque enim justum est propter alterius malitiam ad salutis nostrae symbola fide accedentes offendi*. II. S. P. Augustinus tract. 5. in Joan. *Non timeo*, inquit, *adulterum*, *non ebrium*, *non homicidam*: *quia columbam attendo*, *per quam mihi dicitur*: *Hic est qui baptizat*. III. idem S. doctor lib. 7. de bapt. cap. 53. du-

bitat an approbandum foret baptisma *si totum ludicre et mimice et jo-culariter ageretur* .

Resp. ad 1. Chrysostomi mens eo loci est demonstrare ministri improbitatem virtuti non officere sacramentorum . Quod patet ex comparatione quam inter sacerdotes ac ministros principum instituit , *inter quos* , inquit , *sunt multi deteriores ; et nihilominus ob reverentiam principis qui eos proposuit , subditi nihil quales sint cogitant* . Hoc quoque sensu sumenda est ab eodem allata comparatio inter sacerdotes et asinam Balaam . Ceterum dum S. doctor inquit sacerdotes in sacramentorum confectione linguam praebere et manus, procuIdubio agere illos supponit humano more et cum libertate , non ad instar brutorum animantium .

Ad 2. S. P. Augustinus loquitur de baptismo collato ab *ebrioso*, non ab *ebrio* . Textus enim habet , *non timeo adulterum* , *non ebriosum* . Ast cum habitu vinolentiae uti et cum habitu adulterii stare utique potest in sacramentorum administratione seria intentio faciendi quod facit Ecclesia .

Ad 3. In primis Augustinus dubitat quid sentiendum esset de baptismate ibi tradito ubi *neque societas ulla esset ... credentium* , *neque ille qui ... acciperet ... crederet* , *sed totum ludicre et mimice et joculariter ageretur* , non illud absolute approbat : subdit enim , *utrum approbandus esset baptismus qui sic daretur* , *divinum judicium per alicujus revelationis oraculum* , *concordi oratione* , *et impensis supplici devotione gemitibus implorandum esse censerem* . Et rursus ait opinionem snam accipiendam esse *sine praejudicio diligentioris inquisitionis vel majoris auctoritatis* . Deinde vero numquam Augustinus dubitavit an valeat baptisma mimice ac joculariter datum in sensu protestantium , sed an acceptandus sit baptismus qui ludicre datus et acceptus subito ad fidem convertit illum qui mimice fuit baptizatus . Nam verba in argumento laudata dicta sunt a S. doctore ad hanc solvendam quaestionem : *Cum et tradens et accipiens fallaciter agant in ipsa unitate catholica* , *utrum hoc magis baptisma sit acceptandum an illud quod in mimo datur, si quis existat qui fideliter subito commotus accipiat* . Et dubitandi ratio quam Augustinus habuit catholicam sententiam mirifice confirmat . Nam ex una parte optime noverat sacramentum mimice administratum nullum ac irritum esse, ex altera vero ille qui baptizatus est omnino joculariter subito fidei gratiam accepit , unde merito inquirebat an tale baptisma sit acceptandum .

Obj. 3. cont eamd. 1. prop. nonnullas theologicas ratiocinationes . I. sacramenta juxta catholicos gratiam producunt ex *opere operato* . Ad quid ergo intentio ministri ? II. verbi divini virtus et efficacia numquid ab intentione pendet concionantis ? Unde nec virtus et efficacia sacramentorum. III. si eucharistia dispensatur a sacerdote nullam habente intentionem, effectum in suscipiente producit . Cur non idipsum dicendum de reliquis sacramentis ? IV. ubi verbum accedat ad elementum habetur jam sacramentum . Potest autem verbum accedere ad elementum etiamsi actio fiat

a ministro iocnlariter. V. legatus principis suo fungitur officio licet litteras illius iocnlariter exhibeat. Ita ergo et Christi minister. VI. sacramenta animae sunt medicamenta. Ast haec operantur quamvis mimice exhibeantur a medico. Ita se res habet etiam in sacramentis.

Resp. ad 1. Sacramenta utique gratiam producunt *ex opere operato*, si tamen sint sacramenta. Ast negamus formam supra materiam absque ministri intentione applicatam esse sacramentum, quoniam Christus qui materiam et formam ad esse sacramenti elevavit, voluit ut minister agat humano more, ac proinde cum intentione.

Ad 2. Latissimum est inter divinum verbum ac sacramenta discrimen. Illud efficaciam suam habet in significatione verborum, adeoque jam factum supponitur. Haec autem ut fiant exigunt non solum materiam et formam, verum etiam actionem ministri quae esse debet humana, et per consequens cum animi proposito et deliberatione.

Ad 3. Idem valet responsum. Aliud quippe est dispensare, et aliud conficere sacramentum. Cum dispensatur, jam in suo esse constitutum supponitur, ast cum conficitur, materia requiritur, uti diximus, et forma et intentio.

Ad 4. Tunc fit sacramentum quando ad elementum accedit verbum humano more, hoc est cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, pronunciatum; quoniam materia et forma per se sunt indifferentes, nec aliter determinari possunt ut sint sacramentales quam per intentionem ministri, quapropter concilia intentionem tamquam sacramenti partem requirunt.

Ad 5. Duplicis generis sunt principum ministri, alii ad voluntatem principis publicandam destinati, ut nuntius, praeco, orator, legatus etc. alii a principe potestatem habent ac jurisdictionem, ut judex, praetor, proconsul, vicarius, praefectus etc. Primi generis ministri dummodo domini manifestent voluntatem, quomodocumque id faciant munere suo funguntur. Ast non ita ministri secundi generis, ii namque caussam cognoscere debent, majestatem dignitatemque servare, et serio debent munus exercere suum. Quis enim sententiam judicis dormientis vel irridentis admittet? Ministri porro sacramentorum non sunt a Deo destinati ut voluntatem suam tantum pandant, sed ab eo potestatem acceperunt ac jurisdictionem, unde serio, non ludicre et irrisorie suum exercere debent munus.

Ad 6. Corporalis medicina ideo effectum suum producit sive serio sive mimice medicus illam propinet infirmo, quoniam medicina de natura sua habet ut afferat sanitatem, nec quidquam influit medicus in effectum. Ast materia et forma non habent de natura sua ut gratiam producant, nisi ad esse sacramenti determinentur. Determinantur autem a ministro per intentionem faciendi quod facit Ecclesia.

Obj. 4. adv. 2. th. I. numquam Ecclesia definivit invalida esse sacramenta absque interna intentione ministri collata, quamvis irrita declaraverit sacramenta absque debita materia vel forma administrata. II. robur argumento huic accedit si animadvertamus debuisse aliquando Ecclesiam id definire. Nam Nicolaus I. a bulgarorum rege consultus de multis circa baptismum collatum a quodam qui nesciebatur an paganus esset

vel christianus, respondit: *Hi profecto si in nomine S. Trinitatis baptizati sunt ... constat eos non esse denuo baptizandos*, nulla facta internae ministri intentionis mentione. III. Innocentius IV. in 3. decr. cap. *si quis puerum*, ita scribit: *Non est necesse, quod baptizans gerat in mente facere quod facit Ecclesia: imo si contrarium gereret in mente, scilicet non facere quod facit Ecclesia, sed tamen facit quia formam servat, nihilominus baptizatus est, dummodo baptizare minister intendat*. Quid luculentius? IV. nonne de fide est ministrorum improbitatem sacramentorum non derogare valori? Improbitas ergo ministri in corde suo statuentis nolle se facere quod facit Ecclesia impedire nequit effectum sacramenti. V. Petrus Lavardinus aenomanensis antistes fassus est numquam se internam habuisse intentionem ordinandi toto episcopatus sui tempore. Et parochus quidam massiliensis morti proximus testatus est se in conferendo puerulis baptisma per viginti annos habuisse intentionem devovendi diabolo filiolos quos baptizabat. Et nihilominus quoniam uterque ordinationem atque baptismum serio administraverat, theologorum ac Sorbonae judicio declaratum est valide parochum semper baptizasse, valide etiam episcopum ordinem contulisse.

Resp. ad 1. Argumentum illud mere negativum esse, nullius adeoque roboris. Neque enim tamquam vera semper defendi potest aliqua sententia quae ab Ecclesia damnata non est, alioquin posset quis impune defendere Christum merum esse truncum (absit irreverentia verbo) quia numquam ea propositio est ab Ecclesia damnata. Et quot sunt in scholis opiniones quae revera falsae sunt, et tamen non sunt ab Ecclesia adhuc proscriptae? Ulterius, falsum est Ecclesiam non definivisse saltem illative ad sacramenti valorem necessario requiri internam intentionem. Ecclesia quippe decrevit irritum esse sacramentum irrisorie vel absque intentione faciendi quod facit Ecclesia collatum. Praeterea damnavit propositionem illam, *valet baptismus etc.* Merito ergo inferimus decrevisse intentionis internae necessitatem ad sacramenti valorem.

Ad 2. Missa ipsorum adversariorum sententia qui ut solvant argumentum ex Nicolai I. rescripto deductum ad demonstrandum valere baptismum in nomine Christi tantum collatum, respondent Nicolaum eo in rescripto locutum fuisse non ex cathedra, sed ex privata sententia, hac inquam missa responsione, dico Nicolaum necessitatem non decrevisse intentionis internae, quoniam de hoc interrogatus non fuerat. Nam quaesierant ab ipso bulgari dumtaxat circa conditionem ministri, nimirum: *an ratus esset baptismus datus a judaeo vel pagano*. Hinc optime respondet valere sacramentum cum debitis materia et forma collatum, quisquis tandem sit sacramenti minister.

Ad 3. responderi potest 1. Innocentii IV. commentaria edita fuisse Lugduni cum adhuc esset privatus doctor, nec verba in argumento laudata inserta umquam fuisse in corpore juris, atque idcirco non eam habere auctoritatem quam illi adversarii tribuunt. 2. Per illa verba, *non est necesse, quod baptizans gerat in mente facere quod facit Ecclesia*:

imo si contrarium gereret etc. idem est ac si dicat: non est necesse quod baptizans intendat effectum sacramenti. Nam e vestigio subdit: *Unde si aliquis in casu necessitatis constitutus, vel etiam sine necessitate vadat ad saracenum, et dicat: baptiza me, et doceat eum formam, et ille saracenus baptizet, non credens per immersionem aliquid aliud fieri quam madefactionem, et non intendat eum baptizare, vel etiam madefacere secundum intentionem petentis baptismum, idest, ut baptismus operetur quidquid operari potest, et ipse baptizans tamquam minister conferat quod alii baptizantes conferunt, vere baptizatus est; sed si hoc non intenderet, non baptizaret.* Duo hisce in verbis animadverto, primo per intentionem faciendi quod facit Ecclesia intelligere Innocentium intentionem producendi effectum, hoc est *ut baptismus operetur quidquid operari potest*. 2. Innocentium ad valorem baptismi exigere in ministro etiam saraceno intentionem conferendi *quod alii baptizantes conferunt*, ac proinde intentionem conferendi sacramentum. 3. Ceterum in eodem capite n. 8. Innocentius affirmat baptismum a ministro in corde suo dicente, *nolo facere rem sacram, sed tantum abluere corpus*, collatum, esse omnino invalidum, inquit enim: *Nota, quod ad hoc ut aliquis baptizatus sit, necessarium est, quod baptizans intendat baptizare, non tantum balneare vel carnes lavare.*

Ad 4. Allatum argumentum 1. nimis probat. Nam ministri improbitas est etiam sacramenta conferre mimice et irrisorie; si ergo nulla ministrorum impietas valori officit sacramentorum, mimus inter scenicos lusus sacramentum vere conficiet. 2. SS. PP. contra donatistas affirmantes sacramentorum valori haud derogare ministrorum improbitatem loquebantur de sacramento *quod consecratum esset verbis evangelicis*, atque adeo improbitas quae per Patres validitati non officit sacramenti, est improbitas fidei vel morum, non improbitas intentionis. Et revera loquebantur Patres de sacramentis ab improbis vel haereticis collatis, quos non repugnat intentionem habere faciendi rem sacram applicando formam supra materiam.

Ad 5. Quoad factum Petri Lavardini dico: Si ille in ordinibus conferendis perversam habuit intentionem finis, intendens non conferre gratiam, sacramenta ab eo collata valida fuerunt; si autem non intendebat conficere rem sacram, sacramenta collata irrita fuerunt et nulla. Quod vero historiam spectat Ludovici Gonfredi parochi massiliensis, dico habuisse illum perversam intentionem hoc sensu, quod intenderet pueros a se baptizatos devovere diabolo. Ast consistere utique perversa haec intentio potest cum intentione faciendi sacramentum, quia haec est intentio sacramenti, illa intentio finis ejusdem sacramenti. Una ad usum, altera ad perfectionem pertinet sacramenti.

Obj. 5. adv. eamd. 2. th. I. S. P. Augustinus lib. 7. de bapt. cap. 53. hanc sibi proponit quaestionem: *Cum et tradens et accipiens fallaciter agant in ipsa unitate catholica, utrum hoc magis baptisma sit acceptandum, an illud quod in mimo datur, si quis existat qui fideliter subitò commotus accipiat: an quantum ad ipsos quidem attinet homi-*

nes, plurimum distet inter credentem in mimo, et irridentem in Ecclesia. Quaestionem autem ita resolvit: *Praeteritis majorum statutis, non dubito etiam illos habere baptismum qui quamvis fallaciter id accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt, vel ubi putatur esse Ecclesia ab eis in quorum societate id accipitur, de quibus dictum est, Ex nobis exierunt. Ubi autem neque societas ulla esset ita credentium, neque ille qui ibi acciperet, ita crederet, sed totum ludicre et mimice et joculariter ageretur, utrum approbandus esset baptismus qui sic daretur, divinum judicium per alicujus revelationis oraculum, concordi oratione et impensis supplici devotione gemitibus implorandum esse censerem.* En Augustinum affirmantem ex majorum statutis constare validum esse baptisma fallaciter et cum simulatione sive in Ecclesia sive extra Ecclesiam collatum. II. S. Thomas p. 3. q. 64. art. 8. ad 2. ita scribit: *Dicendum, quod circa hoc est duplex opinio: quidam enim dicunt, quod requiratur mentalis intentio in ministro, quae si desit, non perficiatur sacramentum; sed hunc defectum, inquiunt, in pueris qui non habent intentionem accedendi ad sacramentum supplet Christus qui interius baptizat. In adultis autem qui intendunt sacramentum suscipere supplet illum defectum fides et devotio. Sed hoc satis posset dici quantum ad ultimum effectum qui est justificatio a peccatis: sed quantum ad effectum qui est res, et sacramentum, scilicet quantum ad characterem, non videtur, quod per devotionem accedentis possit suppleri, quia character numquam imprimitur nisi per sacramentum. Et ideo alii melius dicunt quod minister sacramenti agit in persona totius Ecclesiae cujus est minister: in verbis autem quae profert exprimitur intentio Ecclesiae, quae sufficit ad perfectionem sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur ex parte ministri vel recipientis sacramentum.* Duo hic traduntur. Primum, falsam esse opinionem illorum qui ad sacramenti perfectionem necessariam esse ajunt intentionem mentalem. Alterum, tunc perfici sacramentum quando verbis minister exprimit intentionem Ecclesiae. Non est igitur necessaria per S. Thomam interior intentio ad sacramentum perficiendum.

Resp. ad 1. Ut S. Augustini mentem assequamur lucemque effundamus majorem super illa quae hucusque tractavimus, observandum est tres sibi proponere solvendas quaestiones. Prima est an valeat baptismus a pagano collatus qui a christiano didicerit quid in Ecclesia peragatur. *Utrum approbandum sit*, inquit, *baptisma quod ab eo qui non accepit accipitur, si forte hoc curiositate aliqua didicit quemadmodum dandum sit.* Altera est de illo qui ficte et simulate petit vel a catholico vel a schismatico sacramentum, aut etiam petit mimice, sed subito commotus convertitur: *Utrum nihil intersit, quo animo accipiat ille cui datur, cum simulatione, an sine simulatione: si cum simulatione, utrum fallens, sicut in Ecclesia ... an jocans, sicut in mimo: et quid sit sceleratius, in Ecclesia fallaciter accipere, an in haeresi vel in schismate sine fallacia, idest animo non simulato; et utrum in haeresi fallaciter, an in*

mimo cum fide , si quisquam inter agendum repentina pietate moveatur . Tertia denique quaestio est an admitendus sit baptismus datus ac receptus ubi nulla credentium societas est, si totum ludicre et mimice fiat, ex parte tum dantis tum recipientis, dummodo tamen subito commotus fideliter accipiat: *cum et tradens et accipiens fallaciter agant etc.* quae recitata sunt in argumento. Primam quaestionem resolvit S. doctor affirmative. Et quidem merito, quoniam in baptismo a pagano collato vel judaeo non deest materia, non forma, sed neque deest intentio faciendi sacramentum, ubi paganus quemadmodum dandus sit didicerit. Affirmative quoque resolvit quæstionem secundam, et solutio habetur in verbis in argumento relatis, quae non tertiae, ut adversarii supponunt, sed secundae quaestionis continent resolutionem. Fallacia autem illa ac simulatio de qua in quaestione loquitur S. doctor est simulatio fidei non dantis, sed recipientis, ut ex ipsa patet lectione. Hinc jure inquit: *Sicut jam praeteritis majorum statutis , non dubito illos habere baptismum etc.* Tertiam quaestionem quae incipit, *cum et tradens et accipiens etc.* Augustinus non resolvit, sed indefinitam relinquit expectans *divinum judicium per alicujus revelationis oraculum*, rationemque dubitandi repetit ex eo quod accipiens *fideliter subito commotus accipiat*. Non est ergo ut adversae sententiae patroni de Augustini anctoritate tam fidenter glorientur.

Ad 2. S. Thomas allatis in argumento verbis excludit in ministro necessitatem intentionis mentalis ad certitudinem habendam aeternae salutis, non ad valorem sacramenti, ita ut sensus sit: ut quis certitudinem habeat moralem de sua salute, necesse non est ut sciat ministrum in conferendo sibi baptismate habuisse intentionem mentalem, sed satis illi esse debet ut noverit ministrum serio ritum omnem externum adhibuisse, ut fieri in Ecclesia solet, quia prudenter tunc judicare poterit se fuisse revera baptizatum. Hanc esse S. doctoris mentem patet ex quo ibidem sibi objiciat sequens argumentum: *Si necessaria est ministrorum intentio , nemo certus esse potest de sua salute , quum nemini aliena innotescat intentio* . Ad quod argumentum respondet verbis in objectione relatis, ac aliorum rejecta responsione propriam tradit dicens, debere quemlibet cogitare quod minister agit in persona Ecclesiae, atque adeo supponere in expressione verborum intentionem habuisse faciendi quod facit Ecclesia. Quid autem S. Thomas per illam intentionem intelligat, explicat opusculo 5. dicens: *Si minister sacramenti non intendit sacramentum conficere , non perficitur sacramentum* . Adde his S. doctoris testimonia capite antecedenti recitata.

Obj. ultimo cont. eamd. 2. th. nonnulla momenta rationum. I. nemo ignorat valere baptismum a pagano, judaeo, imo et atheo collatum. Hi autem nequeunt intentionem habere faciendi rem sacram, quum baptismum irrideant et veluti superstitiosum ritum execrantur. II. quum Ecclesia sit visibilis, non intentio faciendi rem sacram quae invisibilis est, sed visibile ac sensibile signum sacramentum constituit Ecclesiae. III. catholica fides tenet Ecclesiam non posse deficere. Posset autem si ad sa-

cramentorum valorem necessaria foret interna intentio. Nam accidere potest ut Petrus v. g. a parocho absque interna fuerit intentione baptizatus. Hic baptizatus certe non esset. Fieri etiam potest ut idem Petrus sacerdos evadat, et sine interna quidem episcopi intentione a quo fuit ordinatus. Hinc ad episcopalem, tum etiam ad pontificiam potest ascendere dignitatem. Jam vero nec clerici nec episcopi ab eo ordinati vere clerici, vere episcopi sunt, ac proinde hi sacramenta non conficient, sicque deficiet Ecclesia, quod absurdissimum est. IV. posita nostra sententia fideles semper ancipites erunt, nec propriae salutis moralem habere poterunt certitudinem. V. ut sacramentum valeat non requiritur in suscipiente intentio recipiendi rem sacram. Similis ergo intentio nec requiritur ad sacramenti valorem in ministro. Mitto alia quae videri possunt apud Berti.

Resp. ad 1. paganum, judaeum, et atheum non habere quidem explicitam, habere tamen implicitam intentionem faciendi rem sacram. Quando enim baptismum administrant, ut valide conficiant sacramentum intentionem habere debent faciendi quod facit Ecclesia. Quamvis autem ipsi non credant ablutionem illam esse sacramentum, non ignorant tamen tamquam rem sacram haberi apud christianos; et dum serio baptizant, gerere se volunt ut Ecclesiae nostrae administratores.

Ad 2. Ex quo Ecclesia sit visibilis, sequitur constare debere sacramentum ex visibilibus sensibilibusque signis. Id tamen non impedit quominus ad verum conficiendum sacramentum praeter sensibile signum concurrere quoque debeat interior intentio, quum sacramentum signum sit quidem sensibile, sed practicum, non speculativum. In signis autem practicis non solum species exterior, sed latens quoque efficientia debeat attendi.

Ad 3. dico 1. argumentum illud impetere ex aequo sententiam adversariorum. Nam sicut evenire potest ut quis in baptismo administrando dicat in corde suo, *nolo baptizare*, sic potest accidere ut materiam mutet aut corrumpat formam, vel illam non proferat. Hic ita baptizatus promoveri potest ad ordines ac fieri tandem summus Pontifex. Deficiet ne illo in casu Ecclesia? Quidquid ad Ecclesiae salvandam indefectibilitatem dicent adversarii, et nos respondebimus. 2. De fide est Ecclesiam non posse deficere, nec sacrificium nec sacramenta cessare. Sed non est de fide hos numero homines pertinere ad Ecclesiam, hanc numero hostiam esse consecratam, hunc numero puerum esse baptizatum. Quid ergo? Deus qui voluit ut de fide teneamus nec Ecclesiam nec sacrificium nec sacramenta posse deficere, providentia sua faciet ne casus tum in argumento tum responsionis hujus initio propositi aliquando eveniant.

Ad 4. Si moralis certitudo salutis haberi nequit in nostra sententia, nec haberi potest in sententia adversariorum. Sicut enim impius minister reticere potest intentionem, ita potest mutare materiam, non recitare formam vel illam corrumpere. Anxietatem ergo animi in negotio nostrae salutis exuimus, divinam contemplando misericordiam, recolentes Christi Domini passionem, ac divinae legis praecepta observantes.

Ad 5. Nonnulli valere negant sacramentum collatum subjecto renuen-

ti illudque nolenti. In horum ergo sententia intorqueri potest argumentum in adversarios. Dici tamen potest latam esse disparitatem. Nam ritus externus qui a ministro tractatur per se indifferens est, ut crebro diximus; ac ideo ut ad esse determinetur sacramenti necessaria est administrantis intentio qui rem sacram ac religiosam facere velit. Ast ritus ille externus qui a subjecto recipi debet jam supponit sacramentum in esse suo constitutum. Quare si suscipiens intentionem habeat interpretativam, utique recipit in se sacramentum. Atque pauca haec dixisse sufficiat de difficili controversia. Cui haec non sufficiunt, adeat theologos initio laudatos, et praesertim Laurentium Berti a quo haec delibavimus.

CAPUT POSTREMUM

De caeremoniis sacramentorum.

Caeremoniarum nomine intelligunt catholici actus quosdam religionis seu ritus externos vel a Christo Domino vel ab apostolis vel ab Ecclesia post tempora apostolorum institutos quibus Dei cultus decenter observatur, et sacra peraguntur solemniter. Inquiritur modo an Ecclesia in sacramentorum administratione auctoritatem habuerit aliquas instituendi caeremonias, et an illarum usus aliquam habeat utilitatem, debeantque a fidelibus sedulo observari.

Calvinistae magistro eorum duce lib. 4. instit. cap. 10. non solum reprehendunt nostras caeremonias veluti superstitiosos cultus, magicasque superstitiones, sed ut invidiam creent catholicis multa praeterea nobis imponunt, puta quod totum divinum cultum in caeremoniis reponamus praeceptorum legis neglecta observatione, quod superstitiosis hisce ritibus integram adscribamus virtutem sacramentorum, quod denique quascumque approbemus absurdissimas caeremonias, aliaque his similia evomere contra nos non verentur. Catholici autem haereticorum calumnias patienter sustinentes de fide credunt admittendas esse ac diligenter observandas probatissimas ab Ecclesia institutas caeremonias, unde adversus calvinistas sit

CONCLUSIO I.

Ecclesia auctoritatem habuit instituendi in solemni sacramentorum administratione caeremonias.

Prob. 1. Ecclesia auctoritatem habet condendi leges quae non solum in exteriori sed et in interiori conscientiae foro obligent fideles, ut agentes de legibus demonstravimus. Quare habuit Ecclesia auctoritatem instituendi caeremonias in solemni sacramentorum administratione. Hinc concilia et summi Pontifices anathema pronuntiarunt in eos qui sacros ritus in solemni sacramentorum administratione non adhiberent. Quod plane non fecissent nisi persuasum illis fuisset Ecclesiam auctoritatem habere sacros ritus instituendi.

Prob. 2. Ecclesia in caeremoniarum institutione imitata est apostolum Paulum qui in 1. ad Cor. cap. 11. de sacramento loquens Eucharistiae inquit: *Cetera autem cum venero disponam*, quibus in verbis alludit tum ad sacros ritus qui augustissimum comitari debent sacramentum, tum ad alias religionis caeremonias, ut observat Augustinus in ep. ad Januarium quae omnino legenda est, quum in ea ex professo agat de variis observationibus et quae ab universali Ecclesia, et quae a particularibus usurpari solent ac debent.

Prob. 3. Caeremoniarum usus in sacramentorum administratione non solum impune, sed et laudabiliter semper in Ecclesia viguit quovis saeculo. Tertullianus lib. de coron. milit. cap. 3. *Ut a baptismate*, inquit, *ingrediar, aquam adituri ibidem, sed et aliquanto prius in Ecclesia sub antistitis manu contestamur, nos renuntiare diabolo, et pompae, et angelis ejus. Deinde ter mergitamur, aliquid amplius respondentes, quam Dominus in evangelio determinavit. Inde suscepti lactis et mellis concordiam praegustamus, ex quo ea die lavacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus*. Haec de baptismo. De Eucharistia autem e vestigio subdit: *Eucharistiae sacramentum, et in tempore victus, et omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis coetibus, nec de aliorum manu, quam praesidentium sumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis, annua die facimus*. Totus exscribendus foret liber si ritus omnes qui Tertulliani aetate in usu erant recensere vellem. Cyprianus de ritu exorcismi adhiberi consueti in administratione baptismi in ep. ad Magnum ita loquitur: *Quod hodie etiam geritur, ut per exorcistas voce humana, et potestate divina flagelletur, et uratur, et torqueatur diabolus*. In ep. autem ad Caecilium caussam tradit cur in eucharistia conficienda vino admisceatur aqua. Cyrillus hierosol. totus est in catechesib. ut varios recenseat et explicet ritus qui in administrandis sacramentis sua aetate in Ecclesia vigebant. Catech. 1. de catechumenis ait: *Deinde vero jam exuti exorcizato oleo, a summis capillis ad infimos usque peruncti estis, et participes effecti fructiferae illius oleae Jesu Christi*. Catech. 5. missae describens sacrificium, inquit: *Clamat sacerdos: sursum corda: vere enim circa illam maxime timendam horam sursum ad Deum corda levare necesse est etc. Dicit deinde sacerdos: gratias agamus Domino etc.* Sicque prosequitur usque ad liturgiae finem. Mitto reliquos sequentium saeculorum patres ne in re minime necessaria tempus teram. Interim observo calvinistas non diffiteri Ecclesiam quatuor prioribus saeculis fidem puram integramque servasse. Qua fronte ergo audent nunc affirmare Ecclesiam auctoritate abusam fuisse sua in sacris instituendis caeremoniis? Non male Melancthon in cap. 14. ep. ad Rom. de suis reformatoribus scribit, *non probo petulantiam illorum qui ritus et traditiones non sine probabili causa ubique violant, seu studio novitatis seu quadam contumacia*. Melius autem tridentina synodus sess. 21. cap. 2. definit: *Hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva eorum substantia, ea statueret vel mutaret*,

quae suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi pro rerum temporum et locorum varietate, magis expedire judicaret.

CONCLUSIO II.

In sacramentorum administratione usus caeremoniarum utilis est.

Prob. ex dictis. Si enim Ecclesia auctoritatem habuit instituendi sacramentorum ritus, si in illis instituendis imitata est apostolum Paulum, et caeremoniarum usus quovis saeculo in Christi Ecclesia viguit, quis inficias ire poterit maximam habere sacros illos ritus utilitatem? Numquid suspicari possumus Paulum, veteres Patres, Ecclesiam ipsam frustra in administrandis sacramentis caeremonias instituere et adhibere voluisse? Nemo hoc dixerit nisi qui Ecclesiam ac Patres calumniari consueverit.

Prob. 2. Fructuum enumeratione qui ex illorum rituum usu percipiuntur. I. ex quo in baptismi collatione exorcismi adhibeantur et insufflationes facile colligitur baptismum peccatum delere originale. Quum enim pueri exorcizantur sequitur esse sub potestate diaboli. Sub ejus non inciderunt potestatem ob actuale peccatum, itaque servi evaserunt diaboli ob originale peccatum. Hoc usus est argumento Augustinus contra pelagianos propagationem negantes culpae originariae. II. ex quo fideles sacerdoti eucharistiam administranti ac dicenti, *Corpus Christi*, respondeant, *amen*, S. Ambrosius argumentum desumit ad eos confirmandos in fide eucharistiae; unde in lib. de myster. cap. 9. ait: *Tu dicis, amen, hoc est, verum: quod os loquitur, mens interna fateatur*. III. ex quo in conficienda eucharistia parva aqua admisceri soleat vino, S. Cyprianus deducit in eo sacramento Deo Patri non solum Christum sed universam etiam Ecclesiam offerri. Hinc in ep. ad Caecilium scribit: *Quando autem in calice aqua vino miscetur, Christo populus adunatur: et credentium plebs ei in quem credit copulatur et jungitur*. Alii fructus qui ex sacris colliguntur ritibus passim a Patribus in eorum operibus indicantur. Non ergo superstitionis accusanda est Ecclesia romana quod sacras caeremonias in sacramentorum celebratione retineat.

CONCLUSIO III.

Sacri ritus in sacramentorum administratione ab Ecclesia praescripti servari religiose debent.

Prob. 1. Religiose servari debet quod ab Ecclesia statutum est atque praescriptum. Qui enim potestati resistit, ut ait Apostolus, Dei ordinationi resistit. Ecclesiam autem statuisse sacros in sacramentorum administratione ritus jam demonstratum est.

Prob. 2. In veteri lege qui in sacris exercendis praescriptas negligebant caeremonias, sanctaque irreverenter contractabant, graviter delinquebant, poenamque patrati sceleris luebant, ut patet exemplo Nadab et Abiu Lev.

cap. 10. et Ozae 2. Reg. cap. 6. Peccabit ergo etiam qui in nova lege neglexerit caeremonias.

Prob. 3. ex ipsorum novatorum confessione. Nam in confes. August. juxta reformationem anni 1540. art. 15. de caeremoniis legitur: *Sed illi peccant qui eas cum scandalo violant, aut qui suarum ecclesiarum tranquillitatem temere perturbant*. Imo Holstenius ab inobservantia vel mutatione sacrorum rituum caussam repetit schismatis quod inter orientis et occidentis viget ecclesiam; ait quippe diss. 1. de minis. confirm. *Luctuosum schisma quod inter orientis et occidentis ecclesias dudum disjunxit, illis potissimum imputandum est qui christiana caritate posthabita, et disputandi pruritu omnia in quaestionem et controversiam adduxerunt, quae diverso ritu apud partem adversam aguntur*. Non est ergo cur protestantes concilii tridentini carpant definitionem quae sess. 8. can. 13. legitur: *Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni sine peccato, aut a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit*.

Ad objecta haereticorum.

Obj. I. cont. singulas thes. Deut. cap. 4. legitur: *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo*: quibus consonant haec alia Prov. cap. 30. *Ne addas quidquam verbis illius* (Dei.) Caeremoniae itaque fundamentum in verbo Dei non habentes rejiciendae sunt. II. Joan. cap. 4. inquit Christus fore adorandum Deum in spiritu et veritate: *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate*. Ut quid ergo inter fideles tot tantique ritus? III. imo Apostolus damnare expresse videtur quoscumque externos ritus dum in ep. ad Gal. cap. 5. inquit illis qui mosaicos ritus colebant: *Christus nihil vobis proderit*.

Resp. ad 1. Tam liber Deuteronomii quam auctor Proverbiorum vetant additionem quae fieri possit *verbo Dei*, contrariam et repugnantem, non vero additionem quamcumque. Ex verbis enim quae sequuntur in Deuteronomio *custodite etc. ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem etc.* liquet non aliud ibi Spiritum sanctum intendere quam cautos illos reddere contra idololatriam, quemadmodum ex his quae immediate succedunt in citato Proverbiorum capite patet rejici additiones mendaces et falsas; legitur enim ibi, *Ne addas etc. et arguaris, inveniarisque mendax*. Imo Deuteronomii liber nedum supponit, sed expresse caeremonias recenset v. 8. ubi dicitur: *Quae est enim alia gens sic inclyta, ut habeat caeremonias etc.*? Jam vero caeremoniarum institutio ab Ecclesia facta in administratione sacramentorum non solum non est verbo Dei contraria, sed ab apostolorum doctrina descendit.

Ad 2. Argumentum illud nimis probat. Nam si interno solummodo ritu colendus est Deus, damnanda ergo sunt omnia sacramenta quae signa sunt sensibilia. Comparationem itaque quamdam instituit ibi Christus

inter veterem novamque legem, aitque in N. Testamento non tantam futuram sacrorum rituum copiam ut in veteri, neque Dei cultum fore alligandum templo jerosolymitano vel Garizim; alloquitur enim mulierem samaritanam contendentem Deum adorari non posse nisi in templo Garizim.

Ad 3. Damnat Apostolus nonnullos qui existimabant circumcisionem aliosque mosaicos ritus *qui erant figura futurorum* etiam in N. Testamento requiri ad aeternam consequendam salutem, unde inquit: *Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit*.

Obj. 2. S. P. Augustinus in ep. 54. ad Januarium cap. 2. affirmat sacras caeremonias *liberas* habere *observationes*. Quare abjici pro lubitu vel retineri vel mutari possunt. II. idem S. Pater ep. 55. itidem ad Januarium cap. 19. arguit eos qui novam legem, *quam paucissimis et manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit, servilibus oneribus premunt*. Quid porro est caeremonias caeremoniis addere nisi servilibus oneribus premere religionem? III. tradit Tertullianus sua aetate administratum fuisse baptisma cum mellis ac lactis degustatione, id modo in desuetudinem abiit etiam apud romanos. Piaculum ergo non est sacros ritus omittere vel immutare.

Resp. ad 1. Duplicis generis ritus distinguit Augustinus scribens ad Januarium, alios dicit universaliter receptos esse in Ecclesia, alios autem qui in particularibus solummodo retinentur ecclesiis. De his, non de illis dicit liberas nos habere observationes, dummodo citra scandalum omitti possint, unde vult, *ut eo modo* (fidelis) *agat, quo agere viderit Ecclesiam ad quam forte devenerit*.

Ad 2. Contendit S. doctor non esse opprimendos fideles importabili rituum copia more judaeorum, non negat usum caeremoniarum in Ecclesia statutarum, quare mentem suam explicans inquit: *Exceptis iis quae servitutem populi veteris pro congruentia cordis illorum et prophetici temporis onerabant*.

Ad 3. Duplicis sunt generis ritus sacramentorum, alii sunt essentiales qui semper et ubique obtinuerunt, alii vero accidentales qui nec semper nec ubique invaluerunt. Lactis ac mellis degustatio in baptismate ritus est accidentalis, qui proinde ab Ecclesia quae ritum illum instituit abrogari vel mutari potuit sive lata lege sive per tacitam conniventiam.

Obj. ultimo. Romanae Ecclesiae ritus a legibus judaeorum ethnicorumque superstitionibus ut plurimum descendunt, adeoque sunt abjiciendi. II. nonnullae caeremoniae ridiculae omnino sunt, ut sputum, similesque nugae. III. aliae autem vel nullam habent utilitatem vel a mysteriorum contemplatione distrahunt animum.

Resp. ad 1. Falsum est ritus nostros a judaeis ac gentilibus derivare. Et quamvis id verum foret, nihil absurdi sequeretur, judaei enim suis ritibus Christum futurum praenunciabant, et nos praesentem adoramus. Gentiles suis caeremoniis daemonem, nos nostris verum ac viventem Deum colimus et adoramus.

Ad 2. Aures naresque catechumenorum sputo liniuntur, *ut quemad-*

modum caecus ille evangelicus quem Dominus jusserat luto oculos illitos Siloes aqua abluere, lumen recuperavit; ita etiam intelligamus sacrae ablutionis eam vim esse, ut menti ad coelestem veritatem percipiendam lumen afferat, inquit Catechismus romanus de baptismo.

Ad 3. Licet plerique sacri ritus instituti sint ad sacramentorum vel mysterium vel effectum significandum, non proinde superflui sunt alii, quoniam ad pietatem ac reverentiam excitandam sunt praescripti. Hinc tridentina synodus sess. 22. cap. 5. inquit: *Cum natura hominis ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia mater Ecclesia quosdam ... instituit ritus. Caeremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, luminaria, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex apostolica disciplina et traditione, quo et majestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per haec visibilia religionis et pietatis signa, ad rerum altissimurum quae in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur*. Hactenus de sacramentis in genere.

Finis tomi VI.



INDEX

CAPITUM ET CONCLUSIONUM

LIBER TRIGESIMUS.

Continens tractationes de virtutibus theologicis.

CAPUT XVIII.

CAPUT XIX.

CAPUT POSTREMUM

LIBER TRIGESIMUS PRIMUS.

De actibus humanis.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT V.

CAPUT VI.

LIBER TRIGESIMUS SECUNDUS.

De Legibus.

LIBER TRIGESIMUS TERTIUS.

De Peccatis.

LIBER TRIGESIMUS QUARTUS.

De Sacramentis in genere.

CAPUT X.

CAPUT POSTREMUM.



IMPRIMATUR

Fr. Dominicus Rambaldi
Lect. et Vicarius S. Officii Fulginiæ.

IMPRIMATUR

Pro Illmo ac Rmo D. D. Episcopo Fulginatense
Fr. Dominicus Monti Rev. Deputatus.



